

383

FLORES OPERVM D. BERNARDI ABBATIS CLARE-VALLEN.

*

Cùm Sacræ scripturæ professoribus, tum cæteris omnibus vtilissimi:

Cum Indice singularium rerum locupletissimo.



LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium.
Sub scuto Veneto.

1564.

REVERENDISSI-
MO DOMINO D. THEO-
DORO DE VICHI, A-
mæ Lugdunensis Ecclesiæ
Decano, Matthæus
Audebertus
S. P. D.

*

DICI non potest (Decane dignissime) quoties menti meæ succurrerit dictum illud Apostoli ad Romanos in hunc modum scribentis: Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Vnde minimè potui, quin plurimorum à me quid vtile efflagitantium voluntati pro virili morem gererem. Nam si tam pium & honestum postulantibus denegauissem, me profectò mortales omnes communis aeris fruitione indignum meritò iudicassent. Nemo nescit (opinor) Christianorum, potissimùm eruditorum, quàm synceræ doctrinæ, & integritatis vitæ D. Bernardus vbique locorum ap-

parauerit. Is enim non sibi natus, cùm semel ad maturiorem ætatem peruenisset, & in literis sacris non parum promouisset, nullum lapidem non mouit, vt hæreditatem domini, gregem sibi commissum, lacte verbi diuini non solum reficeret, sed ad omnia veræ religionis officia, suæ vitæ sanctimonia alliceret. His enim quæ coràm in omnium commodum & vtilitatem exercitus erat, vir ille religiosus non contentus, quod sibi supererat temporis non ocio dedit, sed penitus labori deditus, tot tantáque suis lucubrationibus elaborauit, vt nobis de rebus diuinis magna monimenta, eáque saluberrima relinqueret. Illa enim tanquam suæ virtutis, & animi celsitudinis seminaria, in commune salutis præsidium, iam à multis annis ad nos diffuse dimanarunt. Quæ omnia eiusdem operà, etsi in plurima volumina aliàs distincta, diuersisq; typis in numerum satis amplum excusa, atque in lucem edita fuerint, nulla tamen, aut saltem pauca, venalia his diebus elapsis reperiebantur. Quod quidam ex nostris necessarijs & intimis animaduertentes, eorúmque nonnulla expetentes, me iam id mouentem impulerunt, vt meo suasu libellus, cuius inscriptio,

emendaretur, & illum emendatum, quàm citò prelis curarem cõmitti. Nunc igitur opusculum illud à mendis, quantum licuit, castigatũ (Decane

cane dignissime) denuo excusum tibi offerimus: quod licet paruum sit volumine, ingenuè tamen ausim asserere, floribus sententiarum (quas in se habet) vndecunque collectarum, cæteris omnibus præpollere. Quam ob causam, cuilibet sui abnegationem, & suam aliorumq; salutem quærenti consuluerim, ne hunc libellum tantus quantus est, vnquam è manibus deponeret: vt inde sedularum apum more, quod inter hos tam egregios flosculos selectius videbitur, pro summo bono sibipsi ac suis conseruet. Nolim tamen sic persuadeas, me hac epistola illud operis tibi dicauisse, vt te bene & celerrimè currentem magis ac magis impellerẽ: quandoquidem tu tua erga omnes animi dexteritate & beneuolentia talem te præstas, vt contendas vnumquenque ad rei diuinæ, & æterni solatij notitiam peruenire. Omnibus enim iamdudum palam est, te tua iacula in coronæ triumphi scopum direxisse. Et sanè eorum vnus es, quos ad sui & piorum imitationem D. Bernardus suis scriptis tanquam Christianæ fidei testes, tum moribus, tũ dignitate peperit. Cùm sæpenumero totius gregis Ecclesiastici Lugdunensis symphoniam ad aures meas resonantis mihi audire conueniat, illiúsque viuendi modum, ac denique spiritu duce diuino morum vnà conuenientium modestiam intuear, id in memoriã reducit cuiusdam epistolæ lectionem,

quam D. Bernardus ad canonicos Lugdunenses misit: qua quantis laudibus eorum præeminentiam euehat, vobis relinquo discutiendum. Interim nobis pio animo diuinaque mente precandum erit, vt huiusmodi ritum Deus optimus maximus non nisi in meliorem statum commutet. Si quid autem (Decane doctissime) præter ingenioli mei vires in his scribendis desumpserim, imbecillitati meæ des quæso veniam: & quicquid ex hac parte minus elaboratum fuerit, æqui bonique consulas. Vale. Lugduni pridie nonas Martias.

1556.

PRAEFATIO IN LIBROS FLORVM BEATI BERNARDI, ABBATIS CLARE-VALLEN.

Relatio de beato Bernardo, abbate.

BErnardus egregius Cisterciensis ordinis propagator, qui iniatus est anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo octauo (cum adhuc pauci essent) anno ab exordio suo quintodecimo. Ipse verò vicesimumtertium agens annum ætatis suæ, cum triginta ferme sociis ordinem prædictum intrauit. Fuit autem ex Castellione Burgundiæ oppido oriundus: parentibus secundum seculi dignitatẽ quidem claris: sed multò clarioribus secũdum pietatem Chri-

stianæ religionis. Qui non multò post annos Verbi incarnatio. M. CXV. primus abbas Clareuallensis cœnobij effectus, multa opuscula ecclesiæ catholicæ edidit profutura. Si quis nãq; nosse desiderat, quàm solicitus suipsius ab initio scrutator extiterit, primum opus illius, de duodecim gradibus humilitatis inspiciat. Item, si quæritur pię mẽtis religiosa deuotio, trãscendum ad Homilias super Euang. Missus est angelus, in laudibus Virginis dedicatas, & illum quem de diligendo edidit librum. Si feruens cõtra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticũ vocat. Si vigil in zelo eodem & circunspecta discretio, de præcepto & dispensatione differens audiatur. Quàm verò fidelis cuiuslibet piæ conuersationis cõmendator extiterit, exhortatorius ad milites templi sermo declarat. Quàm non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet quæ de gratia & libero arbitrio tam fideliter q̃ sublimiter disputauit. Quàm liber in voce, quàm discretus, in rerum superiorũ pariter & inferiorũ scientia

tia locuples in his quę ad papam Eugenium, de consideratione scripsit, diligens considerator agnoscet. Quàm deuotissimus prædicator alienę sanctitatis, tam diligenter sancti episcopi Malachiæ vita prosecutus ostendit. Nam & in sermonibus super Cãtica, & mysteriorum inuestigator, & morum ædificator magnificus innotescit. In epistolis quoque quas ad diuersas personas ob negotia diuersa dictauit, & in sermonibus multiplicibus prudens lector aduertet, quo feruore spiritus iustitiam omnem dilexerit, omnẽ æquè oderit iniustitiam. Quàm indulgẽtissimus adhortator bona inchoantium, & feruẽtissimus incitator perseuerantium apparuerit, Epistola ad fratres Carthusienses de monte Dei lucidè permonstrat. Fidelis etenim seruus Christi nõ quærebat aliquid suũ, quicquid tamen erat Christi curabat vt suum: Et morum correctionẽ, non locorum mutationem, in omnibus libris suis commendabat.

Pax est in verbis, id odoriferis opus herbis:
Nempe gerit flores Bernardi nobiliores.

In nomine domini Amen.

PROLOGVS LIBRI Florum D. Bernardi, ex diuersis opusculis collectorum, quem si lector legerit, facilè docebitur, quid totum opus contineat.

VM non essem alicui exercitio magnopere occupatus, placuit mihi vt opuscula viri illustrissimi beati Bernardi, egregij abbatis Clareuallensis, diligèter inspiciendo percurrerem: & si quid in eis laudabile memoriáque dignum præcipuè de virtutibus inuenirem, excipiens scripto breuiter cõmendarem. Nec defuit voluntati meæ diuinæ gratiæ auxiliũ, sine qua nec cogitare sufficimus bonum. Ipsa itaque me præueniente & subsequente, propositum meum effectui mancipaui. Multò tamen plura quàm ab initio decreueram: quia visa sunt mihi vtilia & dulcedine ædificationis redundantia: non solùm de virtutib

tutibus, verumetiam & de vitiis ac sententiis; nécnon & quibusdam distinctionibus valde necessariis ex libris prædicti viri nominatissimi, diuina mediante gratia, colligens, in vno volumine coartaui. Verùm opus istud quia de diuersis rebus mentionem facit, secundum diuersitatem rerum, de quibus loquitur, in diuersos libros distinguitur, & decem librorum tractatibus concluditur. Primus liber tractat de Deo patre, & filio & spiritu sancto. Secundus de homine & anima. Tertius de prælatis. Quartus de clericis & monachis. Quintus de virtutibus. Sextus de vitiis. Quatuor sequentes libri, id est septimus, octauus, nonus, decimus, de quibusdam distinctionibus multum vtilibus specialiter loquuntur. In quorum ordinatione, alia ratio quàm in cæteris obseruatur. Præcedentes enim libri solummodò propter dissimilitudinem materiæ per se singuli diuisi sunt. Isti verò non solùm causa materiæ, sed præcipuè propter modum & dispositionem capitulorum inter se dominantium

nantium ab inuicem discernuntur. Septimi enim libri singula capitula sunt duplicia: quia de duabus rebus principaliter agunt. Octaui verò triplicia, quoniam de tribus rebus vnumquodque eorum tractat. Noni autem quadruplicia: quia singulorum quadruplex est causa. Decimi verò capitula possunt dici diuersiloqua: quoniam de diuersis rebus quorumlibet existit materia. Sciēdum autem quòd in quibusdam huius operis locis, non eodem modo, nec eodem ordine, sententiæ dispositæ sunt, quo in libris è quibus excerptæ sunt, scriptæ leguntur: quoniam alibi plus, alibi minus positum est. Quædam enim propter compendiositatem, & quæ minus ad rem pertinere videbantur, prætermittendo transiliui. Aliqua verò propter sensus & materiæ conuenientiam, hinc & inde sumpta intermiscui: nōnulla etiam licet rarò in alia verba commutaui. Quamobrem si ad sermonum vnde extracta sunt hæc, recurrēs ordinem, alicubi in hoc opusculo minus plúsue, vel aliter reperiris,

ris, quàm in textu libri positum est: noueris quòd huiusmodi ordinationis causa extitit ratio iam prædicta. Vt autem inspectis foliis lectori citius occurrat quod voluerit, in titulis cuiuslibet capituli, cuius sit materiæ breuiter prænotatum. Quia verò de diuersis tractatibus ac variis epistolis præsens opus collectum est: & ob hoc diuersas ac multimodas sententias simul positas in plerisque locis huius operis est inuenire: propterea quo tractatu, quo sermone vel qua epistola singulæ sententiæ inquirendæ sunt iusta eas annotationes quas in margine apposuimus, vt si fortè tanta varietas authoritatum, ac interruptæ & inordinatæ materiæ quantulacunque discordia studiosi lectoris intellectū obscurauerit, aut etiam falsitas aliqua, siue despectus quolibet modo contingens ipsum impedierit: & propter huiusmodi obscuritatem elucidandam ad fontem originalem vnde hæc descenderunt, recurrere desiderauerit, annotationes ibi scriptas considerat: & sic quò sit eundum agnoscens faciliùs

inuen

inuenire valeat, quod quærebat. Præterea superaddidi in vltimis huic operi quædam verba totius consolationis plena, & super mel & fauum dulciora, de beatissima Dei genitrice Maria, de quibusdam etiam sermonibus præfati venerabilis patris excerpta: quæ per capitula distinguens, è quibus locis sint sumpta per annotationes ibi iuxta se positas designaui.

CAPITVLA LIBRI PRIMI.

De eo quid est Deus. I.
De eo quod vnus est Deus. II.
Quod Deus vbique est. III.
Quomodo Deus est in creaturis. IIII.
De eo quod trinus est Deus, & de vnitate trinitatis, qua tres personæ, vna substantia sunt. V.
De excellentia supradictæ vnitatis. VI.
De illa vnitate, qua tres substantiæ in Christo vna persona sunt. VII.
De distinctione trium graduum in dominica incarnatione. VIII.
Quomodo cognoscendi sit Deus in hac vita. IX.
Quod Deus est pœna reproborum. X.
De aduentu Domini corporali. XI.
Quod per aduentum Domini manifestata est benignitas ipsius. XII.
Quod celandum fuit diabolo dominicæ incarnationis sacramentum. XIII.
De spiritu sancto. XIIII.
Quod non semper eodem modo sit spiritus in viris spiritualibus, sed modo veniat, modo recedat. XV.
De multiplicitate spiritus. XVI.
De quærendo Deo. XVII.
De aduentu Domini spirituali. XVIII.

Quom

Quomodo prænoſci poteſt aduentus ſiue viſitatio Domini. XIX.
Quomodo perfectè vnitur anima cũ Deo. XX.
Quæ ſit differentia inter vnitatem illam, quæ pater & filius vnum ſunt: & illam qua adhærens Deo anima vnus ſpiritus eſt. XXI.
De viſione illa, qua videndus eſt Deus in futuro ſicuti eſt. XXII.
Quòd non poteſt videri Deus in hac vita ſicuti eſt. XXIII.
De diuerſis modis viſionum Dei. XXIIII.
Cui vel quali animæ Deus apparere ſolet. XXV.
Quòd magni fide magna & ſublimia de ſuperna merentur videre. XXVI.
De viciſſitudinibus Dei euntis & redeuntis in anima. XXVII.
Quòd abſque veritate ſimul & gratia non eſt plena viſitatio Dei. XXVIII.
Quid ſit patrem & filium venire ad animam. XXIX.
Quomodo cognoſcit anima quòd diligitur a Deo. XXX.

Fragrat Bernardus ſacer in dictis quaſi nardus.
E quibus hic tractus liber eſt in ſcripta redactus.

LIBER PRIMVS FLORVM EX DIVERSIS OPVSCVLIS COLLECTORVM, S. BERNARDI ABB. CLAREVAL.

De eo quid eſt Deus.

CAP. I.

QVid eſt Deus. Quid eſt. Merito quidẽ. Nil competẽtius æternitati, quæ eſt Deus. Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quicquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, eſt. Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe: ſi & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe: ſi ea dixeris, nihil addidiſti: ſi nõ dixeris, nihil minuiſti. Quid item Deus? Sine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt. *In libro 5. de conſideratione.*

Ac per hoc quodammodo solus ipse est, qui suum ipsius est & omnium esse. Sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Quid est Deus? Cui secula non accesserunt nec decesserunt: nec coæterna tamē. Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia: in quo omnia. Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Non est in Deo, nisi Deus. Quod habet, hoc est, veritas est: sapientia est, virtus, æternitas: summum bonum Domini sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus. Qui solus solam nescit ignorātiam, totus lux, totus oculus, & qui minimè aliquando fallitur: quia minimè clauditur, qui extra se non quærit lumen vt videat. Ipse qui videt. Ipse vnde videt. Amat vt charitas: nouit vt veritas: sedet vt æquitas: dominatur vt maiestas: regit vt principium: tuetur vt salus: operatur vt virtus: reuelat vt lux, assistit vt pietas. Quid ergo est Deus? Quod ad vniuersos spectat finis: quod ad electionem salus: quod ad se ipse nouit. Quid est Deus? Voluntas, omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentem ad se participandum, viuificans ad se sentiēdum, afficiens ad appetend

petendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerēdum, accedens ad zelū, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborās ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circundās ad securitatem, Inuisibilis & inaccessibilis in se, in suis spectabilis atq; mirabilis, & solus mirabilis qui facit mirabilia magna solus. In exilio mansuetus & amabilis: in iudicio iustus & terribilis: in regno gloriosus & admirabilis. Hic est rector morū: In iudicio discretor meritorum. In regno distributor præmiorū. Totus suauis est, totus salubris, totus delectabilis, totus denique desiderabilis. In ipso siquidē plenitudo gratiarū, vniuersitas miserationū, inexhaustus fons pietatis. Affluētia tota spiritualis vnguenti. Qui omnia solo verbo & corpora creat & spiritus, cui de sola voluntate celeris suppetit efficiētia, tā creandis rebus quàm ordinādis prout voluerit. Valet cui vult quantum vult præstare, & absq; corporaliū officio obsequióve mēbrorum. Qui solus cùm docet angelū siue hominē scientiam: instrumentum non quērit nostrę corporeę auris: sicut necsibi

Supercāt.

In ser. 2. de epiph.

In quib. dictis.

In ser. 1. de ieiunio.

Supercāt. sermon. 4.

Vbi sup. sermon. 5.

oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris, solus nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotentis volũtate sufficiens. Cuius omnipotentis arbitrio incunctãter prẽsto est omne opus: omne altum inclinat: omne aduersum cedit: omne creatum fouet: etiam nullo interueniente solatio corporali siue spirituali. Docet vel monet sine lingua: præbet vel tenet sine manibus: sine pedibus currit & succurrit pereũtibus: solo spirituali nutu cùm vult, ad quæcũq; vult agenda cõtentus. Soli Deo idem est facere quod loqui: idem loqui quod velle. Siquidem apud Deum nec verbũ dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo, quia virtus est: nec modus à facto, quia sapientia est. O veritas, charitas, æternitas. O beata & beatificans trinitas. O veritas exulum patria: exilij finis. Tu es vera libertas, tu vita, tu gloria, tu sufficientia, tu beatitudo, tu perfecta & sancta voluptas, & requies spirituum beatorum.

Supercãt. sermon. 6.

In exposi. super Missus est, Hom. 4.

Supercãt. sermo. 11.

In serm. S. de omnibus sanctis.

De eo quòd vnus est Deus. Cap. II.

HAbet in natura simplicissima Dei diuinitas quasi vnũ respicere multos: & quasi multos vnum. Nec ad multitudinem multus erit: nec ad paucitatem rarus: nec

Supercãt. sermo. 69.

nec ad diuersitatem diuersus: nec restrictus ad vnum: nec anxius ad curas: nec perturbatus seu turbulentus ad solicitudines: sic sanè vni intentus vt non detentus: sic pluribus vt non distentus. Sola summa & increata natura quæ est trinitas Deus. hanc sibi vendicat meram singularemq; suæ essentiæ simplicitatem: vt non aliud & aliud: non alibi quoq; & alibi: sed ne modo quidem & modo inueniatur in ea. Nempe in semet manens, quod habet, est: & quod est, super & vno modo est. In eam & multa in vnum, & diuersa in idem redigũtur, vt nec de numerositate rerum sumat pluritatẽ: nec alterationẽ de varietate sentiat. Loca omnia cõtinet: & quæq; suis ordinat locis, nusquã contenta locorum. Tempora sub ea transeunt, non ei. Futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur. Vnum in Deo sunt, & cum Deo, magnitudo, bonitas, iustitia, & sapientia. Nec enim aliunde bonus quàm vnde magnus: nec aliunde iustus aut sapiens, quàm vnde magnus & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia inquam, vnde Deus, & hoc quoque non nisi seipso. Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholiceq; : sed multa vnum. Verbi gratia. Dicimus ma-

Supercãt. sermo. 80.

In 5. libro de consid. ad Euge.

gnum, bonum, iustum, & innumera talia: sed hęc omnia vnum in Deo & cum Deo sunt. Deus ipse catholicè est: tam non habet hoc & illud, quàm non hæc & illa. Est qui est, non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se: nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum diuidat: non quæ colligat ad vnum. Vnum quippe est, sed non vnitum. Non partibus constat vt corpus: non affectibus distat vt anima: non formis subsłat, vt omne quod factum est. Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. Non est formatus Deus, forma est. Non est affectus Deus: affectio est. Homo est compositus: Deus merum simplex est. Simplex idem quod vnum. Tam simplex Deus, quàm vnus est. Est autem vnus, & quomodo aliud nihil. Si dici possit, vnissimus est. Vnus est sol, quòd non sit alter, vna luna, quòd æquè altera non sit. Atque id quidem Deus, sed plus. Quid plus? vnus est etiam sibi. Et hoc tibi vis declarari? Idem est semper, & vno modo. Non sic vnus sol: non sic vna luna. Clamat vterque non esse se vnum sibi: ille moribus, illa & defectibus suis. Deus autem non modò vnus sibi, sed in se vnus

est

est. Nihil in se, nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet: non in substantia alteritatem. Hoc verè vnū in quo nullus est numerus: nullum in eo aliud, præter id quod est. Compara vni huic omne quod vnum dici potest, & vnum non erit. *Hic de eo Boëtius.*

Quòd Deus vbique est. Cap. III.

VBi est Deus? Quid dixi miser, sed vbi nō est? Altior est cælo: inferno profundior: latior terra, mari diffusior. Nusquam est, & vbique est: quia nec abest vlli, nec vllo capitur loco. Vbique enim regnat, vbique imperat, vbique maiestas eius. Omnia replet, complectitur vniuersa. Omnia omnibus est, qui omnia administrat, nec cuiquam est omnium propriè. Nam quod in se est, lucem habitat inaccessibilem: & pax eius exuperat omnem sensum: & sapientiæ eius non est numerus: & magnitudinis eius nō est finis, nec potest eum videre homo vt viuat. Non quòd longé ab vnoquoque sit, qui esse omnium est: sine quo omnia nihil: sed vt tu plus mireris, & nil eo præsentius est, & nil incōprehensibilius. Quid nempe cuique rei præsentius quàm esse suum? Quid cuique tamē incomprehensibilius quàm esse omnium? Sanè esse omnium dixerim *In quibus dam sententiis.* *Super cā. sermo. 4.*

Deum. Nō quia illa sint quod est ille, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Esse est ergo omnium quæ facta sunt: ipse factor eorum, sed causale, non materiale. Tali proinde modo dignatur illa maiestas suis esse creaturis: omnibus quidem quot sunt, animantibus autem quot & viuunt. Porrò ratione vtentibus lux, rectè viuentibus virtus, vincentibus gloria.

Quomodo Deus est in creaturis. Cap. IIII.

Homil. 3. super Missus est.

DEus, qui vbique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis, quàm in cæteris: & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus, vt tamen non capiatur ab ipsis. A rationabilibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tātum capitur, etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est: vt etiam sit cum ipsis propter cōcordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, vt Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt: per hoc quòd ab eius voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter iungunt.

Super cā. sermo. 56.

Deus quidem æqualiter atque indifferenter vbique præstò est: diuinæ vtique

que præsentia maiestatis, & magnitudine virtutis suæ. Gratiæ tamen exhibitione, seu inhibitione, quibusdam longè, quibusdam propè esse dicitur: angelorum duntaxat & hominum, id est rationabilium creaturarum. Denique longè à peccatoribus salus. Cæterùm à sanctis pia dispensatione ad tempus, & non ex toto, sed iuxta aliquid aliquando longè se facit. Peccatoribus autem semper valdéque longè est: atque in ira hoc, & non in misericordia. Quamobrē orat ad Dominum sanctus, & ait, Non declines in ira à seruo tuo, sciens quia & in misericordia potuit declinare. Propè est ergo Dominus sanctis & electis suis etiam, quum longè esse videtur, & non æqualiter omnibus, sed aliis plus, aliis minus pro meritorum diuersitate.

De eo quòd trinus est Deus, & de vnitate trinitatis, quæ tres personæ vna substantia sunt. Cap. V.

DEus trinitas est. Deus trium singularum personarum. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de vnitate, quia inducimus trinitatem? Non, sed statuimus vnitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum sanctum: non

In libro 5. de cōsideratione.

tamen tres deos, sed vnum. Substantia vna est, personæ tres sunt. Vna verò substantia tres personæ, tres personæ vna substantia sunt, vna natura, vna essentia, vna deitas. Personarum proprietates non aliud quàm personas, ipsásque non aliud quàm vnum Deum, vnam diuinam substantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam & summam maiestatem catholica ecclesia cõfitetur. Aut si diuidere quis conetur, vel personas à substantia, vel proprietates à personis, nescio quomodo trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum excesserit numerositatem. Dicamus itaque tres, sed non ad præiudicium vnitatis. Dicamus vnum, sed non ad confusionem trinitatis. Neque enim nomina vacua sunt, neque absque significantia cassè vocens. Quærit quis, quomodo hoc possit esse. Sufficiat ei tenere sic esse. Non hoc rationi perspicuum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in vnitate, & hac vnitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est: credere pietas est: nosse vita, & vita æterna est.

De

De excellentia supradictæ vnitatis.

Cap. VI.

In lib. 5. de cõsideratione.

PErcurrat nunc cõsideratio nostra tua multa vna: quò eminentia huius singularis vnius fiat euidentior. Est vnitas, quæ collectiua potest dici: cùm verbi causa, multi lapides faciunt aceruum vnum. Et est vnitas constitutiua, quum multa membra vnum corpus, vel multæ partes vnum quodque totum constituunt. Est & coniugatiua, qua fit, vt duo iam non sint duo, sed vna caro. Est & natiua, qua anima & caro vnus nascitur homo. Est vnitas potestatiua, qua homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed vnus sibimet semper niti ur inueniri. Est consentanea, cùm per charitatem multorum hominũ est cor vnum, & anima vna. Est & votiua, cùm anima votis omnibus adhærens Deo vnus spiritus est. Est & dignatiua vnitas, qua limus noster à Dei verbo in vnã assumptus est personã. Verùm hęc omnia quid ad illud summũ atq; (vt ita dicam) vnicè vnũ, vbi vnitatẽ consubstantialitas facit? Huic vni quodnis illorum si assimiles, erit quoquo modo vnum, si cõpares nullo. Igitur inter omnia quæ vnum rectè dicuntur, artem tenet vnitas trinitatis, qua tres personæ vna subst

substantia sunt. Secundo loco præcellit illa qua ecõuerso tres substantiæ in Christo vna persona sunt. Porrò hæc & quæcunq; alia dici vna possunt, summæ illius vnitatis imitatione, non comparatione: vna appellari vera sobriaq; probat consideratio. Nec abducimur ab hac vnitatis professione assertione trium, cùm in hac trinitate nõ recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in vnitate. Quamobrem cùm dico vnum, non me trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, nõ variat, non partitur. Rursum cũ dico tria, non me arguit intuitus vnitatis, quæ illa quæcunq; tria seu illos tres nec cogit in confusionem, nec in singularitatem redigit. Idem me sentire fateor & de illa vnitate, cui secundum ab ista inter cætera vna honorem dedi.

De illa vnitate, qua tres substãtiæ in Christo vna persona sunt. Cap. VII.

In 5. libro de consideratione. In serm. 3. de vigilia natalis domini.

DIco in Christo verbum, animam, & carnem sine cõfusione essentiarum, vnam esse personam.

Quia sicut in illa singulari diuinitate trinitas est in personis vnitas in substãtia: sic in coniunctione Dei & hominis: trinitas est in substantijs, vnitas in persona. Et sicut ibi personæ non scindunt vnitatem, vnitas

vnitas non minuit trinitatem: ita & hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant vnitatem. Summa illa trinitas, hanc nobis exhibuit trinitatem: opus mirabile: opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim anima & caro in vnam conuenère personam: & hæc tria vnum: & hoc vnum tria non in confusione substantiæ, sed vnitate personæ.

Nec negauerim hanc ad aliud quoque genus vnitatis pertinere, qua anima & caro vnus est homo. Decuit quippe familiarius similiusq; cum hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum: decuit & cum summa, quæ in Deo est, & Deus est vnitate congruere: vt quomodo ibi tres personæ vna essentia: ita hic cõuenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sint vna persona. Vides ne pulchrè inter vtranque vnitatem hanc collocari in eo vtique qui constitutus est mediator Dei hominisq;, homo Christus Iesus. Pulcherrima inquã conuenientia, vt salutare sacramentũ congrua quadam similitudine ambobus respondeat: saluanti videlicet & saluato. Ita hæc vnitas duarum consistens media vnitatũ, alteri succumbere, alteri præeminere

Lib. 5. de consideratione.

cogũ

cognoscitur: quantum superiori inferior, tantum inferiori superior. Tantam denique tamq; expressam vnionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus & homo vnus est Christus: vt si duo illa de seinuicem prædices, non erraueris, Deum videlicet hominem, & hominem Deum: verè catholiceq; pronuncians. Non autem similiter carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissimè prędices: & si similiter anima & caro vnus sit homo. Nec mirum, si non æquè potens sit anima sua illa vitali, & sic valida intentione connectere, atq; suis affectibus astringere sibi carnē: vt sibi diuinitas hominem illum, qui prædestinatus est filius Dei in virtute. Longa cathena & fortis ad astringendum diuina prædestinatio, ab æterno est enim. Quid longius æternitate? Quid diuinitate potentius? Indè est, quòd nec morte incidente vllatenus intercidi hæc vnitas potuit: & si carne & anima abinuicem separatis. Mansit & in separatione inseparabilis vnitas. Nec enim quæ ex parte contigit, separatio potuit vnitati præscribere, permanenti in totis tribus. Siue coniunctis, siue disiunctis duobus, nihilominus perseuerauit in tribus vnitas personalis. Æquè vnus Christus vnaq; persona: verbum

bum, anima & caro, etiam mortuo homine, perdurauit.

De distinctionum graduum, in dominica incarnatione. Cap. VIII.

ADuertere est in mirabili sacramento dominicæ incarnationis mirè & decentissimè distinctionis gradus, nouum, antiquum, æternū. Nouum, animam quæ de nihilo tunc creata creditur cum infusa. Antiquum, carnem, quæ à primo vsque hominum, id est, ex Adam traducta cognoscitur. Aeternum verbum, quod ab æterno patre coæternum sibi genitum indubitata veritate asseritur. *In libr. 5. de consideratione, ad Eugenium papam.*

Verbum enim, quod in principio apud Deum erat, Deus erat: anima quæ de nihilo creata est, & antè non erat. Caro quæ de massa corruptionis sine corruptione, diuino segregata artificio, qualis iam nulla caro erat, vinculo indissolubili in personæ coëunt vnitatem. Habes in his triplex genus potentiæ. Quod non erat creatum, quod perierat reparatum, quod super omnia erat, paulò minus ab angelis minoratum. *In die natiuitatis domini sermo 2.*

Quod factum sit de nihilo aliquid, de vetusto nouum æternum beatumq; de damnato & mortuo. Quid hoc ad nostrā salutem? Multum per omnem modum. *In 5. libro de consideratione.*

Primo

Primo quidem quòd peccato redacti in nihili per hoc quodammodo iterato creati sumus: vt simus initium aliquid creaturæ eius. Deinde quod ex vetusta seruitute in libertatem filiorum Dei trãslati, in nouitate vitæ ambulamus. Postremò, quòd de potestate tenebrarum vocati ad regnũ claritatis æternæ in quo iam & consedere nos facit in Christo.

Quomodo comprehendi potest Deus in hac vita. *Cap.* IX.

In 5. libro de consid.

STudeamus vt admonet Apostolus cõprehẽdere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Comprehendere dicit non cognoscere, vt non curiositate cõtenti scientiæ tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione fratres est, sed in comprehensione. Nouimus hæc. Est enim Deus longitudo propter ęternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. Num ideo & arbitramur nos comprehẽdisse? Non ea disputatio comprehendit, sed sanctitas: si quo modo tamen comprehendi potest: quod incõprehensibile est. At nisi posset, non dixisset Apostolus, vt comprehendamus cum omnibus sanctis. Sancti ergo cõprehendunt. Quæris quomodo

modo? si sanctus es, comprehendisti & nosti. Si non, esto & tu experimẽto scies. Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina: timor Domini sanctus, & sanctus amor. His perfectè affecta anima, veluti quibusdam duobus brachijs suis comprehẽdit, amplectitur, stringit tenet. Et timor quidem sublimi & profundo. Amor lato, longoq; respondet. Quid tam timendum quàm potestas, cui non potes resistere, quàm sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus, alterutro carens. Nũc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia vidẽs, nec manus potẽs omnia. Quid idem tam amabile, quàm amor ipse quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit, quæ dum non excidit, foras mittit suspitionem. Ama igitur perseueranter & longanimiter, & habes longitudinem: Dilata amorem tuum vsque ad inimicos, & latitudinem tenes. Esto etiam in omni solicitudine timoratus, & sublime profundúmque apprehendisti. Aut si mauis, quatuor æquè tuas, diuinis quatuor respondere: facis hoc si stupes, si paues, si serues, si sustines. Stupenda planè sublimitas maiestatis, pauẽda abyssus iudiciorum, feruorem exigit charitas,

æternitas perseuerátiam sustinendi. Quis stupet, nisi qui contemplatur gloriam Dei? Quis pauet, nisi qui scrutatur profundum sapientiæ? Quis feruet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Quis sustinet & perseuerat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nam æternitatis quandam imaginem perseuerantia præfert. Denique, sola est cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit.

Quòd Deus est pœna reproborum.

Cap. x.

In 5. lib. de consideratione.

QVid est Deus? Non minus pœna peruersorum quàm humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconuertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens vbique, cui illisa omnis prauitas conturbetur necesse est. Quidni in hanc omne tumidum vel distortum impingat & conquassetur? Væ vniuerso, quòd obuium fortè offenderit, cedere nescia rectitudo. Nam & fortitudo est. Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & aduersum, quàm semper conari impingere semper & frustra? Væ oppositis voluntatibus, solam profecto suæ auersionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale quàm semper velle quod

quod nunquàm erit, & semper nolle, quod nunquàm non erit? Quid tam damnatum quàm voluntas addicta huic necessitati volendi nolendiq; , vt ad vtrumlibet iam sicut non nisi peruersè, ita non nisi miserè moueatur? In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Dignè omnino, vt qui ad nihil afficitur, vnquàm quod deceat, ad nihil vnquàm quod libeat euadat. Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noster, qui & cum peruerso peruertitur, cui omne aduersum & sibi aduersari necesse est. Ita est. Non potest esse Deo contrarium quid, & sibimet cohærere. Sed qui arguetur à Deo, arguetur & à semetipso. Nunquàm recto prauóque conueniet. Hæc enim sibiinuicem aduersantur, etsi non inuicem lædant. Læsio alterius est: absit vt Dei. Est & turpium pœna Deus: lux est enim. Et quid tam inuisum turpibus, flagitiosisq; mentibus? Profectò omnis qui malè agit, odit lucem. Sed dico. Nunquid poterit declinare? Minimè omnino. Lucet vbique, & si non omnibus. Denique in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Videt tenebras lux, cui hoc est videre, quod lucere, sed non viciſſe à tenebris

ipsa videtur: quia tenebræ eam non comprehenderunt. Et vident ergo, vt confundantur, & non vident, ne consolentur.

De aduentu Domini corporali.

Cap. XI.

In 1. parte sermo. de aduentu, de septem columnis, sermone 3. de aduentu domini, qui incipit In aduentu domini. Ser. 3. in vigil. natiuit. domini. In 1. ser. de aduen.

IN aduentu Domini, si personam venientis intueor, non capio excellentiam maiestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expauesco. Si considero propter quid venerit, amplector quoad possum inæstimabilem latitudinem charitatis. Si modo cogito, exaltationem agnosco humanæ conditionis. Venit siquidem vniuersitatis creator & Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos. Ad errantes via, ad mortuos vita. Venit non perdere sed saluare: eripere non ligare. Porrò inæstimabilis dignatio, & penitus inexcogitabilis: quòd in carceris huius horrorem fœtoremq;, tanta dignata est descendere celsitudo. Iam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, vt maiestas tanta de tam longinquo in locum tam indignum descendere dignaretur? Planè magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim veniſſe

veniſſe credendus est? Ad quærendam quippe onem centesimam, quæ errauerat, de montibus properauit: & vt manifestius confiteantur Domino misericordiæ eius & mirabilia eius filijs hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio: magna dignitas hominis sic quæsiti: in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quòd aliquid esse videatur à seipso, sed quòd tanti eum fecerit ipse. Omnes enim diuitiæ: omnis gloria mundi; & quicquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam: imò nec est aliquid in eius comparatione.

Quod per aduentum Domini manifestata est benignitas ipsius.

Cap. XII.

In ser. de Epiphania qui sic incipit, Apparuit benignitas. In 1. serm. nati. domini.

PRiusquàm appareret Dei humanitas, latebat eius benignitas. Apparuerat antè potentia in rerum creatione. Apparebat sapientia in earum gubernatione, sed benignitas misericordiq maximæ apparuit in humanitate. In primo ser. Epiphaniæ. Siquidem & prius erat. nam misericordia Domini ab æterno: sed vnde tanta cognosci poterat? Promittebatur sed non sentiebatur: vnde & à multis non credebatur. Sed venit in carnem diuinitas, vt vel sic carnalibus exhiberetur: &

apparente humanitate benignitas agnoscerctur. Vbi enim innotescit Dei humanitas, iam benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quàm susciendo carnem meam? Quid tantopere declaret eius misericordiam, quàm quòd ipsam susceepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei verbum propter nos factum est fœnum? Quãto enim minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem se exhibuit in bonitate. & quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Magna planè & manifesta benignitas Dei humanitas: & magnum benignitatis indicium declarauit, qui humanitati addere Dei nomen curauit. Propterea nos gaudere oportet, quòd in nostra venerit. Sit enim plus facilis ad indulgentiam erit. Sed quàm facilis modò tam difficilis erit postea. Et sicut modò nemo est qui recõciliari nõ possit, ita post paululum nemo, qui possit, quoniam sicut benignitas apparuit vltra omnem spem, vltra omnem æstimationem similem expectare possumus iudicij districtionem. Immensus est Deus & infinitus in iustitia, sicut & misericordia. Multus ad ignoscendum, multus ad vlciscendum. Sed misericordia qui-

dem priora sibi vendicat: vt si voluerimus, districtio inuenire non possit, in quem sæuiat. Propter hoc enim benignitatem prærogauit, vt per eam reconciliati seueritatem videamus securi. Propterea voluit non solùm ad terras descendere, sed etiam innotescere: non solùm nasci, sed ignosci.

Quod celandum fuit diabolo dominicæ incarnationis sacramentum.

Cap. XIII.

OPortebat à principe mundi aliquandiu celari diuini concilij sacramentum: nõ quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri ab illo metueret: sed quia ipse qui non solùm potenter, sed etiam sapiẽter, quæcunque voluit fecit: sicut in omnibus operibus suis quasdam temporum vel rerum congruentias propter ordinis pulchritudinem seruare consueuit. Ita in magnifico opere suo nostræ redemptionis non tantùm potentiam, sed & prudentiã ostendere voluit: & quanquàm illud alio modo quàm vellet perficere potuisset, placuit ei tamen eo potius et modo, & ordine hominem sibi reconciliare quo nouerat cecidisse: vt sicut diabolus prius fœminam

In exposi. super missus est. Homili. 2.

seduxit, & postmodum virum per fœminam vicit: ita prius à fœmina virgine seduceretur: & pòst à viro Christo apertè debellaretur, quatenus malitiæ fraudi, dum ars pietatis illuderet, ac magni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus, & prudentior appareret & fortior. Ita quippe decuit incarnatam sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solùm attingeret à fine vsque ad finem fortiter: sed disponeret omnia suauiter. Attingit autem à fine vsq; ad finem id est, à cælo vsque ad infernum, vtrobiq; verò fortiter, quando & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliauit auarum. Conueniens ergo erat, vt suauiter quoque omnia cœlestia, scilicet & terrena disponeret, quatenus & illic deijciens inquietum, reliquos in pace firmaret. Et huc debellaturus inuidum nobis prius suæ humilitatis & mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret. Sicq; mirabili fieret moderamine sapientiæ, vt & suis suauis & hostibus fortis appareret.

De spiritu sancto & multiplici opere ipsius.

Cap. XIIII.

In ser. de penteco. PAter spiritus, filius spiritus, spiritus sanctus spiritus est. Spiritus tamen sanctus

sanctus quasi specialiter spiritus dicitur: quia ab vtroque procedit firmissimum & indissolubile vinculum trinitatis tãquàm propriè factus: quòd sit donum patris & filij, omnem sanctificans creaturam, quamuis pater quoque & spiritus & sanctus. Item filius & spiritus & sanctus sit. Dulcissimum enim quoddam in Deo spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. De spiritu sancto testatur scriptura, quia procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis. Vnde & quo. Vnde? à patre & filio. Quo? Ad creaturam. Processio à patre & filio, posuit tenebras latibulum suum. Sed processio ad homines, iam est fidelibus manifesta. Et prius quidem, quoniam sic oportebat, signis visibilibus inuisibilis spiritus, suum declarabat aduẽtum: nunc eius signa quò spiritualiora sunt, magis eò congrua, magis eo videntur spiritu sancto digna. Procedendo prædestinat, spirando vocat, quos prædestinauit. Inhabitando iustificat, quos vocauit: replendo accumulat meritis, quos iustificauit. Glorificando ditat præmijs, quos accumulauit meritis. Spiritus sanctus odit sordes, nec habitare potest in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est

Cuius ministerium est,

Quam liberter vobis comunic.

Inquibus. senten.

In. 1. serm de pen.

In serm. 3 de pente.

peccata repellere, ipsi & proprium est
In serm. de pēteco. peccata odire: nec in vno domicilio pa-
riter morabuntur tanta mundicia & im-
mundicia tanta. Per quam sicut pater &
Sermo. 2. de pente. filius vnum sunt, sic & nos vnum sumus
in ipsis. Spiritus iste super apostolos in
igne apparuit, propter lucem pariter
& ardorem. Quos enim repleuerit, &
spiritu feruere, & in veritate cogno-
Serm. 3. de pentec. scere facit: quia sola misericordia est,
qui eos præuenit & perducit. Ipse est,
qui sedere facit in domo vna, qui ha-
bitare facit vnius moris in domo, vt
sedeat super sedentes, & requiescat su-
per humiles & trementes sermones
suos. Ipse est qui virgini obumbrauit,
apostolos roborauit, vt & virgineo
corpori compararet deitatis accessum,
& apostolos indueret virtute ex alto fer-
uentissima, scilicet charitate. ser. primo ali
bi. de pente. Denique ipse est in quo cla-
mamus, Abba pater. Ipse qui postulat
pro sanctis gemitibus inenarrabilibus,
& hoc quidem in corde nostro. Quid au-
tem in patris? Sicut in nobis interpel-
lat pro nobis, ita in patre delicta donat
cum ipso patre. Aduocatus noster ad pa-
trē in cordibus nostris, dominus noster
in corde patris. Itaque quod postulamus,

idem

idem ipse donat qui donat, vt postule-
mus: & sicut nos erigit pia quadam fidu-
cia: ita Deum declinat ad nos magis ma-
gna misericordia sua. Porrò ad facien-
dum bonum, quod in nobis bonus spi-
ritus operatur, profectò monet, & docet.
Mouet memoriam, rationem docet, mo-
uet voluntatem. In his enim tribus con-
sistit anima nostra. Memoriæ suggerit bo
na in cogitationibus sanctis: atque ita
ignauiam nostram torporémque repel-
lit. Propterea quotiens huiusmodi sug-
gestionem boni senseris in corde, da ho-
norem Deo, & habe reuerentiam spiri-
rituisancto: cuius vox sonat in auribus
tuis. Ipse nanque est qui loquitur iusti-
tiam. Dixeram, quia docet rationem.
Multi siquidem mouentur, vt bene fa-
ciant: sed minimè sciunt, quid agendum
sit, nisi adsit denuò gratia spiritus: &
quam inspirat cogitationem doceat in
opus proferre: ne vacua sit in nobis gra-
tia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & non
facienti, peccatum est illi. Propterea non
solùm moneri & doceri, verumetiā mo-
ueri & affici ab bonum necesse est. Ab eo
vtiq; spiritu, qui adiuuat infirmitatem no
stram, & per quē in cordibus nostris dif-
funditur charitas, quæ est bona volūtas.

Spiri

Spiritussanctus charitas & benignitas est, in qua prædestinati sumus ab æterno. Spiritussanctus remissionem peccatorũ operatur. Facit solicitũ ambulare cum Deo: scrutatur profunda peccatorũ nostrorũ: discretor cogitationum & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere: sed statim igne subtilissimæ circunspectionis exurit spiritus dulcis & suauis, qui nostram voluntatem erigat & dirigat ad suam, vt eam & veraciter intelligere, & feruenter diligere, & efficaciter implere possimus.

In ser. de vigilia natiuita. domini.

In primo ser. de pẽt.

In ser. 2. vbi suprà.

Quod non semper eodem modo sit Spiritussanctus in viris spiritualibus, sed modo veniat, modo redeat. Cap. XV.

VEnit & vadit, prout vult Spiritussanctus: & nemo facilè scit vnde veniat, vel quò vadat. At istud sine damno fortasse salutis nescire licet: cæterum, quando veniat, vel quando vadat, id planè periculosissimè ignoratur. Quum hæ spiritussancti circa nos dispensatorię quidem vicissitudines vigilantissimè non obseruantur, fit vt nec absentem desideres, nec præsentem glorifices. Nempe qui idcirco recedit, vt auidus requiratur: quónam modo si abesse nescitur, requiri

Super cã. serm. 17.

quiritur? Et rursum qui dignanter ad hoc redit, vt consoletur: qualiter dignè pro sua maiestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo quæ ignorat absessum, patet seductioni, & quem reditum non obseruat, erit ingrata visitationi. Nunquam ergo sine nostra conscientia, magistra vnctio, quę docet de omnibus, tollatur à nobis, nunquam cùm venerit, inueniat imparatos: sed semper vultus suspensos, expansósque habentes sinus, ad largam Domini benedictionẽ. Vigilandum proinde omni hora, quia nescimus qua hora spiritus venturus sit, seu iterum abiturus. It & redit spiritus. Et qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est; sed non collidetur: quia dominus rursum supponit manum suam. Et has alternare vices in his, qui spiritales sunt, non cessat. Denique septies cadit iustus, & septies resurgit: si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat: & resurgere cupiat & requirat manum adiuuantis. Itaque qui spiritu ambulat, nequaquam permanet in vno statu, nec eadem semper facilitate proficit, & non est in homine via eius, sed quemadmodum ei spiritus moderator dispensat, prout vult, nunc segnius, nunc alacrius quæ re-

Super cã. sermo. 21.

tro

tro sunt, obliuiscitur, & ad anteriora se extendit. Ergo quum te torpore, accidia, vel tedio affici sentis, noli propterea diffidere aut desistere à studio spirituali, sed iuuantis require manum, trahi te obsecrans: donec denuò suscitante gratia factus promptior alacriórq; curras. Sic autem quandiu adest gratia, delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere posses: ne subitò quum fortè retraxerit manum, & subtraxerit donum, in animo concidas, & tristior fias quàm oportet. Curabis potius pro consilio sapientis in die malorum non immemor esse bonorum: atque in die bonorum non immemor esse malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum, & dic: Quum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Porrò in tempore tentationis consolare, & dic, Trahe me post te. Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono prouidentia deerit, erisque inter aduersa & prospera tenens quã dam æternitatis imaginem vtique hanc inuiolabilem & inconcussam constantis animæ qualitatem: benedicens Dominum in omni tempore.

De

De multiplicitate spiritus.

Caput XVI.

VEre multiplex spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Siquidem conceditur eis ad vsum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad feruorem. Ad vsum quidem vitæ bonis & malis: dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuens: ita vt videatur hic discretionis limitem non tenere. Ingratus est, qui in his quoque beneficium spiritus non agnoscit: Ad miraculum, in signis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur. Ipse est antiqua miracula suscitans, vt ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria vtilitate largitur, tertiò infunditur ad salutem: quum in toto corde nostro reuertimur ad dominum Deum nostrum. Porrò ad auxilium datur, quum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem nostram. Nam quum testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam

In tertio sermone de Pente. qui incipit, Quam libenter velit.

ad

ad feruorem, quum in cordibus perfectorum vehementius ſpirans, validum ignem charitatis accendit: vt non ſolùm in ſpe filiorem Dei, ſed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes: opprobrium gaudium: deſpectionem, exaltationem. Pauci ſunt qui hoc ſpiritu repleantur, pauci qui ſtudeant æmulari. Contenti ſumus anguſtiis noſtris, nec reſpirare in libertatem illam, non ſaltem ad eam reſpirare conamur. Inuocemus ſpiritum viuificatorem & adiutorem, Confidentes quia dabit ipſe pater, qui in cælis eſt, ſpiritum bonum petentibus ſe. Oremus, vt dignos nos inueniat, vel potius efficiat quatenus veniat ad nos, & apud nos faciat manſionem. De Pentecoſt ſermone tertio, ad laudem & gloriam Ieſu Chriſti domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.

De aſcenſione Domini ſermo. 3

De quærendo Deo. *Cap.* XVII.

Supercăt. ſermo. 84

MAgnum bonum, quærere Deum. Ego hoc nulli in bonis animæ ſecundum exiſtimo. Primum in donis, vltimum in profectibus eſt. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit? Cui ſe dat, quæ omnium magis conſummatio eſt? Quæ enim virtus

tus aſcribi poſſit non quærenti Deum: aut quis terminus quærenti Deum? Non pedū paſſibus, ſed deſideriis quæritur Deus. Et vtique non extinguit deſiderium ſanctum felix inuentio: ſed extendit. Nunquid conſummatio gaudij deſiderij conſumptio eſt? Oleum magis eſt illi. Nam ipſum flamma. Sic eſt. Adimplebitur lætitia, ſed deſiderij non erit finis, ac per hoc nec quærendi. Tu ergo cogita, ſi potes, quæritandi hoc ſtudium, ſine indigentia, & deſiderium ſine anxietate. Alterum profectò præſentia, alterum copia excludit.

De aduentu Domini ſpirituali.

Cap. XVIII.

In ſermo. de aduentu Domini. Cuius initium eſt, Hodie fratres.

SIcut ad operandam ſalutem in medio terræ ſemel venit in carne viſibilis Deus: ita quotidie ad ſaluandas animas ſingulorum in ſpiritu venit & inuiſibilis. Propterea dignum eſt, vt ſi non valet infirmus in occurſum tanti Medici procedere longius, ſaltem conetur erigere caput, & aliquatenus aſſurgere venienti. Non te oportet, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis, inquam, tibi oſtēditur via, tantùm vſq; ad temetipſum occurre Deo tuo: quoniam

De ſex circunſtătiis.

prope est verbum in ore tuo: & in corde tuo vsque ad cordis compũctionem, & oris confessionem occurre: vt saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ: quoniam indignum est illuc autorem puritatis intrare. Et hæc quidem de eo aduentu sunt dicta, quo singulorum mentes inuisibili dignatur illustrare præsentia. Triplicem enim eius aduentum nouimus: ad homines, in homines, contra homines. Ad homines quidem indifferenter, non autem ita in homines, aut contra homines: primus & tertius noti sunt, vtpote manifesti. Secundus spiritalis & occultus est. In quo delectabiliter dormiunt qui eum norũt. In priore quidem in terris visus est: & cum hominibus conuersatus est. In posteriore verò videbit omnis caro salutare Dei nostri. Medius occultus est, in quo soli eum in seipsis vident electi, & saluæ fiunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne & in infirmitate. In hoc medio in spiritu & virtute, in vltimo in gloria & maiestate. Per virtutem enim peruenitur ad gloriam, quia dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Aduentus siquidem iste medius, via quædam est, per quam à primo veniatur ad vltimũ. In primo Christus fuit

In sermo. 3. de aduẽtu.

In sermo. 5. de aduẽtu.

fuit redemptio nostra: in vltimo apparebit vita nostra: in isto requies & consolatio nostra. Ad singulos ad omnes communiter venit, in misericordia & veritate. Vbi enim iam multa fuerit de miseratione præsumptio, sed obliuio veritatis, non continuò ibi Deus. Sed neque vbi terror multus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria misericordiæ consolatio. Nam neq; veritatem tenet, qui misericordiam vbi verè est nõ agnoscit: nec vera esse sine veritate misericordia potest. Itaque, vbi misericordia & veritas obuiauerunt sibi, ibi sese iustitia & pax osculantur: nec abesse hic potest, cuius in pace factus est locus.

Super psalmum, Qui habitat. sermo. 11.

Quomodo prænosci potest aduentus siue visitatio Domini. Cap. XIX.

VEnit Dominus, accelerat, appropiat, adest, respicit, alloquitur. Venit affectu & studio miserendi. Accelerat subueniendi zelo. Appropiat humiliando semetipsum. Adest præsentibus, prospicit in futuros, loquitur docens & suadens de regno Dei. Sic ergo est aduentus sponsi benedictiones & diuitiæ salutis cum eo: & vniuersa quæ de ipso sunt, affluunt delitiis: redundantia certè iocundis ac salutaribus sacramentis.

Super cã. sermo. 57.

Porrò, quæ amat, vigilat & obseruat: & beatam quam Dominus inuenerit vigilantem. Non transibit illam, nec prætèribit ab ea: sed stabit & loquetur ei: loquetúrque amatoria: loquetur siquidem vt dilectus. Quis putas in nobis est adeò vigilans & obseruans tempus visitationis suæ, sponsúmque aduenientem ita per singula eius momenta diligenter explorans, vt quum venerit, & pulsauerit, confestim aperiat ei? Dico ego cui ex officio loqui necesse est, nec tacere licet, quicquid illud est quod de huiusmodi: vel meo, vel alieno teneo experimento: & quod facilè experiri plures queunt. Si igitur admonitus fuero foris ab homine, vel intus à spiritu de tuenda iustitia, & seruanda æquitate, istiusmodi salutaris suasio erit mihi profectò prænuncia imminentis aduẽtus sponsi: & præparatio quędam ad dignè suscipiendum supernum visitatorem. Nihilominus verò spes eadem arridebit, si sermo insonuerit de humilitate vel patientia: seu etiam de fraterna dilectione & obedientia deferenda prælatis: maximè autem de sectanda sanctimonia & pace, & cordis puritate quærenda. Quicquid itaque, siue de his, siue de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo

animo fuerit, significatio erit mihi visitationem Domini virtutum imminere animæ meæ. Sed & si corripuerit me iustus in misericordia, & increpauerit me, idipsum sentiam: sciens quia æmulatio iusti, & beneuolentia iter faciunt ei, qui ascendit super occasum. Bonus occasus quum ad correptionem iusti stat homo, & corruit vitium, & Dominus ascendit super illud, conculcans illud pedibus, & conterens ne resurgat. Non ergo contemnenda est increpatio iusti, quæ ruina peccati, cordis sanitas est, nécnon Dei via ad animam. Sed nec vllus omnino sermo qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus: quoniam & illic iter quo ostenditur illi salutare Dei. Quòd si sermo gratus venit, & placitus, quatenus pulso fastidio, cum desiderio audiatur, iam non modò venire sponsus, sed accelerare, id est, cum desiderio venire credendus est. Illius nanque desiderium tuum creat, & quòd tu eius properas sermonem admittere, inde est quòd ipse festinat intrare. Iam si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam vri in recordatione peccati, recordare de quo scriptura dicit: Quia ignis ante eum præcedet:

& ipsum propè esse non dubites. Deniq; iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde. Si verò non solùm compungeris in sermone illo, sed & conuerteris totus ad dominum iurans & statuens custodire iudicia iustitię eius, etiam adesse ipsum iam noueris, præsertim si te inardescere sentias amore eius. Etenim vtrunq; de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum præcedere: & ipsum nihilominus ignem esse. Differunt tamẽ quòd is qui præmittitur, ignis ardorem habet non amorem: coquens non excoquens: mouens non promouens. Tantùm ad excitandũ præmittitur & præparãdum, simulq; ad commonendum quid ex te sis: quo dulcius sapias postmodum, quòd ex Deo mox eris. At verò, ignis qui Deus est, consumit quidem sed non affligit. Ardet suauiter, desolatur feliciter. Est enim carbo verè desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, dominum præsentem intellige: nam dextera domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ excelsi, nisi in feruore spiritus: & in charitate non ficta. Porrò hoc igne consumpta omni labe peccati & rubigine

ne vitiorum, si iam emundata ac serenata conscientia sequatur subita quædam atque insolita, latitudo mentis & infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam scripturarum vel notitiam mysteriorum: quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari: oculus absque dubio respicientis est iste: educens quasi lumen iustitiam tuam: & iudicium tuum tanquã meridiem. Sed sanè non per ostia aperta, sed per angusta foramina: is tantę claritatis radius se infundet, stante adhuc duntaxat hoc ruinoso pariete corporis. Erras, si aliter speras, ad quantamcunque cordis proficias puritatem. Post hunc tantæ miserationis respectum sequitur vox blandè & leniter diuinam insinuans voluntatem: quod non est aliud quàm ipse amor, qui ociosus esse non potest: de his quæ Dei sunt solicitans & suadens.

Quomodo perfectè vnitur anima cum Deo. Cap. XX.

BOnus paterfamiliãs domin', qui suorum domesticorum curam gerit: maximè in diebus malis, vt alat eos in fame, cibans illos pane vitæ & intellectus: & sic *Super cãt. sermo. 71*

nutriens ad vitam æternam. At pascēs ita, nihilominus pascitur & ipse: & quidem escis quibus libenter vescitur profectibus nostris. Etenim gaudium domini fortitudo nostra. Ita ergo & cùm pascit pascitur: & pascitur cùm pascit: simul nos suo gaudio spiritali reficiens: & de nostro æquè spiritali profectu gaudens. Cibus eius pœnitentia mea: cibus eius salus mea: cibus eius egoipse. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum vt manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm instruor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor: vnior cum conformor. Nolite mirari hoc, & manducat nos & mãducatur à nobis: quò arctius illi astringamur. Non sanè aliâs perfectè vnimur illi. Etenim si manduco & non manducor, videbitur in me ille esse: sed nondum in illo ego. Quòd si manducor, quidē nec manduco: me in se habere ille, sed non in me etiam esse videbitur: nec erit perfecta vnio in vno quouis horũ. Sed enim manducet me, vt habeat me in se: & à me vicissim manducetur vt sit in me: quatenus integra sit firmaq; connexio: cùm ego in eo, & ipse in me erit. Vis tibi per simile ostendã quod dicitur? Attolle oculos nũo

in quandam sublimiorem quidem conuenientiam, similem tamen huic. Si ipse filius in patre ita esset, vt non tamen in ipso esset pater: aut ita pater in ipso esset, vt non esset ipse in patre. Audeo dicere, & ipsorum citra perfectum vnitas remaneret, si tamen iam vnitas esset. Nunc verò cũ & ipse in patre & pater in ipso sit, non est quo claudicet vnitas: sed verè & rotundè vnum sunt ipse & pater. Sic igitur anima cui adhærere Deo bonum est, non ante se existimet ipsi perfectè vnitam: nisi cùm & illum in se, & se in illo manentem persenserit.

Quæ sit differentia inter vnitatem illam, qua pater & filius vnum sunt, & illam qua adhærens Deo anima vnus spiritus est. Cap. xxi.

NOn sic vnum dicitur anima cum Deo: sicut vnum sunt pater & filius: quamuis qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Legi hoc, illud non legi. Non dico de me qui nihil sum, sed nemo planè nisi demens siue de terra, siue de cælo, vsurpabit sibi illam vnigeniti vocem: Ego & pater vnum sumus. Et tamen ego licet puluis & cinis minimè *Super cãt. sermo. 71.*

illud verear dicere: quia vnus cum Deo spiritus sum: si vnquam tamen certis persuasus fuero experimentis Deo me adhærere: ad instar vnius illorum qui in charitate manent: ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis. Nam de tali adhæsione puto dictum: qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Quid ergo? Dicit filius: Ego in patre & pater in me est: & vnum sumus. Dicit homo: ego in Deo, & Deus in me est: & vnus spiritus sumus. Sed nunquid pater & filius, vt sint in inuicem, ac perinde vnum inuicem se manducant: sicut Deus & homo mutua se quadam in sese manducatione trajciunt: vt per hoc etsi non vnum certe vnus spiritus sint? Absit. Nec enim vno modo insunt sibi hi atque illi: sed neque vna vnitas vtrorumque. Denique innuitur vnitatum diuersitas per vnus & vnum: quoniam nec patri & filio vnus, nec homini & Deo vnum poterit conuenire. Illic quidem per vnum vnitas substantiæ vel naturæ: hic verò per vnus æquè vnitas: sed ideo longè altera, quia inter substantias & naturas. Homini nempe & Deo sua cuique & natura & substantia est: cùm patris & filij constet penitus esse vnam. Vides illam nec vnitatem esse, si quid

si quidem huic singulari summæque vnitati comparetur. Nam quomodo vnitas, vbi numerus naturarum & substantiarum diuersitas? Et tamen vnus spiritus dicitur, & est cum Deo anima adhærens Deo: nec præiudicat rerum pluralitas vnitati huic, quam facit, non confusio naturarum: sed voluntatum consensio. Propter hanc quoq; multa corda vnum: & multæ animæ vna dicuntur: sicut scriptum est. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Et hæc ergo vnitas. Cæterùm quid ad illam, quæ non vnitione constat, sed extat æternitate? Non planè illam quædam instar huius mutua manducatio facit: quia nec fit. Est enim. Sed nec coniunctio naturarum seu essentiarum voluntatúmve consensio constituit eam: quia coniunctio vel consensus, vel casus compositio, vel tale aliquid vnius non est. Est autem patri filioque natura essentia: voluntas non modò vna sed vnum. Hoc nempe est illis esse, quòd naturam esse: Hoc velle quod esse, vel naturam esse. Non est itaque quòd vnitas quæ vnum sunt pater & filius, dicatur fieri de naturis vel essentijs vel voluntatibus: quia vnum sunt: non est quòd dicatur vel fieri: quia est.

Nec

Nec enim factitia est, sed natiua. Sunt in sese pater & filius, non solùm ineffabili, sed etiam incomprehensibili modo suiipsorum capabiles pariter & capaces: sed sanè ita capabiles vt non participabiles: ita capaces vt non participes. Est pater in filio, in quo semper sibi bene complacuit: & est filius in patre, à quo vt nunquam non natus: ita nunquam est separatus. Porrò per charitatem homo in Deo, & Deus in homine est. Sed homo quidem ab æterno in Deo tanquam ab æterno dilectus: qui tamen ex illis sit qui dicunt: quia dilexit & gratificauit nos in dilecto filio suo ante mundi constitutionem Deus verò in homine, ex quo dilectus ab homine. Etsi ita est homo quidem in Deo est: & quando in homine Deus non est, Deus autem in homine non est qui non sit in Deo. Manere enim in dilectione non potest: etsi forsitan ad tempus diligat non dilectus: potest autem nondum diligere etiam dilectus. Porrò, cùm iam diligit qui diligebatur, homo in Deo, & Deus in homine est. Qui autem nunquam diligit, nunquam dilectus est: ac per hoc nec ipse in Deo: nec Deus in eo est. Hæc dicta sint ad dandam differentiam inter illam

illam connexionem, qua pater & filius vnum sunt, & illam qua adhærens Deo vnus spiritus est: ne fortè quia legitur de homine manente in charitate, quia in Deo manet & Deus in eo, & item de filio, quòd nihilominus in patre sit, & pater in ipso par putaretur adoptati prærogatiua; & vnigeniti vnitio.

De visione illa qua videndus est Deus in futuro sicut est. Cap. XXII.

VIsio futura stat: quia forma stat, quæ tunc videtur. Est enim, nec vllam capit ex eo quod fuit vel erit, mutationem. Tolle, nempe fuit & erit: vnde iam transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio? At quicquid veniens ex eo quod fuit, non cessat tendere in id quod erit: transitum sanè habet per est, sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde verè est, quod nec adsuit præscinditur, nec aberit expungitur: sed solum & inexpugnabile remanet ei est, & manet quod est. Nec fuit sanè, tollit illi esse ab æterno: nec erit esse in æternum, ac per hoc sibi vendicat sibi verum

Supercăt. sermo. 31.

verum esse, id est increabile, interminabile, inuariabile. Cùm ergo ipse qui sic est, imò qui non sic, aut sic est, videtur sicuti est: stat, vt dixi, illa visio: quia nulla eam interpollat vicissitudo. Et tunc ille de euangelio vnus omnibus, qui sic vident, denarius redditur in vnam speciem quæ offertur. Nam & quod apparet, vt inuariabile in se est: ita inuariabiliter intuentibus præsto est: & quibus apparet nil videre desiderabilius volunt, nil delectabilius possunt. Quando ergo illa vel fastidiet auiditas, vel se subtrahet suauitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quis si inæternum extenditur videndi copia & voluntas, quomodo non plena felicitas? Nil quippe aut deest iam semper videntibus, aut supereſt semper volentibus. At talis visio non est vitæ præsentis, sed in nouissimis reseruatur.

Quis non potest videri in hac vita sicuti est.
Cap. XXIII.

Super cât. sermo. 31. STudiosis mentibus Deus frequenter apparet, & non sub vna specie. Quid ita? Profectò quoniam nondum videtur sicuti est. Et nunc quidem apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens

piens, non sanctus, non propheta, videre illum sicuti est, potest: aut potuit in corpore hoc mortali: poterit autem in immortali qui dignus habebitur. Itaque videtur & hic, sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est. Nam neque solem, quem quotidie vides, vidisti, tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat: verbi causa aërem, montem, parietem. Quod ne ipsum quidem aliquantenus posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam vtique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus, si conturbatus fuerit, lumini propinquabit: nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus nullatenus serenum solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem: profectò si pari prorsus puritate vigeret, videret omnino inoffensa acie eum sicuti est propter omnimodam similitudinem. Ita & solem iustitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo, sicuti illuminat illuminatus potest: tanquam iam in aliquo similis

sicuti

sicuti est omnino non potest, tanquam non perfectè similis. Porrò iam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est: & aliqua dissimilitudine non confundi.

De diuersis modis visionum Dei. Cap. XXIIII.

Super Cãt. sermo. 31.

TAnta hæc formarum varietas atque numerositas specierũ in rebus conditis: quid nisi radij sunt Deitatis, monstrantes quidem, quia verè sit à quo sunt: non tamen diffinientes prorsus quid sit, ita quòd de ipso sint vides, sed nõ ipsum. Cùm autem de eo quem non vides cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere: vt inquirentem non fraudet gratia: negligẽtem ignorantia non excuset. Verùm hoc genus videdi commune. In promptu enim est, iuxta Apostolum omni vtenti ratione, inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere. Alius proculdubio modus ille, quo quondam patribus crebra illa atque ambitiosa diuinæ præsentiæ familiaritas dignantur, indulta est, quãquam nec ipsis sicuti est, sed sicut dignata est: nec vno modo

modo, sed vt Apostolus ait. Multifariè multisque modis: cùm ipse in se sit vnus. Et hæc demonstratio non quidem communis, sed tamen foris facta est: nimirum exhibita per imagines extrinsecus apparentes, seu voces sonãtes. Sed est diuina inspectio eò differentior ab his, quò interior, cùm per seipsum dignatur inuisere Deus animã quærentem se, quæ tamen ad quærendum se toto desiderio ex amore deuouit. Hoc signũ istiusmodi aduentus eius, sicut ab eo qui expertus est, edocemur. Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius. Oportet nãque vt sancti desiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animam, ad quam ipse est venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locũ domino. Et tũc sciet anima quoniam propre est dominus, cùm se senserit illo igne succensam. Non ergo sic affecta & sic dilecta contenta erit omnino, vel illa quæ multis per ea quæ facta sunt: vel illa quæ paucis per visa & somnia facta est manifestatio spõsi, nisi & speciali prærogatiua intimis illũ affectibus atque ipsis medullis cordis cælitus illapsum susciпiat, habeátque præsto quem desiderat: non figuratum sed infusum: non apparentẽ, sed afficientem: nec dubium quin eo iocundio-

rem quo intus non foris. Verbum nempe est non sonans sed penetrans: non loquax sed efficax: non obstrepens auribus sed blándiens affectibus. Facies est non formatas, sed formans: non perstringens oculos corporis sed lætificans faciem cordis: grata quippe amoris munere non colore. Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est: quamuis non omnino aliud hoc modo exhibeat quàm quod est. Neque enim vel sic continuè præsto erit, quamuis deuotissimis mentibus: sed nec vniformiter omnibus. Oportet nanque pro variis animæ desideriis diuinæ gustum præsentiæ variari: & infusum saporem supernæ dulcedinis diuersa appetentis animi aliter atque aliter obledare palatum.

Cui vel quali animæ Deus apparere solet.

CAP. XXV.

Sup. can. sect. xxxi.

SPiritus est Deus, & concupiscit decorē illius animæ quam fortè aduerterit in spiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in desiderio, præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Tali animæ suspiranti frequenter, imò sine intermissione oranti & afflictanti se præ desiderio, interdum

terdum desideratus ille miseratus occurrit. Ergo si quis est ita desiderij vir, vt cupiat dissolui & esse cum Christo: cupiat autē vehementer, ardenter fitiat, assidue meditetur: is profectò suscipiet Deum. Siquidē desiderium cordis eius tribuetur ei: & si adhuc peregrinanti in corpore. Ex parte tamen id que ad tempus, & tempus modicum. Nam cū vigiliis & obsecrationibus, & multo labore & imbre lachrimarum quæsitus affuerit: subitò dum teneri putabitur elabitur. Et rursum lachrimanti & insectanti occurrens comprehēdi patitur: sed minimè teneri dum subito iterum quasi é manibus auolat. Et si institerit precibus & fletibus, deuota anima denuò reuertetur: & voluntate labiorum eius non fraudabit eam. Sed rursum mox disparebit, & non videbitur iterum, nisi toto desiderio requiratur. Ita ergo & in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia: quia & sic visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Nec tamen vel in transitu sic præsto erit omni animæ, nisi illi duntaxat quam ingens deuotio & desiderium vehemēs, & præduleis affectus spōsam probat & dignā ad quam gratia visitandi accessurum verbum decorem induat, formam sponsi accipiens.

Vbi supra ser. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd magni fide, magna & sublimia de supernis mereantur videre.

CAP. XXVI.

Super cãt serm. 32.

MAgni patris familias seu regiæ maiestatis schema apparere existimo, his, qui accedentes ad eor altum de maioris spiritus libertate & puritate conscientiæ magnanimiores facti cõsueuerunt audere maiora: inquieti prorsus & curiosi secreta penetrare, apprehendere sublimiora, & tentare perfectiora: non modo sensuum, sed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur, qui iudicantur in omnem plenitudinem: nec est omnino locus in omnibus apothecis sapientiæ: à quo Deus scientiarum dominus arcendos censeat cupidos veritatis, vanitatis nõ conscios. Tales itaque magna audent: quia magni sunt. & quæ audent obtinent, Magna siquidem fides magna meretur. Igitur istiusmodi magnis spiritibus, magnus occurret spiritus: & magnificabit facere cum eis: emittens lucem suam & veritatem suam: eósque adducens & deducens in montem sanctum suum & in tabernacula sua. Regem in decore suo videbunt oculi eius, qui huiusmodi est: præeuntem se

se ad speciosa desetti, ad flores rosarum, & lilia conualium: ad amœna hortorum & irrigua fontium: ad delicias cellariorum, & odoramenta aromatum: postremò ad ipsa secreta cubiculi. Isti sunt thesauri sapientiæ & scientiæ penes sponsum absconditi. Hæc vitæ pascua præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis. Hoc solùm admonitus sit: ne solus habere velit, quæ possunt sufficere plutibus.

De vicissitudinibus Dei euntis & redeuntis in animã.

CAP. XXVII.

Super cã serm. 74

DIcamus verbum Dei, Deum sponsum animæ prout vult, & venire ad animam, & iterum dimitrere eam: tantum vt sensu animæ, non motu verbi ista fieri sentiamus. Verbi causa. Cùm sentit gratiam, agnoscit præsentiam: cùm non, absentiam quærit: & rursum præsentiam quærit. Quidni requirat? Neque enim subducto sibi tam dulci sponso, interim aliquid aliud non dico desiderare, sed nec cogitare libebit. Restat igitur vt absentem studiosè requirat, reuocet abeuntem. Ita ergo

reuocatur verbum: & reuocatur desiderio animæ, sed eius animæ, cuius semel indulserit suauitatem sui. Nunquid non desiderium vox? Et valida. Verbo igitur abeunte vna interim & continua vox animæ, cõtinuũm desiderium eius tanquam vnum, continuúmque reuertere, donec veniat. Et fortè ideo subtraxit se, quò auidius reuocaretur, tenetur fortius. Nam & aliquando simulabat se longius ire: non quia hoc volebat, sed magis volebat audire. Mane nobiscum, quoniam aduesperascit. Ergo istiusmodi piam simulationem imò salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Deus exhibuit, non cessat identidem modo suo spiritali cum deuota sibi anima sedulo actitare. Præteriens teneri vult, abiés reuocari. Neque enim hoc irreuocabile verbum. It & redit pro beneplacito suo: quasi visitans diluculo, & subitò probans. Et ire quidem illi quadammodo dispensatorium: redire verò semper voluntarium est. vtrumque autem plenum iudicii. At penes ipsum horum ratio. Nunc verò constat in anima fieri huiuscemodi vicissitudines euntis & redeuntis verbi. Volo dicere quomodo mecum agitur. in eiusmodi. Non expedit quidem. Sed prodar vt profim. Fateor & mihi aduentasse verbum in insi

sipientia dico: & pluries. Cúmque sæpius intrauerit ad me, non sensi aliquoties cùm intrauit. Adesse sensi: affuisse recordor: interdum & præsentire potui introitum eius: sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam vnde in animam meam venerit, quóve abierit denuò eam dimittens: sed & quà introierit vel exierit: etiam nunc ignorare me fateor. Sanè per oculos non intrauit: quia non est coloratum: sed neque per aures, quia nõ sonuit: sed neque per nares, quia non aëri miscetur, sed menti, nec infecit aërem sed fecit, neque verò per fauces: quia non est mansum vel haustum, nec per tactum comperi illud: quia palpabile non est. Quà igitur introiuit. An fortè nec introiuit quidem: quia non de foris venit? Neque enim est vnum aliquid ex his, quæ foris sunt. Porro nec de intro me venit. quia bonum est: & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum: & ecce supra hoc verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominus infra inuentum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si intus, & ipsum interius erat. Et cognoui quidem verum esse quod legeram: quia in ipso viuimus, mouemur & sumus: sed ille beatus est, in quo

ipsum est: qui illi viuit, eo mouetur: Quæris igitur, cùm ita sint omnino inuestigabiles viæ eius: vnde adesse norim? Viuum & efficax est, mòsque vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meam: mouit & emolliuit: & vulnerauit cor meum: quoniam durum lapideúmque erat: & malè sanum. Cœpitque euellere & destruere, ædificare & plantare: rigare arida: tenebrosa illuminare: clausa reserare: frigida inflammare: necnon & mittere praua in directa: & asperam vias planas: ita vt benediceret anima mea domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Ita igitur intrans ad me aliquoties verbum, sponsus, nullus vnquam introitum suum iudiciis innotescere fecit: non voce, non specie, non incessu. Nullis denique suis motibus compertum est mihi: nullis meis sensibus illapsum penetralibus meis: tantum ex motu cordis, sicut præfatus sum intellexi præsentiam eius, & ex fuga vitiorum carnaliúmque compressione affectuum aduerti potentiam virtutis eius: & ex discussione siue redargutione occultorum meorum, admiratus sum profunditatem sapientiæ eius: & ex quantulacumque emendatione morum meorum, expertus sum boniratem mansuetudinis eius: & ex reformatione ac renouatione

tione spiritus mentis meæ, id est, interioris hominis mei: precepi vtcunque speciem decoris eius, & ex cõtuitu horum omnium simul expaui multitudinem magnitudinis eius. Verum quia hæc omnia vbi abscesserit verbum, quodam illico languore torpentia perinde iacere incipiunt: acsi cacabo bullienti subtraxeris ignem: & hoc mihi signum absessionis eius. Tristis sit necesse est anima mea, donec iterum reuertatur: & solitò recalescat cor meum intrame: idque sit reuersionis indicium. Familiare mihi erit quoad vixero pro verbi reuocatione reuocationis verbum: quod vtique reuertere est. Et quoties elabetur, toties repetetur à me: nec cessabo clamitare, quasi post tergum abeuntis ardenti desiderio cordis, vt redeat & reddat mihi lætitiam salutaris sui: reddat mihi seipsum. Fateor filij nihil interim libet: dum non præsto est, quod solum libet.

Quòd absque veritate simul & gratia non est plena & iocunda visitatio Dei

CAP. XXVIII.

VTraque res necessaria mihi, & veritas quidem cui abscondi non posimi: *Super cãt. erm. 24.*

gratia autem cui nolim: Alioquin sine alterutra visitatio plena non erit: cùm & illius seueritas absque hac onerosa, & huius hylaritas absque illa dissoluta possit videri. Amara est veritas sine condimento gratiæ: sicut absque veritatis fræno leuis & nescies modum, plerumque & insolens ipsa deuotio. Quàm multis non profuit gratiam percepisse: pro eo quòd temperamentum de veritate pariter non acceperunt. Ex hoc enim plus quàm oportuit complacuere sibi in ea, dum veriti non sunt veritatis obtutus: dum non respexerunt ad maturitatem, magis autem se totos leuitati hylaritatique dederunt. Inde factum est, vt in qua priuatim exultare voluerunt, gratia priuarentur: quibus vel serò dici potuerit. Euntes ergo discite quid sit: seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Ergo non in sola gratia plenitudo gratiæ est: sed ne in sola quidem veritate. Quid prodest scire, quid te oporteat facere, si non detur & bene facere? Quid si velis quidem, sed minime possis? Quantos expertus sum agnita veritate tristiores? & ideo magis quòd iam confugere ad ignorātiæ excusationem non liceret scientes & non facientes quod veritas hortaretur. Quæ cùm ita se habeant, neutrum

neutrum sine altero sufficit. Et quidem penes sponsum vtraque res. Denique gratia & veritas per Iesum Christum facta est, ait Ioannes baptista. Si ergo cum vna quauis harum sine altera pulsauerit ad ostium meū dominus Iesus, ipse est enim verbum Dei, animæ sponsus: intrabit sanè, non tāquam sponsus, sed tanquam iudex. Absit, ne quaquam fiat hoc. Non intret in iudicium cum seruo suo Intret pacificus: Inter iocundus & hylaris. Maturus tamen & serius intret, qui sæueriori quodam veritatis vultu in me dum insolentiam reprimit purget lætitiam. Intret saliens: Intret circunspectus, qui culpam dum dissimulando transilit: pœnam miserando respiciat. Intret fœstiuus & splendidus: suauis & mitis, qui non dedignatur dici & fieri sponsus animæ quærentis se: cùm sit super omnia Deus benedictus in secula.

Quid sit patrem & filium venire ad animam.

CAP. XXIX.

TAnta est dignatio verbi, tanta beniuolētia patris verbi erga bene esse-ctam & bene compositam animam, quo: quidē ipsum patris mun⁹ & verbi opus est

Supercā. sermo. 69

vt

vt quam sua tali benedictione præuenerint & præparauerint sibi, sua quoq; dignentur præsentia: & ita vt non modo ad eam veniant, sed etiam apud eam faciant mansionem. Non enim sufficit exhiberi, nisi & copiam sui præbuerint. Quid enim est venire ad animam verbum? Erudire in sapientia. Quid est patrem venire? Afficere ad amorem sapientiæ. Patris diligere est: & ideo patris aduentus ex infusa dilectione probatur. Quid faceret absque dilectione eruditio? Inflaret. Quid absque eruditione dilectio? Erraret: Non decet sponsam verbi esse stultam, porrò elatam pater non sustinet. Pater enim diligit filium: & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam verbi, semper in promptu habet deiicere atque destruere: siue in mittendo zelum, siue in tentando: quorum alterum misericordiæ, alterum iudicij est. Vtinam omnem in me extollentiam comprimat, imò deiiciat & ad nihilum redigat: non accensus furor, sed infusus amor. Si ergo dominus Iesus dignetur venire ad me, vel potius in me in charitate & spiritu mansuetudinis, æmulans me Dei æmulatione, quid enim ita Dei vt charitas? nempe & Deus est: si inquam, in ista venerit: in hoc cognoscam, quòd non sit solus: sed venerit

etiam

etiam pater suus cum eo. Nam quid æquè paternum? Propter hoc nempe non pater verbi tantùm, sed & pater misericordiarum est appellatus. quòd innatum habet misereri semper & parcere. Si sensero aperiri mihi sensum, vt intelligam scripturas aut sermonem sapientiæ, quasi ebullire ex intimis aut infuso lumine desuper reuelari mysteria: aut certè expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium: & vberiores desursum influere animo meditationum imbres, non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt: & de plenitudine eius ista accipimus. Quòd si se pariter infuderit humilis quædam & pinguis intimæ aspersionis deuotio: vt amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet, & contemptum, ne fortè aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsus parternè sentio agi mecum: & patrem non dubito adesse. Si autem perseuerauero huic dignationi dignis semper quod in me est affectibus & actibus respondere, & gratia Dei in me vacua non fuerit, etiam mansionem apud me facit: tam pater enutriensque, quàm verbum erudiens. Quanta putas ex hac mansione inter animam &

verbum

verbum familiaritatis gratia oriatur: quãtã de familiaritate sequatur fiducia.

Quomodo cognoscit anima, quòd diligitur à Deo.

Super cãt serm. 69

CAP. XXX.

ANima ex eo quòd se diligere, & vehementer diligere sentit, etiam se diligi nihilominus vehemẽter non ambigit: & de sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia, studioque, quo incessanter & ardenter inuigilat, quemadmodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit. Ergo ex propriis quæ sunt penes Deum: agnoscit: nec dubitat se amari, quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit: & illius præcurrens intentio intentam animam facit: solicitudóque solicitam. Nescio enim qua vicinitate naturæ, cùm semel reuelata facie gloriam Dei speculari anima poterit, mox illi conformari necesse est, atq; in eandem imaginem transformari. Igitur qualem te praueris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus erit: & cum viro innocente innocens erit. Quídni æquè & cum amante amans, & cum vacante vacans:

cans: & cũ intento inientus, & cum solicito solicitus? Vigilas tu, vigilat & ipse. Cõsurge in nocte. in principio vigiliarum accelera quantum vis: etiam ipsas anticipare vigilias inuenies, eum non præuenies. Temere in tali negotio, vel prius aliquid, vel plus tribuis tibi. Et magis amat & antè. Si hæc anima scit, imò quia scit, miraris, quod illam maiestatem quasi cætera non curantem soli sibi intendere glorietur: cui soli ipsa postpositis curis omnibus, tota se deuotione custodit. Vnum dico mirum quidem, sed verum: animam Deum videntem haud secus videt, quàm si sola videatur à Deo. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi: séque illi nihil præter se & illum vidẽs. Bonus es domine, animæ quærenti te: occurris, amplecteris: sponsum exhibes, qui dominus es:

imò quies super omnia
Deus benedictus
in secula
Amen.

Libri primi finis.

CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

DE opere noſtræ conditionis. 1
De rectitudine hominis. 2
De lapſu primi hominis à dignitate ſtatuſ ſui. 3
De affinitate animæ cum Deo. 4
Quòd rectitudinem ſuam anima perdere poſſit, magnitudinẽ verò non. 5
De ſimplicitate animæ. 6
De gradu animæ quo præcellit cætera viuentia. 7
De immortalitate animæ. 8
De libertate animæ. 9
Quòd homo cùm ſit liber, tamen interueniente peccato facit ſe ſeruum. 10
Quòd prima forma animæ obſcurari poteſt. 11
Quòd etiam libertas animæ deturpari poteſt, ſed non deſtrui. 12
De fiducia quam habet anima ad Deum. 14
Quod temperatur nobis gratia Dei. 15
De ſacramento baptiſmi. 16
De baptiſmate paruulorum. 17
Quòd ſola fides abſque baptiſmo in neceſſitate ſufficit ad ſalutem. 18
De ſacramento altaris. 19
Quòd impedire ſalutem animarum ſit perſequi Chriſtum. 20

De medio tenendo. 21
De modo corripiendi. 22
De lumine ſcientiæ. 23
De cauſa diligendi Deum. 24
De modo diligendi Deum. 25
De præmio diligendi Deum. 26
De ſtatu iuſtorum ante aduentũ domini. 27
Quod abſque præſenti eccleſia cæleſtis gloria perfici non poteſt.

LIBER SECVNDVS.

De opere noſtræ conditionis.

CAP. I.

IN primo opere conditionis noſtræ de limo terræ plaſmauit hominem Deus: & inſpirauit in faciem eius ſpiritum vitæ. Qualis artifex, qualis vnitor rerum, ad cuius nutum ſic conglutinantur ſibi limus terræ & ſpiritus vitæ: limus quidem iam ante creatus erat, quando in principio creauit Deus cælum & terram. At ſpiritus ſanè non communem ſed propriam habet conditionem:

Inſer. de natali domini Cuius initiũ eſt. Magna opera domini.

nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce ô homo dignitatem tuam: agnosce dignitatem conditionis humanæ. Est tibi cum mundo corpus: sic enim decet eum qui constitutus est super vniuersam huius creaturæ corporeæ molem aliqua ei similari ex parte : sed etiam est tibi sublimius aliquod: nec omnino comparandus es cæteris creaturis. Compacta & fœderata sunt in te caro & anima : illa plasmata , hæc fœderata. Sed cuius interest hæc commistio? Cuiue hæc vnio præstatur? Etenim iuxta sapientiam filiorum huius seculi , vbi sociantur summis inferiora, prævalent qui potestatem habent, & humilioribus vtuntur pro libitu suo. Conculcat fortior minus fortem: irridet sapiens indoctum: simplicem fallit astutus: potens despicit imbecillem. Non sic in opere tuo Deus: non sic in tua commistione: non ad hoc sociasti spiritum limo , sublimem humili , dignam & excellentem creaturam abiectæ & inutili massæ. Quis non videat fratres, quantum corpori præstat anima ? Nunquid non truncus insensibilis esset caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo , ab anima incrementum, ab anima claritas visus, & sonus

sonus vocis. Deniq; sensus omnis ab anima est. Et quidem magna hæc coniunctio, sed li stabilis permansisset. Nunc autem licet diuino fuerit munita sigillo, ad imaginem quippe & similitudinem suam creauit hominem Deus. Heu diruptum est sigillum, & vnitas discipata. Accedens ille pessimus latro, recens adhuc sigillum fregit: & sic mutata similitudine diuina, comparatus est miser homo iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

De rectitudine hominis.

CAP. II.

SEcundum animum, non secundum terrenam & feculentam materiam, Deus hominem fecit rectum : ad imaginem quippe & similitudinem suam creauit illum. Ipse verò quem admodum psallis: rectus dominus Deus noster : & non est iniquitas in eo. Rectus itaque Deus rectum fecit hominem similem sibi, id est sine iniquitate : sicut non est iniquitas in eo. Porrò , iniquitas cordis est non carnis vitium : vt per hoc noueris in spirituali portione tui, & non in crassa luteáque substantia, Dei similitudinem conseruandam,

Super, cãt. sermo. 24.

siue reparandam. Spiritus enim est Deus, & eos qui volunt ei similes, vel perseuerare, vel fieri, oportet intrare ad cor. Atque in spiritu id negotij actitare: vbi reuelata facie speculantes gloriam Dei in eandem imaginem transformentur: de claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu Quanquam & corporis staturam dedit Deus homini rectam: forsan vt ista corporea exterioris viliorisq; rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ seruandę rectitudinis amoueret: & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius quàm curuum recto corpore gerere animum? Peruersa res est & fœtida, luteum vas, quod est corpus, de terra oculos habere sursum, cælos liberè aspicere, cælorúmque luminaribus oblectare aspectus, spiritalem verò celestémque creaturam, suos econtrario oculos, id est internos sensus atque affectus trahere in terram deorsum: & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, tanquam vnam de suibus, amplexarique stercora. Ergo quæ rere & sape re quæ sunt super terram, curuitas animæ est: & è regione meditari ac desiderare quæ sursum sunt, rectitudo.

De

De lapsu primi hominis à dignitate status sui.

CAP. III.

HAbitabat homo in paradiso, & in loco voluptatis cõuersatio eius: nihil molestiæ, nihil indigẽtiæ sentiebat odoriferis stipatus malis: fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris. Magis autem ob insigne diuinæ similitudinis prę-cellebat: & erat illi sors ac societas cum plebe angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutauit istam gloriam Dei, in similitudinem vituli comedentis fœnum. Inde est, quod panis angelorum factus est fœnum, positum in præsepio: appositum nobis tanquam iumentis. Cibus hominis mutauit se in pabulum pecoris homine mutato in pecus. Heu tristis & lachrimosa mutatio: vt homo paradisi accola, terræ dominus, cæli ciuis domesticus, domini sabaoth: frater beatorum spirituum & cælestium, cohæres virtutum repentina se conuersione inuenerit: & propter infirmitatem iacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno: & propter indomitam

Super cãt. sermo. 15.

feritatem alligatum præsepio. Agnosce tamen ô bos possessorem tuum. Cognosce pecus, quem non cognouisti homo: adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso: honora præsepium, cuius contempsisti imperium: comede fœnum, qui panem, & panem angelicum fastidisti. Sed quænam causa inquis, tantæ deiectionis? Profectò quòd homo cùm in honore esset, non intellexit. Quid non intellexit? Positus in honore non intellexit, quòd limus esset. honoris fastigio delectatus, hinc egregia creatura gregi admista est: hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est: hinc societas cum iumentis pro consortio angelorum inita est. Fugienda nobis hæc ignorantia: de qua tot milia malorum vniuerso nostro generi prouenerunt. Cauenda omnimodis, ne fortè si adhuc sine intellectu & post vexationem inuenti fuerimus, multa plura & grauiora prioribus mala in ueniant nos. Merito quidem quòd nec vexatio dederit intellectum auditui.

De

De affinitate animæ cum Deo.

CAP. IIII.

QVid animæ & verbo? Multum per omnem modũ. Primò quidem quòd naturarum tanta cognatio est, vt hoc, imago illa ad imaginem sit: deinde quòd cognationem similitudo testetur. Nempe non ad imaginem tantùm, sed ad similitudinem facta est. In quo similis sit quæris? Audi de imagine prius. Verbum est: veritas est: sapientia est: iustia est: & hæc imago. Cuius? Iustitiæ, sapientiæ, veritatis. Est enim imago hæc iustitia de iustitia: sapientia de sapientia: veritas de veritate. : quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima, quoniam non est imago: est tamen earundem capax appeténsque: & inde fortasis ad imaginem, celsa creatura in capacitate quidem maiestatis: in appetentia autem rectitudinis insigne præferens. Oportet nanque id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire: & non in vacuũ participare nomẽ imaginis: quẽ ad modũ nec imago ipsa, solo vel vacuo nomine vocitatur imago. De eo verò *Super cãt. serm. 80.*

qui imago est, sanctum Dauid audisti in psalmis canentem: nunc quidem magnus dominus noster & magna virtus eius: nunc rectus dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. ab isto recto & magno Deo habet imago eius, vt & ipsa recta & magna sit, habet anima quæ ad imaginem est. Sed dico. Nílne ergo amplius habet imago ab anima, quæ ad imaginem est, quia & huic magnum rectúmque assignamus? Et plurimum. Hæc ad mensuram accepit: illa ad æqualitatem. An non plus hoc? Aduerte & aliud. Huic vtrunque aut creatio, aut dignatio contulit: illi generatio: atque id magnificentius esse non dubium est. Sed ne hoc quidem eminentius esse quis abnuat: quod cùm à Deo huic, illi & de Deo vtrunque sit: id est, de Dei substantia. Etenim substãtialis Deo imago sua. Et omne quod eidem suæ imagini impartiri videtur, ambobus est substantiale non accidentale. Ad hunc vnum attende, in quo imago non parum eminet, Magnum & rectum ista duo: naturam à sese discrepare quis nesciat? In imagine vnũ sunt. Neque hoc solum vnum sunt, & cum imagine. Imagini enim non modo id rectum est esse, quod magnũ esse, sed etiã id magnum rectúmque esse quod esse: animæ non ita: &, magnitudo eius & rectit

rectitudo ipsius diuersæ ab ea diuersæ ab inuicem sunt.

Quòd rectitudinem suam animæ perdere possit, magnitudinem verò non.

CAP. V.

SI vt suprà docui, eò anima magna est, quò capax æternorum: eò recta, quò appetens supernorum: quæ non quærit nec sapit quæ sursum sunt: sed quæ super terram: non planè est recta, sed curua: cùm tamen pro huiusmodi magna esse non desinat, manens vtique sic æternitatis capax. Neque etenim illius aliquando non capax erit, etiam si nunquam capiens fuerit: vt sit quomodo scriptum est. Veruntamen in imagine pertransit homo, ex parte tamen: ne si toto priuaretur, non superesset spes salutis. Nam si desinat magna esse & capax: quippe de capacitate æstimatur animæ magnitudo, Quid verò, separare posset, cuius capax non foret? Itaque per magnitudinem quam retentat, etiam perdita rectitudine, in imagine pertransit homo, vno quasi claudicans pede: quantum verò ad rectitudinem veluti claudicans conturbatur. Et de rectitudine quidem ex his quæ dicta sunt, *Vbi suprà*

liquet: quod diuersa & ab anima sit, & ab animæ magnitudine, quãdo quidẽ ea etiã non existente, & anima manet, & magna. Verùm magnitudinis animę que diuersitas vnde docebitur? Non enim inde potest, vnde rectitudinis animæque monstrata est: cùm nõ sicut rectitudine ita & magnitudine sua priuari anima posit. Non est tamen sua magnitudo anima. Nam etsi anima non inuenitur absque magnitudine sua, ipsa tamen & extra animã reperitur. Queris vbi? In angelis. Inde quippe angeli, vnde animæ magnitudo probatur: ex captu videlicet æternitatis. Quòd si eo constitit animam discrepare à rectitudine sua, quod ea carere posit, quid ni æquè liqueat esse diuersam, & à sua magnitudine, quam sibi propriam vendicare nõ posit? Cùm itaq; nec illa in omni, nec ista in sola sit anima, patet vtranque indifferenter differre ab ea. Item nulla forma est, id cuius est forma. Est autem magnitudo forma animæ, nec enim ideo non forma, quia inseparabilis est ei. Hoc siquidem sunt substantiales differentiæ omnes, hoc non modò propriæ propria, sed & propria quædam. Hoc etiam aliæ innumerabiles formæ. Non igitur sua magnitudo anima non magis quàm sua nigredo corpus, quàm suus cãdor nix, quàm sua

sua risibilitas seu rationabilitas homo, cùm tamen nec coruum sine nigredine, sine candore niuem, nec hominem, qui non & risibilis sit & rationalis vnquam reperias. Ita & anima, & animæ magnitudo, etsi inseparabiles, diuersæ tamen ab inuicem sunt. Quomodo non diuersæ, cùm hæc in subiecto, illa subiectum & substantia sit?

De simplicitate animæ.

CAP. VI.

ADuertat anima ex diuinæ ingenuitate similitudinis, inesse sibi illam suæ substantiæ naturalem simplicitatem, qua hoc est illi esse, quod viuere, & si non quod bene, quòdue beatè viuere, vt sit similitudo, non æqualitas. Gradus propinquus, gradus tamen. Neque enim vnius excellentię parisue fastigij sunt, hoc habere esse quod viuere, & item habere hoc esse quod beatè viuere. Ergo si verbi est illud propter sublimitatem, hoc animæ propter similitudinem (salua quidem eminentia verbi) palam est affinitas naturarũ: palam animæ prærogatiua. Et vt quod dicitur, planius fiat, soli Deo id est esse, quod beatum esse. Atque hoc primum & purissimũ simplex,

Super cãt. serm 71.

Secund

Secundū autem simile nec huic: hoc videlicet habere esse quod viuere: atque hoc animæ est. Ex hoc etsi inferori gradu ascendi potest, non modo ad bene, sed etiam ad beatè viuendum: non quia vel tunc sit hoc esse, quod beatum esse illi, qui eo peruenerit, quatenus ita gloriecur pre similitudine: vt tamen pro disparitate habeat semper, vnde omnia ossa eius dicant, Domine quis similis tibi?

De gradu animæ quo præcellit cætera viuentia.

CAP. VII.

Super cāt ser. 39.

BOnus animæ gradus, ex quo & solo ad beatam ascenditur vitam. Sunt namque viuētia & horum genera duo, quæ sentiūt & quæ non sentiūt. Porró insensibilibus sensibilia præferuntur: atque vtrisque vita qua viuitur. & sentitur. Non stabunt pariter in gradu vno vita & viuens: multò minus vita, & quæ sunt sine vita. Vita anima est, viuens quidem, sed non aliunde quàm seipsa: ac per hoc non tam viuēs quàm vita: vt propriè de ea loquamur. Inde est, quòd infusa corpori viuificat illud, vt sit corpus de vitæ præsentia, nō vita sed viuens. Vnde liquet, nec viuo quidem corpori id viuere esse quod esse:

esse: cùm esse & minimè viuere possit. Multò minus quæ vitæ experiētia sunt, ad hunc gradum assurgent. Sed nec omne quod vita dicitur vel est, continuò valebit pertingere huc. Est pecorum, est & arborum vita: sensu altera vigens, altera carens. At neutri tamen id est esse, quod viuere est: cùm vt quidem multorum opinio est: antè in elementis, quàm vel illa in membris, vel ista in ramis extiterint. At secundum hoc, cùm desinunt viuificare, simul viuere cessant, sed non & esse. Nequaquam igitur tali vitæ idem esse & viuere est: quæ est quando non viuit. Porrò, nihil horum, quibus non est esse, quod viuere sit: ad bene beatéque viuendum, quandoque proficiet vel emerget: quippe quòd neque in hunc inferiorem gradū potuit peruenire. Sola quæ in ipso stare cognoscitur anima hominis, in eo dignitatis creata est vita à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali, vt non sit longè à summo gradu: vbi scilicet id esse quod beatè viuere est, in quo solus stat beatus & solus potens, rex regum & dominus dominantium. Accepit itaque in sui conditione anima, etsi non esse: posse tamen esse beata: summo perinde gradui quātum licet approprians non pertingens, tamen neque enim vel ipsi hoc erit aliquando

quando hoc esse, quod beatã esse, nec quando beata erit.

De immortalitate animæ.

CAP. VIII.

Vbi suprà IMmortalis est anima, & in hoc verbo similis quidem, sed non æqualis. Nam in tantum super excellit immortalitas deitatis, vt apostolus dicat de eo, qui solus habet immortalitatem. Quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus. Vera nanque & integra immortalitas, tam non recipit mutationem, quàm nec finem: quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio est. Omne etenim quod mutatur, dum de vno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur, quod est, vt esse incipiat, quod non est. Quòd si tot mortes quot mutationes, vbi immortalitas est? Et huic vanitati subiecta est ipsa creatura non volens sed propter eum qui subiecit eam in spe. Attamen immortalis anima est, quoniam cùm ipsi sibi vita sit, sicut non est quo cadat à se, sic non est quo cadat à vita. Verùm cùm constet suis affectibus mutari eam, agnoscat ita se Deo immortalitate similem, vt sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem, soli reddens

dens absolutam perfectámq; immortalitatem, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.

De libertate animæ.

CAP. IX.

ARbitrij libertas est planè diuinũ quoddam præfulgens in anima tanquam gemma in auro. Ex hac nẽpe inest illi inter bonum quidem & malum: nec non inter vitam & mortẽ: sed nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi, & si qua sunt alia, quæ similiter circa animæ habitum sese è regione respicere videant: nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter animæ oculus diiudicat & discernit, sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potens. Omne etenim quod feceris bonum malúmue, quod quidem non facere liberũ fuit, merito ad meritum reputatur. Et vt merito laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit: sed & qui potuit non facere bona & fecit, ita malo non caret merito, tam is qui potuit non Vbi suprà

facere

facere mala & fecit: quàm q potuit facere bona nec fecit. Vbi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione, animalia nihil merentur: quia sicut deliberatione: ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent, quo se diiudicent siue regant: sed ne instrumentum quidem iudicij, id est rationem. Inde est quòd non iudicantur: quia non iudicant. Quánam quippe ratione ab his ratio exigatur, quam non acceperunt? Hanc vim à natura solus homo non patitur: & ideo solus inter animantia liber.

Quòd homo cùm sit liber, tamen interueniente peccato, facit se seruum.

CAP. X.

Super cãt. serm. 31. INterue niẽte peccato, patitur quandam vim homo, sed à voluntate non à natura: vt ne sic quidẽ ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntariũ, & liberum. Et quidẽ peccatũ factũ, vt corp⁹ quod corrumpitur, aggrauet animã: sed amore nõ mole. Nam quod surgere anima per se iam non potest, quę per se cadere potuit, voluntas incausa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso

vitioso amore langueſcens & iacens, amorem iuſtitiæ, pariter nõ admittit. Ita neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt nec neceſsitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm ſit illecta excludere neceſsitatem. Eſt enim neceſsitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt fauorabilis quædam vis præmendo blandiens, & blandiendo prẹmens. Vnde ſeſe rea voluntas, vbi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen vllatenus de ratione queat. Voluntas enim eſt, quæ ſe, cùm eſſet libera ſeruã fecit peccati, peccato aſſentiendo: voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet voluntariè ſeruiẽdo. Neque enim non volens, voluntas tenetur: voluntas enim eſt. Ergo quia volens ſeruam ſeipſa non modo fecit ſed facit: ita anima miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam & mala libera neceſsitate & ancilla tenetur & libera. Ancilla propter neceſsitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magis quàm miſerum eſt: eò rea quò libera: eóque ancilla quo rea: ac per hoc eò ancilla, quò libera.

Quòd prima forma animæ obscurari potest, sed non exterminari.

CAP. XI.

Super cãt. sermo 82.

NOn planè anima natiuam se exuit formam, sed superinduit peregrinã. Illa abdita nõ ista perdita est: & quæ superuenit, obscurare ingenitam potuit, sed non exterminare. Manet in fundamento prorsus inconcussa simplicitas: sed minimè apparet duplicitate operta humanæ dolositatis simulationis hypocrisis. Quàm incongruè simplicitati duplicitas admiscetur, quàm indignè tali fundamẽto talis structura cõmittitur? Sed perseuerat nihilominus in omni anima cũ originali duplicitate generalis simplicitas, vt de collatione cõfusio augeatur. Perseuerat æquè immortalitas, sed fusca & tetra, irruente tenebrosa corporeæ mortis caligine. Nam & si non priuatur vita, vitæ tamen beneficium suo corpori iam non sufficit vendicare. Quid, quod ne suam quidem spititãlem duntaxat vitam retinet sibi? Anima nempe quæ peccauerit, ipsa morietur. Nonne morte ista duplici incursante, illa qualiscunque immortalitas quam retentat, tenebrosa satis redditur & misella? Adde quòd appetẽtia

tia terrenorum, quæ quidem omnia ad interitum sunt, densat tenebras: ita vt anima sic viuente, nil à parte aliqua nisi pallida facies, & imago quędam mortis apparere cernatur. Cur non enim, quæ immortalis est, similia sibi immortalia appetit & æterna, vt quod est appareat, & quod facta est viuat? Cæterùm contraria sapit & quærit: & mortalibus sese degeneri conuersatione cõformans immortalitatis candorem quædã mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat: quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat? Fruendo mortalibus mortalitatem se induit: & vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decolorauit non exuit.

Quòd libertas etiam animæ deturpari potest, sed non destrui.

CAP. XII.

QVod delectatur hãbere, id etiam perdere timet anima: & timor color est. Is libertatem dum tingit, tegit: & eam nihilominus sibimet reddit dissimilẽ. Quam dignius sua origine nihil cuperet, vt nihil metueret: ac per hoc à seruili timore isto ingenitam sibi defenderet libertatem, ma- *vbi supra.*

nentem in vigore & decore suo. Sed & voluntaria illa necessitas, & contraria lex inflicta membris, eidem incubat libertati: & liberam natura creaturam propriam ipsius voluntatem dum allicit, subiicit seruituti, implens faciem eius ignominia: ita vt vel carne seruiat legi peccati & non volens. Quia ergo naturæ ingenuitatem morum probitate defensare neglexit, ex iusto autoris iudicio factum est: nõ quidem vt libertate propria nudaretur, sed tamen superinduereturr, sicut diploide confusione sua. Et bene sicut diploide, vbi veste veluti duplicata manente libertate propter voluntatem: seruilis nihilominus conuersatio necessitatem probat. Hoc de simplicitate, hoc de immortalitate animæ aduertere est: & nil tibi in ea, si bene consideres, apparebit, quod non sit istiusmodi similitudinis, pariter & dissimilitudinis diploide adopertum. An non diplois vbi non innata sed affixa: & quadam quasi acu peccati assuta est simplicitati fraus, immortalitati mors, necessitas libertati? Neque enim essentiæ simplicitati præscribit duplicitas cordis: non naturæ immortalitati mors, aut voluntaria peccati aut necessaria corporis non arbitrij libertati necessitas voluntariæ seruitutis. Ita bonis naturæ mala aduentitia, dum non succedunt

cedunt sed accedunt: turpant vtiq; ea non exterminant: conturbant non detrahunt. Inde anima dissimilis est Deo: inde dissimilis est & sibi: inde comparata iumentis insipientibus, & similis facta est illis. Inde homines tanquam vulpes duplicitatis & fraudis foueam habent: & quia partes vulpium se fecerunt, partes vulpium erunt.

De *fiducia quam habet anima ad Deum.*

CAP. XIII.

NOn est apud verbum otiosa animæ generosa cognatio: & cognationis testis similitudo perseuerans. Dignanter admittit in societatẽ spiritus similem in natura. Et certè de ratione naturæ, similis similẽ quærit super can. ser. lxxxiij. Quid enim nõ tutè præsumat apud eũ, cuius se insignẽ cernit imagine, illustrẽ similitudine nouit? Quid inquam vereatur de maiestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est vt curet naturæ ingenuitatẽ, vitæ honestate seruare: imò cæleste decus quod sibi originaliter ineſt, dignis quibusdam studeat morum affectuumq; venustare & colorare coloribus. Vt quid enim dor-

super cãt. sermo. 82.

mitet industria? Grande profecto in nobis donum naturæ ipsa est. Quæ si minus suas exequatur partes, nonne quod reliquũ natura habet in nobis totum turbabitur: totum quasi quadam vetustatis operietur rubigine? Id quidem iniuria autori. Et vtique ad hoc autor ipse Deus diuinæ generositatis industriã perpetuo voluit in anima conseruari: vt semper hæc in sese ex verbo habeat, quo admoneatur semper: aut stare cum verbo aut redire, si mota fuerit. Animæ verò reditus, conuersio eius ad verbum reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In charitate. Talis conformitas maritat animam cum verbo, cùm cui videlicet similis est per naturam: similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate iocundius: quid optabilius charitate: qua fit vt humano magisterio non contenta, per temet ô anima fiducialiter accedas ad verbum: verbo constanter inhæreas: verbum familiariter percuncteris, consultéque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritalis sanctúque connubij contractus est iste. Parum dixi, contractus complexus est. Cõplexus planè, vbi idem velle & nolle, idem vnum

vnum facit spiritum è duobus.

De incremento animæ.

CAP. XIIII.

NEcesse est animam crescere ac dilatari, vt sit capax Dei. Porrò latitudo eius dilectio eius. Nam & anima minimè cùm sit spiritus, corporeã recipit quantitatem: tamen confert illi gratia, quod negatũ est à natura. Crescit quidem & extenditur: sed spiritaliter. Crescit nõ in substantia: sed in virtute. Crescit & in gloria. Crescit denique & proficit in virũ perfectum: in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Crescit etiam in templum sanctũ in domino. Ergo quantitas cuiuscunq; animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet: vt verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna est: quæ parum, parua: quæ verò nihil, nihil. Ergo exemplo illius quæ sursum est, mater nostra: hæc quoque quæ peregrinatur, habet cælos suos: homines spiritales, vita & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluuiam verbi salutarem: tonant increpationibus, coruscant miraculis. Hi

Super cãt. sermo. 27.

enarrant gloriam Dei: hi extenti ſicut pelles ſuper omnem terram: legem vitæ & diſciplinæ digito quidem Dei ſcriptam, offendunt in ſemetipſis, ad dãdam ſcientiam ſalutis plebi eius.

Quòd temperatur nobis gratia Dei.

CAP. XV.

Super pſal. Qui habitat. ſer 4.

SIcut ſol iſte corporeus licet bonus ſit & valde neceſſarius, tamen & feruor ſi tẽperatus non fuerit, infirmo capiti, & ſplendor infirmis oculis nocet: nec eſt ſolis culpa, ſed infirmitatis: ſic etiam ſol iuſtitiæ eſt. Vnde & dicitur, noli nimiũ eſſe iuſtus. Non quòd iuſtitia bona non ſit, ſed quia dum adhuc infirmi ſumus: oportet ipſam nobis bonam gratiam temperari, ne fortè elationis aut indiſcretionis vitium incurramus. Quid enim eſt, quòd inceſſanter orantes ſupplicantéſque, non poſſumus ad eam quam deſideramus abundantiam gratiæ peruenire? Putatis, quia auarus aut inops factus eſt Deus, impotens aut inexorabilis? Abſit hoc, prorſus abſit: ſed ipſe cognouit figmentum noſtrum. Non tamen propterea à petitione ceſſandum eſt: quia etſi

etſi non dat ad ſatietatem, dat ad ſuſtentationem: etſi cauet nobis à feruore nimio, tamen fouet nos tanquã mater calore ſuo. Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas ſuas, vt pulli ſubeant & habeant tutum refugium, ſic nobis parata & quodammodo dilatato ſinu, extenſa eſt ſumma illa & ineffabilis pietas Dei noſtri.

De ſacramento baptiſmi.

CAP. XVI.

In ſer. In cæna domini, qui incipit. Hi ſunt dies.

SAcramentum dicitur ſacrum ſignum ſiue ſacrum ſecretum. Multa ſiquidem fiunt propter ſe tantũ: alia verò propter alia deſignanda: & ipſa dicuntur ſigna & ſunt. Ad hoc enim inſtituta ſunt omnia ſacramenta, vt inuiſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur. Ad hoc eucariſtiæ participatio, ad hoc ipſe baptiſmus initium ſacramentorum omnium quo complantamur ſimilitudini mortis Chriſti. Quæ eſt gratia per baptiſmum? Vtique purgatio delictorum. Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus: & in quem

peccatum non cadit Deus? Huius quidem gratiæ sacramentum prius erat circuncisio, vt originalis rubiginem culpæ, quæ manauerat à parentibus primis, cultellus eraderet. Sed veniente domino, qui agnus est totus suauis & mitis, cuius iugum suaue, & onus leue, optimè satis mutatum est, vt inuentam rubiginem cum vnctione spiritus sancti aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret. Sed fortè quærat aliquis & dicat: Si deletum est in baptismo quod contraximus à parentibus, cur adhuc manet cupiditas & fomes, & velut incentiuum quoddam peccati? Neque enim dubium, quin à primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem in peccatrice voluntate generamur: propterea licet inuiti, illicitos quosdam concupiscentiarum motus, & tanquam bestiales sentimus. Lauamur igitur in baptismo: quia deletur chyrographus damnationis nostræ: & hæc gratia nobis confertur: vt iam non nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inueterati vlceris remouetur, dum tollitur damnatio: & responsum mortis quod prius inde manabat. In baptismate abrenuncian tes diabolo, pater cæleſtis adoptat, & in regnum filij claritatis suæ de potestate tenebrarum

ser. de plici ba ismo.

brarum transfert. Nimirum ipsa est stola prima, quam verè citò proferre ministros paternus iubet affectus, non oris petitionem, nec cordis desiderium expectans: sed & ipsum intellectum præueniens in benedictionibus dulcedinis. Donec voluntatis vsum, & facultatem deliberandi renatus quisque recipiat, à charitate Dei separari omnino non poterit. Securus interim degit sub protectione & aduocatione domini Dei sui, non est quod vereatur ex omnibus. At vbi sanæ discretionis annos ingrediens redditur, sibi cæterorum vtique violentiam, nec tunc quidem formidare necesse est: sed à propria caueat voluntate. Præter hanc enim nihil est, quod timeamus. Ipsa est quæ in potestate tenebrarum denuo redigit, quæ nos iterum subiicit mortis imperio. Caueamus proinde à propria voluntate, tanquam à vipera pessima & nequissima: & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

De bap

De baptismate paruulorum.

CAP. XVII.

In prima parte ser. In ramis palmarũ, qui sic incipit. Non sine causa.

QVi paruulus natus est, paruulos à gratia nõ excludit: quia nec pietati incõgruum, nec maiestati eius difficile est, vt suppleat munus gratiæ, quod minus in eis habet natura possible. Porrò, infantiũ renatorum neminẽ carere meritis: sed Christi habere merita. Quid enim si infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis fratris sui, & talis fratris clamat ad Deum de terra? Astat & clamat nihilominus mater ecclesia. Quid tamen infans? Nonne & ipse videtur quodammodo de fontibus saluatoris vociferari ad Deum, & suis vagitibus clamare: domine vim patior, respondе pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur à natura. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia paruuli, clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia: sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, & miseria destituti. Et clamatur ad patrem. Porrò pater seipsum negare non potest. Pater est. Nemo mihi dicat: quia non habet fidem, cui mater impartit suam, inuolens illi in sacramento, quousque idoneus fiat

Universidad de Deusto Biblioteca

fiat suo assensu euolutam percipere. An breue pallium est, vt non possit duos cooperire? Magna est ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Chananææ mulieris quã constat & filiæ potuisse sufficere & sibi? In epistola ad magistrum Hugonem de sancto Victore. Sanè infantes, quia prohibente ætate non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conuersionem, consequenter nec salutem, si absque baptismi perceptione moriuntur, non quòd ipsi vel quando baptizantur, fide omnimode careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo, sed saluantur & ipsi per fidem: non tamen suam, sed alienam. Dignum nempe est, & ad Dei spectat benignitatem, quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim omnipotentis iustitia, propriam putat ab his exigendam fidem, quos nouit propriam nullam habere culpam. Porrò, aliena opus est fide, cùm sine sorde non nascantur aliena. Nec dubium, quòd macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari. Hæc sunt quippe iudicia diuinæ iustitiæ. Quæ cùm ita sint, nullum præiudicium sustinebunt regenerari de eo quod dictum est: sine fide impossibile est placere Deo: cùm

sine

sine fide non sint, qui in testimonium fidei baptismi gratiam perceperunt.

Quod sola fides absque baptismo in necessitate sufficiat ad salutem.

CAP. XVIII.

In prima parte epistolarũ ad magistrũ Hugonem de sancto Victore.

IN maiori ętate quisquis post vulgatum vbiq; baptismi remedium renuerit iam baptizari, generali originaliq; maculæ addit, & ex proprio crimine superbiæ, duplicem secum portans iustissimæ damnationis causam: si sic de corpore exire contigerit, tamen si ante exitum resipuerit & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiuerit: dum non desit fides recta: spes pia: charitas syncera propicius mihi sit Deus: quia huic ego ob solam aquam si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem: nec vacuam credere fidem: nec confundere spem: nec excidere charitatem: tantum si aquam non contemptus, sed sola (vt dixi) prohibeat impossibilitas, credo sola fide hominem posse saluari: cum desiderio percipiendi sacramẽtum:

tum: si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis inuincibilis obuiauerit. Quapropter, si martyrium vicem baptismi posse implere conceditur, non planè id fecit pœna sed ipsa. Nam absque ipsa, quid est martyrium nisi pœna? Quæ ergo martyrio præstat, vt absque vlla dubietate pro baptismate reputetur, ipsa ita infirma & imbecillis per se erit: vt quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere? Est prorsus sanguinis pro Christo effusio magnæ cuiusdam fidei indubitata probatio: non Deo tamen sed hominibus. Pro certo cùm aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogatiuam, vt singulariter vice baptismi securè suscipiatur, non video cur non ipsa æquè & sine martyrio apud Deum tantundem possit: cui & sine martyrij probamento proculdubio innotescit. Possit sanè tantundem dixerim, quantum ad salutis pertinet obtentum: non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter martyrium antecellit. Quid planius est quòd voluntas pro facto reputetur, vbi factum excludit necessitas? Quomodo is qui alieno se teneri debito fortè in extremis positus recolit, si desit vnde persoluat, sola nihilominus pœnitentia,

tentia, & cordis contritione obtinere veniam creditur, ne iam pro eo dãnetur. Sic sola fides & mentis ad Deum conuersio, sine sanguinis effusione & sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur volẽti, sed non valenti prohibente articulo baptizari. Et sicut illi nulla pœnitentia remittitur peccatum, si cùm posit non restituit ablatum: sic & huic nulla proderit fides, si cùm posit, non percipit sacramentum: quanquam & fidem conuincitur non perfectam habere, si negligit. Vera enim & plena fides vniuersa præcepta cõplectitur. Est autem hoc vnum, ipsumq; præcipuum ex præceptis. Merito ergo non fidelis sed rebellis planè atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit.

De *sacramento altaris*.

CAP. XIX.

In prima parte ser. in cœna domini, cuius initiũ est. His fũt dies.

SAcramentum corporis & sanguinis pretiosi duo operatur in nobis, vt videlicet, & sensum muniat in minimis: & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini domini

mini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo. Habeo verbum sed in carne, & mihi opponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum: carnis furfure: literæ palea: velamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantũcunque accipiant condimentum. Denique absque spiritu, & sacramentum ad iudicium sumitur, & caro non prodest quicquam: & litera occidit & fides mortua est. Sed spiritus est qui viuificat, vt viuam in eis. At quam talibus sanè abundantia spiritus pingueſcant ista: non pari omnino iocunditate sumitur cortex sacramenti, & adeps frumenti: fides & spes, memoria & præsentia: æternitas & tempus: vultus & speculum: imago Dei & forma serui. Nempe in his omnibus fides locuples mihi, intellectus pauper. Carne Christi pascimur, vt viuamus. Caro enim Christi verè est cibus.

Super cã. serm. 33.

Quod impedire salutem animarum, sit persequi Christum.

CAP. XX.

In prima parte ser. de Epyphan. qui sic incipit. Necessariũ nobis.

HErodiana malitia & babylonica crudelitas est, nascentem extingue re velle religionem: & allidere parulos Israël. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicũq; resistit, quicunque repugnat, planè cum Egyptiis paruulos israëlitici germinis necare conatur: imò cum Herode nascentem persequitur saluatorem. In sermo. primo, de conuersione sancti Pauli. Denique, si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionẽ, qui suggestione maligna exemplo pernicioso scandali occasione, auertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Iudæo, qui sanguinẽ illũ fudit? Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis venenum? Meritò detractores Deo odibiles describuntur, tanquã persecutores. Quid & is qui exẽplo ad remissius agendum ceteros prouocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate aut impatientia sua & murmuratione molestat:

lestat: aut quocunq; modo contristat spiritum Dei, qui in eis est, scandalizans vnum de minimis credentibus in eum, nónne & hic manifestè persequitur Christũ? Agnoscite dilectissimi, expauescite consortia eorum, qui salutẽ impediunt animarum: horrendum penitus sacrilegium: quod & ipsorum videtur excedere facinus: qui domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt. Videbatur iam cessasse persecutionis tẽpus: sed vt palàm factum est: nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc quod grauius est ipsi Christũ persequuntur: qui ab eo vtique Christiani dicuntur. Amici tui Deus & proximi: aduersum te appropinquauerunt & steterunt. Coniurasse videtur cõtra te vniuersitas populi Christiani, à minimo vsque ad maximum. A planta pedis vsq; ad verticem, non est sanitas vlla. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est iam dicere: sicut populus, sic sacerdos: quia nec sic populus vt sacerdos. Heu heu domine Deus: quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Syon occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè &

Universidad de Deusto
Biblioteca

potestatiuè tradunt incendio ciuitatem. Misera eorum conuersatio, plebis tuæ miserabilis subuersio est. Dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri, & quęstum æstimant pietatem. Copiosissimæ siquidam pietatis inueniuntur in susciepienda, imò accipienda magis animarum cura, sed hæc apud eos cura minor: & de animarum salute nouissima cogitatio est. An verò saluatori animarum grauior vlla esse poterit persecutio? Iniquè agunt & cæteri contra Christum, multique sunt temporibus nostris antichristi. Meritò tamen & crediliorem eam sensset persecutionẽ pro acceptis beneficiis, & grauiorem sentit prò potestate, quam propriis sustinet à ministris, licet alij quoque multi contra proximorum salutem multifariè multisque modis & variis occasionibus agere videãtur. Hoc videt Christus & silet. Hæc saluator patitur & dissimulat: propterea dissimulemus & nos quoque necesse est, & sileamus interim, maximéque de prælatis nostris, magistris ecclesiarum: sic nimirum sic placet & ipsis: vt euadant nunc humana iudicia: veniátque semel iudicium graue his qui præsunt, & potenter patiantur tormenta potentes.

De

De medio tenendo.

CAP. XXI.

IN te consistito. Non infra deiici, nõ attolli supra, non euadere in longius, nõ extendi in latius. Tene medium, si nõ vis perdere modũ. Locus medius, tutus est. Medium sedes modi: & modus virtus. Omnem extra modũ mansionem, sapiens exilium reputat. Propterea non est illi habitare in longo, quòd vltra modum sit: sed ne in lato quidẽ quòd extra sit. Porrò, nec in alto vel imo: quòd alterum supra, alterum infrà sit. Denique & longitudo exterminium habere solet: & dilatatio scissuram, & altitudo ruinam, & profundum absorptionem. Dico hoc planius: longum dico, cùm sibi homo longiorem promittit vitam, latum cùm in superfluas animus distenditur curas: altum, cùm de se plus præsumit: profundum, cùm se plus deiicit. Qui igitur longa sibi metitur tempora misericordiæ, verè ingreditur iter exterminij, transiens vitæ terminos productiori solicitudine. Inde est, quod homines impresentiarum à sese exules per obliuionem, in alia per inanem solicitudinem migrant secula non profutura,

In libro secundo, de consideratione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imò nec futura. Similiter animus distentus in multa, multis laceretur curis necesse est. Nempe immoderata extensio extenuationem, & extenuatio nimia scissionem facit. Iam verò alta præsumptio, quid nisi ruinosa præcipitatio est? Quid è regione nimiæ pusillanimitatis dejectio, nisi desperata quædam absorptio est? In hanc fortis non deiicietur. Prudens longioris vitæ non abducetur incerto. Modestus moderabitur curas: temperabit à superfluis: non deerit necessariis. Porrò iustus altiora se non præsumet. Si iustus fuero, non leuabo caput.

De modo corripiendi.

CAP. XXII.

In primæ parte ser. de pascha, qui sic incipit. Accepimus ab apostolo.

MOderata correctio omnino quod dam magnum bonum datũ optimum est: & quòd habeant pauci. Videas multos syncera licet intentione & benigno accedant animo, leuiter dicere, quod grauiter audiatur. Volat irreuocabile verbũ: & quod sanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exasperat & exulcerat magis, quando negligentiæ additur impudentia: etiam & impatientia cumulatur: vt qui in sordibus erat, sordescat

scat adhuc: declinans in verbà malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: ac more frænetici, non solùm repellens, sed & mòderè tentans medici manum. Multis quoque non suppetit verborum copia, sed præ sermonis inopia linguam suam palato sentiunt adhærere: quod & ipsum solet interdum audientibus obesse non parum. Aliis verò ad manum est abundantia multa sermonis, sed quæ dicunt minus sapiunt, minus acceptantur: & quia gratiam non habent, minus efficacia sunt quæ loquuntur. Proindè prius peccata confitearis tua, quàm ad purganda accedas aliena. Quoties peccantem videris fratrem, continuò procedere debet compassionis affectus, tanquam cognatus humanitati, quippe quẽ concipis ex teipso. Temet ipsum attende, vt alij noueris compati: vt arguas in spiritu lænitatis. Teipsum considera, ne & tu tenteris. Hic compassionis affectus multis quidẽ prodest, quia animus liberalis contristare quem pro se viderit, anxium erubescit. Sed quid agimus, quòd nonnulli dura ceruice, & attrita sunt fronte: vt quò magis eis compatimur, tantò magis nostra & cõpassione & patiẽtia abutantur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita ipsi iustitiæ compatiendum

est: quam videmus tam impudenter abiici: iam imprudenter prouocari? Scio, quia si qua in nobis est charitas, contẽptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus iustitiæ, quo aduersus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti, erga eam quam contemni videmus iustitiam Dei. Veruntamen oportet vt priora sibi vendicet compassionis affectus, alioquin in spiritu vehementi cõterimus quassatum calamum, extinguimus lignum fumigans. Sed cùm vterque aderit, videlicet & compassionis affectus, & zelus iustitiæ, necesse est, vt adsit spiritus discretionis, ne fortè cùm oporteat hunc exhiberi, ille procedat: & indescriptio ipsa confundat vniuersa. Habeat itaque mensurã tertium spiritũ discretionis, vt miscens aptè temporibus tempora: oportunè æmulari, & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit custodiẽs & obseruans, quando oleum misericordiæ, quãdo vinum feruoris exhibeat.

In prima parte sermonis. in vigilia domini, Cuius initiũ est, Hodie scietis.

De lumine scientiæ.

CAP. XXIII.

ILluminemus nobis lumẽ scientiæ, priusquam de huius mũdi tenebris exeamus, ne

ne de tenebris transeamus ad tenebras: & tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia? Profectò scire, quia venit dominus: & si quando veniet, scire non possumus. At, inquis, ista scientia omnium est. Quis enim nesciat vel nomine tenus fidelis: quia venturus est iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique iuxta opera sua? Non omnium ista est, sed nec multorum. Paucorum est, quia re vera pauci sunt, qui saluantur. Putas, quia illi qui cùm malè fecerint lætantur, & exultant in rebus pessimis: vel sciant vel recogitent, quia veniet dominus? Si dixerint ipsi, tu noli credere, quia qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Non enim ita se omni impuritate polluerent, si dominum venturum scirent vel formidarent, sed vigilarent vtique, & non sinerent perfodi conscientias suas: Scientia autem ista in primo operatur gradu pœnitudinem, id est dolorem: vt risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem conuertat: & incipiant tibi displicere, quæ vehementer ante placuerant, & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. In secundo verò gradu operatur correctionẽ, vt iam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, iugu-

les luxuriam, superbiã deprimas, & facias seruire sanctitati corpus, quod iniquitati ante seruierat. Pœnitudo enim sine correctione non proderit. Qui enim baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, nihil proficit lauatio eius. Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multa circunspectione mens indefessa vigilet & attendat. In tertio gradu operatur solicitudinem, vt iam incipiat solicitius ambulare cum Deo suo: & ex omni parte scrutetur, ne vel in leuissima re tremendæ illius maiestatis offendat aspectus. In pœnitudine accenditur, in correptione ardet, in solicitudine lucet: vt interius & exterius renouetur. Hic iam respirare incipit à tribulatione malorum & dolore: & timoris magnitudinem spiritali lætitia temperare, ne suorum enormitate scelerum abundantiori tristitia absorbeatur. Hinc & si timet à iudice, sperat à saluatore, cùm iam in animo timor & lætitia obequitent & obuient sibi: plerunque timor lætitiam superet: lætitia fœpius timorem excludat: & infrà sui gaudij concludat arcanum. Felix conscientia, in qua luctamen huiusmodi indesinenter conficitur, donec quod mortale est absorbeatur à vita: donec euacuetur timor qui ex parte est: & succedat lætitia, quod perfectum

fectum est: quia non timor sempiternus, sed lætiita sempiterna erit ei.

De causa diligendi Deum.

CAP. XXIIII.

CAusa diligendi Deum, Deus est. Modus sine modo diligere. Ob duplicem causam, Deum dixerim propter seipsum diligendum: siue quia nil iustius, siue quia nil diligi fructuosius potest. Multum quippe meruit de nobis, qui & in meritis seipsum dedit nobis. Quid enim melius seipso poterat dare vel ipse? Ergo si Dei meritum quæritur, illud est præcipuum: quia ipse prior dilexit nos. Dignus planè qui redametur, præsertim si aduertatur quis, quos qualitercũque amauerit. Quid nãque aliud faciat considerata tanta & tam indebita miseratio: tam gratuita dilectio: tam inopinata dignatio: tam inuicta mansuetudo: tam stupenda dulcedo? Quid inquam, hæc omnia faciant diligenter considerata, nisi vt considerantis animum ad se mirabiliter rapiant, vehementer afficiãt, faciántque præ se contẽnere quicquid, nisi in contemptum horum appeti non potest? Amat *In libro, de diligẽdo Deum.*

Amat Deus, & ex se toto amat: quia tota trinitas amat: si tamen totum dici potest de infinito & incomprehénsibili: aut certè de simplici: Intuens hæc, credo satis agnoscit, quare Deus diligendus sit: hoc est, vnde diligi mereatur.

De modo diligendi Deum.

CAP. XXV.

In libro, de diligendo Deum.

INfidelis mirum non est, si Deum quem minus agnoscit, minus & diligit. Attamen & ipse totum ei sese debere non ignorat, quem sui totius non ignorat autorem. Quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ, non solùm gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorẽ, sed insuper etiam copiosissimum redẽptorem, æternum conseruatorem, ditatorem, glorificatorem? Illum ratio vrget, & iustitia naturalis: totum se tradere illi, à quo se totum habet, & ex se toto habere diligere, mihi profectò fides tantò plus indicit diligendum, quantò & eum meipso pluris æstimandum intelligo: quippe qui illum non solùm mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem. Quòd si totum me debeo pro

pro me facto, quid addam iam & pro refecto? Nec enim tam facilé refectus quàm factus. At verò, qui me tantum & semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira: & pertulit dira, nec dira, sed indigna. Quid ergo retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me, pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Hinc vide, quomodo, imò quàm sine modo à nobis Deus amari meruerit, qui prior dilexit nos tantus & tantum & gratis, tantillos & tales. En quid dixisse me memini, modum esse diligẽdi Deum sine modo diligere? Denique cùm dilectio quæ tendit in Deum, tendat in immensum: tendat in infinitum (nam & infinitus est Deus & immensus) quisnam quæso, debeat esse finis nostræ vel modus amoris? Quid quòd amor ipse noster non tam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat ergo immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ charitas. Amat Deus. cuius magnitudinis non est finis, cuius sapientiæ non est numerus, cuius pax exuperat

rat omnem intellectum: & vicem rependimus cum mensura. Diligam te domine fortitudo mea, dominus firmamētum meum, & refugium meum, & liberator meus: & meum deni q; quicquid optabile atque amabile dici potest. Deus meus adiutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo, minus quidem iusto, sed planè non posse meo. Qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen vltra quàm possum. Potero verò plus cùm plus donare dignaberis: nunquam tamen prout dignus haberis. Satis quātum reor apparet, quo nam modo Deus diligendus sit.

De præmio diligendi Deum.

CAP. XXVI.

In libro, de dilgendo Deum.

NOn sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmij sit intuitu diligendus: vacua nanque vera charitas esse non potest. Verus amor seipso contentus est: habet præmium, sed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. Præmium sanè necdum amanti proponitur: amanti debetur: perseuerantiredditur. Deum amans, anima aliud præter

præter Deum sui amoris præmium non requirit, aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit. Suprà dixi: causa diligendi Deum, Deus est. Verum dixi, nam & efficiens & finalis. Ipse dat occasionem, ipse creat affectionem, desideriū ipse consummat. Ipse fecit vel potius factus est vt amaretur. Ipse speratur amandus felicius, ne in vacuum sit amatus: eius amor nostrum & præparat, & rémunerat. Præcedit benignior, rependitur iustior, expectatur suauior. Diues est omnibus, qui inuocant eum: nec habet tamen seipso quicquam melius. Se dedit in meritum, se seruat in præmium. Se apponit in refectionem animarum sanctarum: se in redemptionem distrahit captiuorum.

De statu instorum ante aduentum domini.

CAP. XXVII.

In secunda parte sermonis de omnibus sanctis qui sic incipit. Cùm de altari illo.

DOnec veniret desideratus ille, qui sanguine suo deleret chyrographū dānatiōis nostrę: & flāmeū extinguēs gladiū aperiret credētibus regna cælorū, nullus omnino cuiquā sanctorū ad ea patebat accessus.

sed

sed prouiderat eis dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerij: chaos magnum firmans inter sanctas illas animas & animas impiorum. Quamuis enim vtreque in tenebris essent, non vtreque erant in pœnis, sed cruciabantur impij: iusti verò consolabantur. Quòd enim in tenebris essent, beati Iob testimonio didicimus: qui se quoque in locum tenebrosum & opertum mortis caligine perhibebat iturum. Hunc ergo locum obscurum quidem, sed quietum: sinum Abrahæ dominus vocat, pro eo (vt arbitror) quòd in fide & expectatione quiescerent saluatoris. Abrahæ enim fides tam manifestè probata est, & approbata: vt primus ipse fututæ incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum saluator descendens, contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit, eductósque vinctos de domo carceris: sedẽtes quidem, hoc est quiescentes: sed in tenebris & in vmbra mortis, iam tunc quidem sub altare Dei collocauit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum: & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus quo procedant completo iam numero fratrum: & percipiant regnum quod eis paratum est ab origine mundi.

Quòd

Quod absque præsenti ecclesiæ cælestis gloria perfici non potest.

CAP. XXVIII.

DE statu & consummatione ecclesiæ finis omnium pendet. Tolle hanc, & frustra inferior ista creatura reuelationem filiorum Dei expectat. Tolle hanc, & neque Patriarchę, neque Prophetę aliqui consummabuntur. Tolle hanc, & ipsa sanctorum angelorum pro imperfectione numeri sui gloria claudicabit: nec Dei ciuitas de sui integritate gaudebit. Vnde ergo implebitur propositum Dei, & mysterium voluntatis eius, magnúmque illud sacramentum pietatis? Tu putas Deum nostrum totã habiturum suæ gloriæ laudem, donec veniant, qui in conspectu angelorum psallant sibi, lætati sumus pro diebus, quib' nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. Hoc genus lætitiæ cæli nescierunt, nisi per ecclesiæ filios. Ob hoc nemo vnquã lætatur, qui nunquã non lætatur. Oportunè post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus. Placet cunctis securitas. sed ei magis qui timuit. Iocũda omnibus lux, sed cuadenti de potestate tenebrarum iocun-

Super cã. ferm. 68.

dior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat. Felix proinde in sua vniuersitate ecclesia, cuius omnis gloriatio impar est causæ: non pro his tantùm quæ illi iam facta sunt, sed pro his quoque quæ de illa adhuc oportet fieri.

Finis libri secundi.

CAPITVLA LIBRI TERTII.

Quis sit dignus prælatione. 1
Quid necessarium prælato. 2
De bona conscientia. 3
De zelo prælatorum. 4
De pietate prælatorum. 5
Quòd animæ infirmæ oneri sunt prælato, non sanæ. 6
De solicitudine prælatorum. 7
De doctrina prælatorum. 8
Quòd prælato sicut Deo obediendum sit. 9
Quòd prælato, contraria Deo iubenti, non est obediendum. 10
Quòd nõ inobedientia sed intentio inobedientis pensatur. 11
Quòd periculosè viuitur absque magistro. 12
Quòd non sit vnius meriti socialiter viuere, & vtiliter præesse. 13

Quomodo prælatus vel prædicator inuitatur à Deo ad instruendas animas. 14
Quid cauendum sit prædicatori. 15
Quomodo securè prædicatur. 16
De puritate pontificum. 17
De clamore pauperum ad pontifices. 18
De superfluo habitu sacerdotum. 19
De quorundam prælatorum crudeli ardore dominandi. 20
De suspicione & vitiosa solicitudine episcoporum. 21
Quòd considerato labore prælatorum minus placet honor eorum 22
De periculo prælationis. 23
De acceptione personarum. 24
Quòd ira & nimia pietas subuertunt iudicium. 25
De diuersis generibus ambientium. 26
De malis prælatis. 27
De prælatis qui sibi usurpant prælationem. 28
Quòd persecutio discernit mercenarios à pastoribus. 29
De iudicio prælatorum 30

LIBER TERTIVS.

Quis sit dignus prælatione.

CAP. I.

In secunda parte epistolarum ad dominum Papã Eugeniũ.

SI rebus raritas pretium facit, nil in ecclesia pretiosius, nil operabilius bono vtilíque pastore. Nempe rara auis est ista, si proinde quis talis interdum reperiatur, & occasio detur, confestim iniicien dæ sunt manus: & totis viribus satagendum ne qua vi, ne qua arte malitię fructuosa promotio valeat præpediri. Idoneus planè & dignus, qui ponatur custos animarũ, quam propriè cura animę à commissarum diligentia & solicitudine non impedit autdretardat, dum non quærit quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est, sed quod multis. Si fortè ad regimen animarum assumitur, qui se neque ad congaudendum sentit promptum, neque pronum ad condolendum, talis quidem aliis non prodest, sibi obest plurimum. Porrò sese ingerere, quantæ impudentiæ est? De colloquio Symonis & Iesu. Speret ergo gradum minister, qui dominicum pascere gregem satagit. Pascere verò tripli

Super cãt. serm. 30.

Super cãt. serm. 10.

tripliciter, exemplo conuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis. Et pascere ad mandatum Christi, vt nemo sibi hunc assumat honorem, sed qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron. Per eum nempe, si quis introierit saluabitur, & inueniet pascua. Sin verò ascenderit aliunde, planè fur est & latro. Iam qui per Christum sibi in sortem ministerij huius introisse videtur, decætero quemadmodum ei seruiat, quemadmodum ministret, quemadmodum pascat tripliciter, vt prædiximus gregem domini, solicita secum examinatione discutiat. Indignus enim lacte & lana conuincitur, si non pascit oues: si non vigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat & bibit. Porrò potestate accepta, malle in malo quam in bono vti, abuti est. Hæc sunt, quæ pastori conueniunt: bonitas, disciplina, scientia.

In quibus dã doctus.

Bonitas attrahit, Disciplina corripit, Scientia pascit, Bonitas amabilem, Disciplina imitabilem, Scientia docibilẽ reddit.

Quid sit necessarium prælato, vt dignè præesse possit.

CAR. II.

De colloquio Symonis & Iesu.

QVisputas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam: vt det illis escam in tempore? Quæris fortè quamescam. Meus inquit cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Nimirum vita in voluntate eius. Qua quidem nec ipse pasci, nec alios pascere poterit: nisi sit fidelis & prudens: vt & eam intelligat & diligat: diligat autem fortiter, di diligat & feruenter. Quando enim ignorantia excusare posit hominẽ, qui magistrum infantium, doctorem se insipientium profitetur? Ignorans vtique ignorabitur: imò & multos ignorare faciens faciet ignorari. Quid enim periculi sit, vbi pastor non inuenit pascua: ignorat dux itineris viam: vicarius nescit domini voluntatem; ecclesia quotidie multipliciter & miserabiliter experitur: est enim vt sacratissima sic & secretissima res voluntas Dei: & occultum omnino consilium. Vtilis prouidè lectio, vtilis eruditio est: sed multò magis vnctio necessaria: quippe quæ sola docet de omnibus. Vnde

de autem scire videtur quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta: qui nec pulsare nec quærere, nec petere consueuit, qui donec alienarum curam susciperet animarum, nunquam suæ gessisse curam, sed in vanũ visus est eam accepisse: Nam de his quidem, qui & vbi fortè intelligunt domini voluntatem negligunt tamen, & quantumprę ualent aduersantur ei. qui dederunt manus morti, & cum inferno iniere fœdus: vt odientes bonum, adherentes malo, parati sint gratis consentire peccato, foueie malit iam, fauere iniquitati: quoniam odiiles Deo & mũdo execrabiles esse constat: melius est silere quàm loqui. Sanè nemo repente fit turpissimus. Et vix aliquis in hunc affectum nequitię, nisi praua consuetudine pertransiuit. Sunt enim debiles quidam, & tepidi amatores iustitiæ. Sunt quibus aut vigor, aut feruor deest: aut fortassis vterque, cùm vterque sit summopere necessarius: inter prospera quippe & aduersa versanti. Vt enim vigoris esse dignoscitur, nequaquam cedere tribulationi: sed pro iustitia persecutionem viriliter sustinere: sic feruori videtur attribuẽdum, nullis capi voluptatibus, nullis illecebris eneruari. Quę quidem cum omni populo tamen specialiter ducibus populi sunt necessaria, ne fortè in perniciem

omnium eos errare contingat. Quid enim refert, qua occasione viam deserant veritatis: seducantur ignari: sequantur spontanei: compellantur inuiti: seu attrahantur illecti quid interest dummodo eant in perditionem? Sic enim Euæ prudentia, Adæ temperantia, Cayn omnino iustitia, Petro defuit fortitudo. Quam quidem virtutis quadrifariè perfectionem, & cathedram sanctitatis, omnimodis exigit ministerium hoc, de quo loquimur: vt hac dote carēs frustra sibi tanquam per Christum introierit, blandiatur. Ergo validos & constantes necesse est esse eos, qui super alios ordinantur: necnon & longanimes in spe atque in supernā mentis verticem attollentes, qui etiam bonum fidei suæ & conuersationis, vbique odrem spergant.

Super cāt. serm. 46.

De bona conscientia prælati.

CAP. III.

IS tantùm puritatis interioris gloria non fraudatur, qui dicere potest cum Propheta. Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde, id est à propria voluntate. Bona obliuio, si teipsum nescias, vt proximo pro

In prima parte epist. ad Henry sū Senon. episcopum

prosis. Benè autem mortuus à corde, si iam tibi viuere non studeas, sed ei qui pro te mortuus est. Sanè in tanta obliuione sui necesse est cor bene conscium esse sibi. quo se in lucra securius foris extendat, cùm securam intra se reliquerit conscientiam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Sed & ordinis exigit ratio, vt qui ad sui mensuram proximum iubetur diligere, prius seipsum diligere norit. Itaque duo sunt præcipuè, quæ bonam reddūt conscientiam: pœnitere de malis, & abstinere à malis. Horum neutrum solum sufficit. Vtriusque virtutis benè conscius animus, securé iam seipsum deserat: & quodammodo perdat, vt aliquos lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmetur, vratur cum scandalizatis: fiat etiam, si oporteat, Iudæis Iudæus: nihilque formidet cum tali conscientia, Exemplo Hieremiæ & Exechielis in Egyptum vel Caldæam, cum transgressoribus captiuari: sed & cum sancto Iob fieri frater draconum & socius struthionum: cum Moyse quoque, quod grauius est, deleri de libro Dei: & cum Paulo anathema esse à Christo. pro fratribus, non timeat cum huiusmodi conscientia. Ipsam denique, si necesse est, intrare gehennam, secu-

rus med ias penetret flammas. Cum tali cõ scientia comparemus, sic placet, thesauros regum, & fastigia regnorum cum huiusmodi fiducia. Nonne cuncta horum felicitas, præ tanti boni diuitiis miseria reputabitur? Et hanc fiduciam operatur charitas.

De zelo prælatorum.

CAP. IIII.

In quadã epistola.

PRælati prodesse magis studeant quàm præesse. Habeat charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum seueritas. Censura quidem nunquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Vigor iustitiæ semper feruidus, sed nũquam præceps. Sicut non omne quod libet, licet: sic non omne quod licet, statim etiam expedit. Oportet prorsus vino zeli in charitate feruentis æstuet, qui aliis præsidet. Alioquin improbè satis præesse affectas quibus prodesse non curas: & quorum non zelas salutem, subiectionem nimis ambitiosæ vendicas tibi, tertio libro de consideratione. Præsis vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues: præsis vt prosis: præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam. Ad quid? Vt det illis escam in tempore, hoc est, vt dispenses non imperes: hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia, vbi supra iiij. libro. Fac tu quod tuum est, nam Deus quod suum est, satis absque tua solicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. Sanè incrementum vbi voluerit dabit Deus non tu: vbi forte noluerit tibi deperit nihil. Tu autem cura inueniri fidelis seruus & prudens, conseruis tuis cæleste triticum communicare: absque inuidia, & absque desidia erogare. De solo tibi credito talento respondere tibi para: secutus de reliquo: si multum accepisti, multum da. Quòd modicium est, & id retribue. Etenim qui in modico fidelis non est, nec in maximo fidelis est. Totũ da, quia totũ repetẽdum est vsque ad nouissimum quadrantem: sed sanè quòd habes non quod non habes. Memento etiam voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud inquis? Vt opera tua verbis concinant, imò verba operibus, vt cures prius videlicet facere quàm docere. Pulcherrimus ordo est & salubertimus: vt onus quod portandum imponis, tu prior

Super cãt. sermo. 23.

Universidad de Deusto Biblioteca

portes : & ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari. Sermo quidem viuus & efficax exemplum est operis : facilè faciens suadibile quod dicitur: dum monstrat factibile quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet atque exẽpli summam tui officij ad conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamẽ si sapis iunges & tertium, studium orationis. Manent itaq; tria hæc, verbum, exemplum, oratio. Maior autem his est oratio. Nam etsi voci virtutis sit opus, & operi tamen & voci gratiam efficientiámque promeretur oratio.

De pietate prælatorum.

CAP. V.

Super cãt. sermo 23. AVdiant prælati, qui sibi commissis volunt semper esse formidini: vtilitati rarò. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos. Studete magis amari, quàm metui. Et si interdum seueritate opus est, paterna sit non tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera: producite vbera, pectora lacte pinguescant: non typo turgeant. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis, quorum potius onera portare debe

debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit ad conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lænitatis, considerans quisque seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin ille in peccato morietur suo: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Quanti hodie de his, qui animas regere susceperunt, quod sine miserabili gemitu dicendum non est: Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant & profligant, in acquisitionem turpis quæstus, & partium vniuersitatis suis marsupiis includere festinant. Hoc solo sanè à Iuda scariothis differentes, quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero compensauit: isti voratiori ingluuie lucrorum, infinitas exigunt pecunias: his insatiabili desiderio inhiant: pro his ne amittant, timent: & cùm amittunt, dolent. Harum in amore quiescunt, quantum duntaxat liberum eis est à seruandi vel augmentandi cura. Animarum verò nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profectò matres, qui cùm sint de crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contri-

Super cãt. sermo 10.

tio

tionem Ioseph. Quæ mater est, non dissimulat: habet vbera & noa vacua. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus nouit: nec cessat exprimere de vbere quidem congratulationis lac exhortationis: de vbere verò compassionis, lac consolationis. Nam congratulatio quidem exhortationis, compassio verò consolationis lac fundit. Videas eam, si quem fortè deprehenderit forti aliqua tentatione concussum: & inde turbatum, & tristem, pusillanimémque factum, non posse iam ferre vim tentationis, quomodo condolet, quomodo mulcet, quomodo plangit, quomodo consolatur: quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat desolatum. Econtrà, si promptum, si alacrem, si bene proficientem cognouerit, exultat: aggreditur salutaribus monitis, accendit amplius: instruit de quibus potest, vt perseueret: & vt in melius semper proficiat exhortatur. Omnibus se conformat: omnium in se transfert affectus: matrem se probat denique, non minus deficientium quàm proficientium. Multos videmus, qui quod crassum est & forte assumentes, quod debile est, proiiciunt. Nunquid medicus valentes requirit, & non potius ægrotantes? Quos docebis magister bone, si omnes indoctos repul

Supercāt. sermo. 52.

repuleris? Quibus quæso habebis diligentiam disciplinæ, si indisciplinatos vel effugaueris vel fugeris? In quibus obsecro tuam probabis patientiam, si solos admiseris māsuetos, & inquietos excluseris? Omnibus quidem optanda est perfectio: proprie autem optimorum forma est prælatorum. Sciunt quippe boni, fideléque præpositi, languentiū sibi creditam animarum curam, nō pompam. Cúmq; internum murmur cuiuspiam illarum querulæ vocis iudicio deprehendunt, & in ipsos vsque ad conuitia & contumelias prorumpentis, medicos se non dominos agnoscentes, parant confestim contra frenesim animæ, non vindictam se medicinam.

Super cā. serm. 25.

Quòd animæ infirmæ oneri sunt prælato, non sanæ.

CAP. VI.

ONus animarum est infirmarum. Nam quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt. Quoscunque igitur de tuis inueneris tristes, pusillanimes, murmuriosos: ipsorū te patrem, ipsorumte noueris esse abbatē: consolando, exhortādo increpando. Agis opus tuum: portas onus tuum:

In primæ parte epi. ad Renal. dum abba tem. de fusmaco.

tuum: & portando sanas, quos sanando portas. Si quis verò ita sanus est, vt magis iuuet te quàm iuuetur à te, huius te non patrem, sed parem: comitem non abbatem cognoscas. Quid igitur causaris de aliquorum, qui tecum sunt, magis grauari consortio, quàm frui solatio, cùm solus omnium omnibus datus sis solatiũ: tanquàm omnibus sanior, omnibus fortior, qui omnibus sufficias per Dei gratiam solatiari, & à nemine omnium indigeas confortari? Denique inquantum grauaris, in tantum lucraris: et in quantum iuuaris, in tantum tibi tua præmia minuis. Elige ergo quos eligas: an qui grauando iuuant, an qui iuuando grauant, hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum existunt. Nam qui socij laboris, proculdubio & mercedis participes erunt.

De solicitudine prælatorum.

CAP. VII.

Super cãt. sermo 53. IS qui aliis præest in solicitidine, vix vnquam vel raro securè vacat sibi. dum semper timet sui penuriam facere subditis & non placere Deo, quòd communi vtilitati propriam præfert: quietem scilicet, & con-

contemplationis dulcedinem. Non autem parum gaudij & securitatis accedit, interdum suauiter ferienti, cùm ex metu quodam & reuerentia erga se immissa diuinitus, cordibus subditorum intelligit suam Deo placere quietem, qui facit vt illi æquo magis animo suas necessitates sustineant: quàm patris spiritualis grata audeant otia temerè perturbare. Quàm boni vigiles, *Super cãt.* qui nobis dormientibus ipsi peruigilant, *serm. 76.* quasi rationem pro animabus nostris reddituri. Quàm boni custodes qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes hostium insidias fagaciter explorãt: anticipant consilia malignãtium deprehendunt. laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur. Hi ergo fratrum amatores & populi Christiani, qui multum orant pro populo, & vniuersa sancta ciuitate. Hi sunt qui multum solliciti pro sibi commissis dominicis ouibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad dominum qui fecit illos, & in conspectu altissimi deprecantur. Et vigilant & deprecantur, scientes suam insufficientiam in custodienda ciuitate. Porrò, cùm dominus ita præcipiat: vigilate & orate, ne intretis in tentationem: liquet quòd absque duplici hoc exercitio fideliũ studióq; custodum

non potest esse secura ciuitas, non sponsa, non oues horum differentiã queris? Vnum sunt, ciuitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oues propter mansuetudinem. Propterea quicunque opus ministerij huius sortiti estis, attendite vobis & precioso deposito, quod vobis creditum est. Ciuitas est: vigilate ad custodiam concordiámque. Sponsa est, studete ornatui. Oues sunt, intendite pastui. Porro, custodia ciuitatis vt sit sufficiens, trifaria erit: à vi tyrannorum, à fraude hęreticorum, à tentationibus dæmonum. Sponsæ verò ornatus in bonis operibus, & moribus, & ordinibus. At pastus ouium communiter quidem in pascuis scripturarum tanquam in hæreditate domini: sed est distinctio in illis. Nam sunt mandata, quæ duris atque carnalibus animis imponuntur ex lege vitę & disciplinæ: & sunt onera dispensationum quæ infirmis & pusillis corde: de respectu misericordiæ apponuntur: & sunt consiliorum solida fortiáque, quæ ex intimis sapientiæ proponuntur sanis: & qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Paruulis namque tanquam agni culis, adhortationis lac potus datur, non esca.

De

De doctrina prælatorum.

CAP. VIII.

BOni solicitíque pastores impinguare pecus non cessant bonis electísq; exemplis, & suis magis quã alienis. Nã si alienis & nõ suis, ignominia est illis: & pec' ita nõ proficit. Si enim verbi causa, ego qui videor inter vos pastoris gerere curam, vobis apposuero Moysi mansuetudinem, patientiam Iob, misericordiam Samuelis, Dauid sanctitatem, & si qua sunt eiusmodi & exempla bonorum: immitis ipse & impatiens atque immisericors, & minimè sanctus sermo: vt vereor minus vobis ex nobis est. Nunc verò bonus pastor hoc quoque curabit, vt secundum euangelium inueniatur, habere sal in semetipso, sciens quia sale sermo conditus, quantum placuerit ad gratiam, tantum proderit ad salutem. Hæc interim de custodia ciuitatis atque ornatu sponsæ: verùm & de pastu ouium dicta sint. Volo tamen adhuc eadem paulò expressius designare, propter eos qui dum auidè nimis honoribus inhiant, minus prouidè grauibus se supponunt oneribus, exponunt periculis: vt sciant ad quid venerint. Ni fallor, ad so-

Super cãt. serm. 76.

Universidad de Deusto Biblioteca

Iam ciuitatis custodiam: vt quantum satis est, procuretur: opus est viro forti, spirituali, fideli. Forti, ad propulsandas iniurias. Spirituali, ad deprehendendas insidias. Fideli, qui non quæ sua sunt, quærat. Porrò, ad mores honestandos vel corrigendos, quod vtique ad decorem pertinet sponsæ, quis non liquidò agnoscat per necessarium fore, cum multa quidem diligentia, disciplinæ censuram? Iam verò quomodo in pascua diuinorum educet eloquiorum gregem dominicum pastor idiota? Sed & si doctus quidem fuerit, non autem sit bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina vberi, quàm noceat vita sterili. Temerè itaque & in hac parte, hoc onus subitur absque scientia, paritérque vita laudabili. Pastores si quidem qui veri pastores sunt, licet habeant de terra & in terra corpora sua, non tamen de terra sed de cælestibus pascuis greges dominicos pascere consueuerunt. Neq; enim suam eis, sed domini prædicant voluntatem.

*

Quòd

Quòd prælato sicut Deo obediendum sit

CAP. IX.

SIue Deus, siue homo, vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profecto obsequendum est cura: pari reuerentia deferendum: vbi tamen Deo contraria non præcepit homo. Quod si contigerit, pergendum indubitáter consulo in Petri sententiam: quia obedire oportet Deo, magis quàm hominibus. Quamobrem, quicquid vice Dei præcepit homo, quod nõ sit tamẽ certũ displicere Deo, haud secus omnino accipiendũ est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest vtrũ per se an per suos ministros, siue homines, siue angelos, hominib⁹ innotescat suum placitũ Deus? Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluatate de rebus dubiis percipienda: & in precipiendo fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius nõ es? A quo deniq; diuina potius cõsilia requirentur, quàm ab illo cui credita est dispensatio mysteriorũ Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè nõ sunt contra Deũ, audire debemus. Porrò, imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis iudicium est: statuta seniorum studiosius

In libr. de obsequendum & dispen.

discutere. Herære ad singula quæ iniunguntur: exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit: aut quod non aliter licere seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata autoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est huiusmodi obedientia. Disputare profectò hoc est in astu cordis, non in auditu auris obedire.

Quòd prælato contraria Deo iubente, non est obediendum.

CAP. X.

In prima parte epistolarum ad Adam monachũ. secunda, quæ sic incipit, Si manere: in charitate.

MAla impreantibus, non est parendum. Præsertim dum prauis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo plane, qui omne quod perperam agitur, interdicit, inobedientem te exhibes. Valde autem pessimum est profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem propter inferiorem, id est diuinam propter humanam soluere obedientiam. Quid enim? Quod iubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem, surdus Deo? Inanis excusatio

cusatio de humana obediẽtia, vbi in Deum conuincitur facta transgressio. Nec dico à subditis mandata præpositorum esse diiudicanda, vbi nil iuberi deprehenditur diuinis contrarium institutis: sed necessariam asserto & prudentiam, qua aduertatur si quid aduersatur & libertatem qua ingenuè contemnatur. Igitur facere malum, quolibet etiã iubente, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam. Sanè hoc aduertendum, quòd quædam sunt pura bona, quædam pura mala, & in his nullam deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittenda sunt cùm prohibentur, nec ista vel cùm iubentur, committenda. Porrò inter hæc sunt media quædam, quę pro modo, loco, tempore vel persona: & mala possunt esse & bona: & in his lex posita est obedientię. In his profectò fas non est nostrum sensum sententię præscribere magistrorum. In his omnino prælatorum, nec iussio nec prohibitio contemnenda Fides, spes, charitas, & cętera huiusmodi, pura sunt bona: quia malè nõ possũt vel iuberi, vel teneri: benè non possunt vel prohiberi vel non teneri. Pura mala sunt, furtum, sacrilegium, adulterium, & cętera talia, quę vtique nec vel bene præcipi, vel perfici possunt: nec malè prohiberi vel nõ fieri.

Aduersus huiusmodi non est lex. Nullius quippe prohibitio valet obuiare præceptis, nullius iussio præiudicare prohibitis. Sunt deinde media quæ qui dem per se nec bona esse noscuntur, nec mala: possunt tamen in differenter, & benè patiter & malè, vel iuberi vel prohiberi: sed malè nullatenus in his à subditis obediri. Ex his sunt vt exempli gratia ponam, ieiunare, vigilare, legere, & quæque talia. Sciendum verò quia media quædam in purorum plerumque bonorum seu malorum transeunt rationem. Nam coniugium cùm & fieri liceat, & non fieri, factum iam, solui non licet. Quod ergo ante nuptias medium esse liquebat, in iam coniugatis puri boni vim obtinet. Item propria possidere seculari quidem homini medium est, quoniam & non possidere licet: monacho verò, quia possidere non licet, purum malum est.

Quòd non inobedientia sed intentio inobedientis pensatur.

In libro de præcepto & dispẽsatione.

CAP. XI.

NOnnulla stulti loquia seu vaniloquia, & quæque otiosè dicta, facta, & cogitata, nunquam nisi contra Dei mandatum

vsurpantur. Peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia non criminalia reputãtur. Excepto cùm per contemptum vertuntur in vsum & consuetudinem, & tũc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Non enim inobedientia, sed impœnitentia facit præuaricationem. Elatio quippe contemnentis atque impœnitentis, obstinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimã: & conuertit in crimẽ grauius rebellionis, nemini satis leuẽ simplicis trãsgressionis. Nõ est enim idipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ nõ ferendæ. Quod & ipsum repugnare est, & resistere spiritui sancto: & si ad mortem vsq; perdurauerit, blasphemia est, non remittenda siue in hoc seculo, siue in futuro. Non ergo qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire.

Quòd periculosè viuitur absque magistro.

CAP. XII.

AVdiant qui sine duce & præceptore, *Super cãt.* vias vitæ ingredi non formidant. Ipsi *serm.* 77.

sibi in arte spiritali existentes, & discipuli pariter & magistri. Non sufficit hoc etiam, conseruant discipulos sibi cęci duces cęcorum. Quàm multi ex hoc à recto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt. Nimirũ ignorantes astutias satanę & cogitationes ipsius, factum est, vt qui spiritu cœperant, carne consummarentur. Abducti pariter lapsi damnabiliter. Videant proinde qui eiusmodi sunt, quomodo cautè ambulent. Seductori dat manum, qui se dare dissimulat præceptori. Et qui dimittit oues in pascua absque custode, pastor est non ouium, sed luporum.

Quòd non sit vnius meriti sociaIiter viuere & vtiliter præesse.

CAP. XIII.

Super cãt. serm. 23. NOn paris facilitatis seu facultatis eiusdem est, petulantes, vagósque sensus atque intemperãtem carnis appetitum magistri comprimere metu: ac rigida disciplinę cohibere censura: & spontaneo affectu bene cum sociis cõuenire castigatis sub ferula viuere moribus, & sola magistra voluntate gratum paribus gerere morem.

Nam

Nam neque rursum vnius quis dicat esse meriti, vniúsve virtutis, socialiter viuere & vtiliter præesse. Quàm multi deniq; sub præceptore quieti viuunt: quos si iugo absoluas, videas non posse quiescere, nec se vllo modo æqualibus seruare innoxios. Itémque innumeros cernes simpliciter & sine querela inter fratres conuersari: super fratres non solùm inutiliter, sed & insipienter & nequiter. Quadam si quidem bona mediocritate contenti sunt, qui huiusmodi sunt, sicut eis mensuram gratiæ partitus est Deus: minimè quidem egentes magistro: nec tamen idonei magisterio. Prioribus ergo sequentes quidem in moribus antecelluntur, sed vtrisq; superiores existunt, qui superiores esse sciunt. Deniq; & accipiũt in promissione qui bene præsunt: constituit super omnia bona domini sui. At pauci profectò qui vtiliter, pauciores qui & humiliter præsint: facilè tamen vtrunq; adimplet, qui matrem virtutum discretionem perfectè adeptus, vino nihilominus charitatis vsque ad contemptum propriæ gloriæ: vsque ad suiipsius obliuionẽ: ad nõ quærenda quæ sua sunt deuiatur: quod solo ac miro spiritus sancti magisterio obtinetur. Virtus si quidem discretiõis absque charitatis feruore iacet: & feruor vehemens absque

disce-

discretionis temperamento præcipitat. Ideo laudabilis cui neutrum deest, quatinus & feruor discretionem erigat, & discretio feruorem regat. Ergo taliter oportet esse moratum eum qui præest. Optimum autem in moribus dixerim, & summam disciplinæ huius perfectè apprehendisse, qui in nullo prorsus, aut resistat prioribus, aut inuideat paribus, aut subiectis, vel desit in cura, vel in superbia præsit. Prælatis obediens, sociis congruens, subditis vtiliter condescendens.

Quomodo prælatus vel prædicator inuitatur à Deo ad animas instruendas.

CAP. XIIII.

In cantic. sermo. 58. ANimas reuisendas, corrigendas, instruēdas, saluandas, anima perfectior inuitatur: quæ tamen id ministerij sortita sit, non sua ambitione, sed vocata à Deo tanquàm Aaron. Porrò inuitatio ipsa quid est, nisi quædam intima stimulatio charitatis piæ nos solicitantis æmulari fraternam salutem: æmulari decorem domus domini: incrementa lucrorum eius: incrementa frugum iustitiæ eius: laudem & gloriam eius.

eius? Istiusmodi itaque circa Deum religiosis affectibus quotiens is qui animas regere, aut studio prædicationis ex officio intēdere habet, hominē suum interiorem sēserit, permouerit: totiēs pro certo Deū adesse intelligat: totiens se ab illo ad animas inuitari. Ad quid, nisi vt euellat & destruat, & ædificet & plantet? Verùm illius libenter doctoris audio vocem, quæ nō sibi plausum sed mihi planctum moueat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis gemendo, id magis quàm declamando studeas oportebit. Exemplum sanè cùm in multis aliis, tamen vel maximè in hoc negotio verbo efficacius est. Dabis voce tuæ vocē virtutis: si quod suades, prius tibi illud videris persuasisse. Validior operis quàm oris vox: facvt loqueris, & non solùm me facilius emendas, sed te quoque graui liberas probro. Non iam pertinebit ad te, si quis dicat, Tu qui alios doces, teipsum non doces. *Super cāt. sermo. 59.*

Quid cauendum sit prædicatori.

CAP. XV.

FIdes, spes, charitas, nobis propter nos donantur: absque his quippe salui esse *Super cāt. sermo. 18.*

non

non possumus. Porrò scientiæ seu sapientiæ sermo gratia curationis, prophetia, similiáque quibus carere cum integritate salutis propriè possumus: proximorum proculdubio in salutem expendenda donantur. Sed sanè cauendum in his, aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepim⁹ retinere. Rem profectò proximi retines tibi, si verbi causa plenus virtutibus cùm sis, forísque nihilominus donis scienriæ & eloquentiæ adornatus, metu fortè aut segnicie, aut minus discreta humilitate, verbum bonũ quod posset prodesse multis, inutili imò & damnabili ligas silentio, certe maledictus, quòd frumenta abscondis in populis. Rursus quod tuum est, spargis & perdis, si priusquam infundaris, tu totus semiplenus festines effundere. Nimirum vita & salute quam alteri das, te fraudas: dum sana vacuus intentione gloriæ inanis, vento in staris: aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris: & lethali apostemate turgens interis. Quamobrem si sapis, concham te exhibebis, & non canalem: hic siquidem penè simul & recipit & refundit: illa verò donec impleatur, expectat: & sic quod superabundat, sine suo damno cõmunicat. Verùm canales in ecclesia hodie multos habemus, cõchas verò perpaucas. Tantę charitatis sunt, per

per quos nobis fluenta cælestia manant: vt ante effundere quàm infundi velint: loqui quàm audire paratiores: & prompti docere quod non didicerunt: & aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Quòd si non habeo nisi parumper olei quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi, & omnino nisi ad prophetæ iussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui, ex his qui forte existimant de me, supra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis. Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Sed charitas inquis, non quærit quæ sua sunt. Et tu scis quam ob rem? Non quærit quæ sua sunt profectò, quia non desunt. Quisnam quærat quod habet? Charitas quæ sua sunt, id est, propriæ saluti necessaria nunquam non habet: nec modo habet, sed etiam abundat. Vult abundare sibi vt possit & omnibus. Seruat sibi quantum sufficiat. vt nulli deficiat. Alioquin si plena non est, perfecta non est. Cæterùm tu frater, cui firma satis propria salus nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera, & arundinea, quatinus omni flatui cedat, omni credat spiritui: omni circunfeţatur

feratur doctrinæ vento: imò cui tanta est charitas vt vltra mandatum quidem, diligas proximum tuum plusquam teipsum. Et rursum, tantilla vt contra mandatum fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia contrahatur, protrahatur ambitione, suspicionibus iuquietetur, conuitiis exagitetur, curis euinceatur, honoribus tumeat: liuore tabescat: tu inquam, ita in propriis teipsum sentiens, quanam dementia quæso aliena curare, aut ambis aut acquiescis? Implere prius, & sic curato effúdere. Benigna prudénsque charitas affluere consuenit, non effluere. Alioquin nec mihi cedet ditari ex te, te exinanito. Si enim tu tibi nequam, cui alij bonus eris? De cumulo si vales, adiuua me: sinautem, parcito tibi

Quomodo securè prædicatur.

CAP. XVI.

Super cãt. Sermo. 18. ACcedit medicus ad vulneratum, Spiritus ad animam. Quam enim non repetiat gladio diaboli vulneratã, etiã post sanarum vulnus antiqui delicti medicamẽto baptismatis? Ergo ad animã cùm accedit spiritus, quid primo opus est? Vt tumor vel vlcus quod

quòd fortè supercreuit in vulnere, & potest impedire sanitatẽ, ante omnia amputetur. Abscidatur itaque ferro acutæ compunctionis, vlcus inueteratæ cõsuetudinis. Sed est acerbus dolor, læniatur proinde vnguento deuotionis: quod non est aliud nisi concepta de spe indulgẽtiæ exultatio: hanc continendi parit facultas & victoria de peccato. Deinde apponitur medicamentum pœnitentiæ malagma ieiuniorum, vigiliarum, orationum, & si qua sunt alia pœnitentium exercitia. In labore cibandus est cibo boni operis, ne deficiat. Itaque comitentur pœnitentiæ labores pietatis opera, quæ confortent. Cibus sitim excitat, potandus est. Accedat cibo boni operis, orationis potus, componens in stomacho conscientiæ, quod bene ingestum est, & commendans Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, & carnalium voluptatũ infundit obliuionem: humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinánsque charitatem, & impinguans mores. Sumpto cibo potúque, quid iam restat, nisi vt panset egrotus: & quieti contemplationis post sudores actionis

incumbat? Dormiens in contemplatione somniat Deum: per speculum siquidem & in enigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen si non tam spectati quàm cõiectati, ídque raptim: & quasi sub quodam coruscamine scintillæ transeuntis tenuiter vix attacti inardescit amore. Talis amor zelat, hîc decet amicum sponsi: hoc necesse est ardeat fidelis seruus & prudens quem constituit dominus super familiam suam: hic replet, hic feruet, hic ebullit, hic iam securus effundit, exundans & erumpens. Prædicet, fructificet, innouet signa & immutet mirabilia: nõ est quo se immisceat vanitas, vbi totum occupat charitas. Siquidem plenitudo legis & cordis est charitas, si tamen est plena. Deus denique charitas est, & nihil est in rebus quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, qui solus maior est illa. Eam nondum adeptus periculosissimè promouetur, quantislibet aliis videatur pollere virtutibus. Si habuerit omnem scientiam, & dederit omnem substantiam suam paupertibus, si tradiderit corpus suum ita vt ardeat absq; charitate vacuus est. En quanta prius infundenda sunt, vt effundere audemus, de plenitudine non de penuria largientes.

Primò

Primò quidem compunctio, deinde deuotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò orationis studium, sextò contemplationis otium, septimò plenitudo dilectionis.

De *puritate pontificum.*

CAP. XVII.

PVritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, & vtilitate proximi: vt in omnibus videlicet actibus vel dictis suis, nihil quærat episcopus suum sed tantùm vt Dei honorem, aut salutem proximorum, aut vtrunque. hoc enim agens implebit non solùm officium pontificis, sed & etymologiam nominis. potestatem vtique faciens seipsum inter Deum & proximum. Pertingit pons iste vsque ad Deum: ea fiducia qua non suam, sed illius gloriam quærit. Pertingit vsque ad proximum illa pietate, qua & ipsi non sibi prodesse desiderat. Offert Deus bonus mediator preces & vota populorum, reportans illis à Deo benedictionem & gratiam. Supplicat maiestati pro excessibus delinquentium, vindicat in peccantes iniuriam Dei. Ingratis impro-

In epistola ad Henr. senon. episcopum.

perat beneficia pietatis, cõtemnentibus potentiæ ſeueritatem inſinuat. Vtriſque tamen nihilominus placare ſtudet indignantis furorem, nunc quidem hominũ obtendens infirmitatem, nunc diuinæ magnitudinem pietatis. Denique ſiue excedat Deo, ſiue ſobrius ſit nobis aut Deo, ſemper quantum in ipſo eſt, placere geſtit, aut præſtare nobis: non quod ſibi omnino vtile eſt quærens, ſed quod multis. Fidelix pontifex, quĩ bona quælibet per manus ſuas tranſeuntia, ſiue diuinè beneficia ad homines, ſiue hominũ vota ad Deũ, colũbino intuens oculo, nil ſibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datum ſed lucrum: nec Dei gloriam vſurpat ſibi. Acceptum talentum non ligat in ſudario, ſed partitur numulariis, à cunctis & vſuras recipit, non ſibi ſed domino. Non habeat foueam vt vulpes, nõ tanquam volucres nidum, non loculos quomodo Iudas, non denique ſicut Maria locũ in diuerſorio: hoc tãto puritatis intimæ bono gloriari nõ poteſt veraciter, niſi qui extrinſecas gloriolas perfectè reſpuerit. Nec enim purè valet vel Dei, vel proximi quærere lucra, qui propria non contemperit.

*

De

De clamore pauperum ad pontifices.

CAP. XVIII.

CLamat penuria pauperum, clamant nudi, clamant famelici, conquerunturque & dicunt. *vbi ſuprà.*

Dicite pontifices in fræno quid facit aurum? Nunquid aurum à frẽno repellit frigus, ſiue eſuriẽ? Nobis fame & frigore miſerabiliter laborãtibus, quid conferunt tot mutatoria vel extenſa in particis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expẽditis. Et nos enim Dei plaſmatio Chriſti, & nos ſanguine redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri. Videte quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſsitatibus detrahitur, quicqd accedit vanitatibus veſtris. Duo deniq; mala de vna prodeunt radice iniquitatis: dum & vos vanitando perditis: & nos ſpoliãdo perimitis. Iumẽta gradiũtur onuſta gẽmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis. Annulli, catenulæ, tintinabula, & clauatæ quædam corrigiæ, multáque talia tam ſpecioſa coloribus, quàm põderibus pretioſa,

mularum pendent ceruicibus: fratrum autem lateribus, nec semicintia miserantes apponitis. Huc accedit, quòd hæc omnia nec negotiationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis: sed nec iure hæreditario possidetis. Et hæc pauperes modo quidam coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Nec enim audent apertè causari aduersum vos, quibus interim pro sua vita necesse habent potius supplicare. Cæterùm in futuro stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerũt: stante quippe pro eis patre orphanorum & iudice viduarum. Ipsius enim tunc vox erit. Quandiu non feciſtis vni de his minimis meis, nec mihi feciſtis.

De superfluo habitu sacerdotum.

CAP. XIX.

In prima parte epiſ. Ad Henricum Seno. epiſcop.

CErnitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus. Verùm tu sacerdos altissimi Dei, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? Si mundo, cur sacerdos? Nam si placere vis mũdo, quid tibi prodest sacerdotium? Nec enim potes duobus dominis seruire. Qui autem amicus vult esse huius mun

mundi, inimicus Deo constituitur. Volens itaque placere hominibus, Deo nõ places: si non places, non placas. Cur ergo vt dixi sacerdos? Sin verò quod addidi placere intendis, non mundo sed Deo: cur qualis populus talis & sacerdos? Enimuero si sacerdos pastor est, & populus oues, dignum est, vt in nullo appareat pastor ouibus dissimilis. Si instar mei qui ouis sum pastor meus & ipse incuruus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, & soli ventri mente ieiunus pabula quæritans, in quo discernimur? Væ si venerit Lupus, non erit qui prouideat, qui occurrat, qui eripiat. Decétne pastorem more pecorum sensibus incubare corporis, hærere infimis, inhiare terrenis, & non potius erectum stare vt hominem, cælum mente suspicere: quæ rursum sunt & quærere & sapere, non quæ super terram?

De quorundam prælatorum crudeli ardore dominandi.

CAP. XX. *vbi suprà.*

NOnnulli cùm præsideant vrbibus valde populosis, totas, vt ita dicã, patrias propriæ diœcesis ambitu circũcludãt: occasione inuẽta ex quocunq; veteri priuilegio,

satis agunt, vt & vicinas sibi subiiciant ciuitates, quatinus duæ quibus duo vix præsules sufficiebant, sub vno dirigantur antistite. Rogo, quæ hæc tam odiosa præsumptio, quis hic tantus ardor dominandi super terram, tam æffrænis cupiditas? Certè cùm primùm tractus es ad cathedram flebas, refugiebas vim, quærebaris multũ ad te & omnino supra te esse, dicens, miserum clamitans & indignum, qui non esses idoneus tam sancto mysterio, tantis non sufficeres curis. Quid igitur nunc verecunda depulsa formidine, sponte ambis ad ampliora: imò irreuerenti audacia propriis non contentus inuadis aliena? Cur hoc? Fortè vt plures populos salues. Sed in alienam messem tuam mittere falcem, iniuriosum est: vt tuæ præstes ecclesiæ. Sed ecclesiarum sponso non placet tale vnius incrementum, quod detrimentum alterius sit Crudelis ambitio & incredibilis, si fidem oculi non astruerent. Vbi est illa terrifica comminatione, qua cõiungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis? Nunquid in his duntaxat exiguis, nec istud metuendum est: non autem cùm vrbes vrbibus: aut prouinciis prouinciæ continuantur. Huius rei gratia nõ pigritantur crebro terræ lumina apostolorum: inuenturi & ibi quod

quod magis dolendum est, qui suæ faueant improbæ voluntati, non quòd valde Romani curent, quo fine res terminetur: sed quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones. Bona humilitas quæ & in præsentiarum ab huiusmodi mordacibus curis, mentem facit esse quietam, & à minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam.

De suspicione & vitiosa solicitudine episcoporum.

CAP. XXI.

QVid episcopo turpius quàm incũbere suppellectili, & substantiolæ suæ scrutari omnia: scisciari de omnibus morderi suspicionibus, moueri ad quæq; perdita el neglecta? Ad verecundiã dico quorũdam eiusmodi, scrutantiũ quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula de minutis & quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille Egyptius, qui Ioseph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus. Christiano sua non credens, homo sine fide, fidem tamen habuit seruo: super omnia bona sua constituens eum. Et

In lib. iiij. de consid. capitu. 5.

hic erat alienigena. Mira res. Satis supérque episcopi ad manum habẽt, quibus animas credant, & cui suas committant facultatulas non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerant. Sed vt liquidò datur intelligi, patientius ferimus Christi iacturam quàm nostram. Quotidianas expẽsas quotidiano reciprocamus scrutinio: & continua dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est: rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, & est qui subleuet eam: perit anima, & nemo qui reputet. Nec mirum, cùm nec nostros quidem afsiduos sentiamus defectus. Nõne ad singulas supputationes istas irascimur, vtimur, anxiamur? Quàm tolerabilius rerum, quàm mentium sustinere iacturam? Quæso, tu qui alios doces, doce teipsum, pluris te habere quàm tua. Transitoria ista quę stare tibi nullo pacto queunt, fac vt à te transeant, non per te. Riuus qui fluit, cauat terram: sic discursus temporalium conscientiam rodit. Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum, & tu te ista sine vulnere mentis posse tra-

ctare confidito. Omnimodis consulo studeas à te auertere concursum horum. Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliuiscaris.

Quòd considerato labore prælatorum, minus placet honor eorum.

CAP. XXII.

FRatres, reuereamur episcopos: sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. Agnoscamus impares vires nostras, non delectet molles & fœmineos humeros virorum supponere sarcinis. Nec obseruemus eos, sed honoremus. Inhumanè nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem, mulier nens in domo. Dico enim: Si is qui de claustro est, eum qui versatur in populo interdum minus districtè, minúsve circunspectè sese agere deprehenderit: verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio: non ad iudicandum statim prosiliat: sed meminerit scriptum. Melior

Super cãt. sermo 12.

est

est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem in tua custodia vigilans, beneficis: sed qui iuuat multos, & melius facit & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est absque quadam inæqualitate vitæ & conuersationis suæ memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sunt contra geminam tentationem, quæ sæpe viri religiosi episcoporũ vel ambire gloriam, vel excessus temere iudicare diabolicis instigationibus instigantur.

De periculo prælationis.

CAP. XXIII.

In secũda parte epis.

COnsidero gradum, & casum vereor. Considero fastigiũ dignitatis, & intueor faciẽ abysi iacẽtis deorsum: attendo celsitudinẽ honoris, & è vicino reformido periculum. Veruntamen optimam partem elegit Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conuersatio Marthæ: sed de electione Mariæ laudatur: quoniam illa quidem omnino quod ad nos spectat, eligenda: hæc verò si iniungitur, patienter est toleranda. Prælatis nimirum vtraque vita necessaria est, & ipsorum est vtrisque prouidere. Nec dubium,

In ser. de verbis psal mi: audiã quid loquatur.

dubium, quin longè periculosior cæteris sit eorum administratio: tamen si bene administrauerint, gradum bonum sibi acquirent: & maiorem abundantiam & supereffluentem mensuram accipient pacis.

De acceptione personarum, quo vitio solent inquinari iudices.

CAP. XXIIII.

DE Auaritia nõ est quo tuũ fatigere intuitum, cùm pecuniam tanquam paleam dicaris habere. Nõ prorsus non est, q̃ pro illa timeatur à iudiciis tuis: sed est quod non minus sæpe nec noxiè minus insidiari iudicantibus solet: de quo maximè quid in tua iaceat conscientia, latere te nolim. Quid illud sit quæris? Acceptio personarum. Non parui te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, & non potius causas iudicas meritorum. Est item vitium, cuius si te immunem sentis inter omnes, quos noui ex his quĩ cathedras ascenderunt, sedebis me iudice solitari? quia veraciter singulariterq; leuasti te supra te. Facilitas credulitatis hæc est. Cuius callidissimæ vulpeculæ magnorum

Ad Euge. Papã. lib. ij. de consi. de. c. xiij.

gnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eisdem nihilo iræ multæ. Inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.

Quod ira & nimia pietas subuertunt iudicium.

CAP. XXV.

In li. ij. de consideratione, ad Eugenium Papam.

OPortet innoteſcat tibi zelus tuus, clementia tua, diſcretio quoque mediatrix earundem virtutum. Qualis videlicet in donandis iniuriis, talis ſis in vlciſcendis: quàm prouidus in vtroque: modi, loci, temporis obſeruator. Prorſus conſiderãda tria hæc in vſu virtutum harum, ne non ſint virtutes, ſi præter hæc reperiantur. Nempe eiuſmodi non natura virtutes, ſed vſus facit. Nam ex ſe indifferentes eſſe noſcuntur. Tuum eſt aut abutendo & confundendo facere vitia: aut bene ordinateque vtendo virtutes. Solent diſcretionis oculo caligante alterutrum ſibi præripere loca, terminos occupare. Porrò caliginis duæ ſunt cauſæ. Ira & molior affectus. Is iudicij cenſuram eneruat, illa præcipitat. Quo enim ab altero non pericliteretur, aut pietas clementiæ aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus, clementer nil intuetur:

tuetur: ſuffuſus fluxa quadam & muliebri mollicie animi rectum nõ videt. Non eris innocens, ſi aut punias eum, cui fortè parcendum eſſet: aut parcas ei, qui fuerat puniendus. Impunitas auſum parit: auſus exceſſum. Impunitas incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, trangreſſionum nutrix. *In lib. iiij. de conſid.* *In lib. iij. de conſide.*

De diuerſis generibus ambientium.

CAP. XXVI.

SVnt quæ neceſſariò à nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut neceſſitas meretur. Alius pro alio, alius forte & pro ſe rogat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus. Qui ipſe rogat pro ſe, iam iudicatus eſt. Nec intereſt per ſe, an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem qui non ſit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus. Adulecentẽ & ad placitum cuiuſque loquentem vnum de rogantibus puta etiam ſi nihil rogauerit. Scorpioni non eſt in facie quod formides, ſed pungit à cauda. Si ad talium blanditias cor tuum, vt aſſoleat, molliri ſenſeris, memineris ſcriptum. Omnis homo primùm bonum vinum ponit: cùm autem inebr *In lib. iiij. de conſide-ratione ad Eugen. Papam.*

inebriati fuerint, tunc illud quod deterius est. Pari pondere æstimaueris eius humilitatem, qui timet & eius qui sperat. Viri cállidi & dolosi esse proprium solet, tunc prætendere humilitatem, cùm aliquid obtinere voluerit. De qualibet dicit scriptura. Est qui se humiliat nequiter, & interiora eius plena sunt dolo. De vobis ipsis sumo sententiæ huius euidens exemplum. Quantos quos supplices admisisti, postmodum sustinuisti graues, insolentes, contumaces, rebelles? Quod quidem interius malum tegunt principia, posteriora produnt. Verbosulum adolescentem, & studentem eloquentiæ cum sapientiæ sit inanis, non aliud quàm iustitiæ hostem reputes. Et hanc veluti generalem tibi constituas regulam, vt omnem qui palàm veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si te iudicante dicendum coràm illo renuerit, delatorem iudices, non accusatorem.

De per

De peruersitate quorundam prælatorum.

CAP. VII.

NOn omnes sunt amici sponsi, quos hodie sponsę hincinde assistere cernis, & qui vt vulgo aiũt eam quasi addextrare videntur. Pauci admodũ sunt, qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum: quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedũt nitidi & ornati: circũ amicti varietatibus tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quàm sponsæ custodem? Vnde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiã, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quòd illa pauper & inops & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispida, exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire sed perdere: non est instruere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare & deuorare: dicente de illis domino: Qui deuo-

Super cãt. serm. 77.

uorant plebem meam vt cibum panis. Et in alio propheta. Peccata populi mei comedent. Quasi dicat. Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam solicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorũ, qui non plus vigilet subditorũ euacuandis marsupiis quàm vitiis extirpandis? Vbi qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem domino. Leuiora loquimur: grauiora grauius manet iudicium. O vtinam tam vigiles repterentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram. Vigilarent vtique solicitè seruantes sponsam sibi creditam. imò verò euigilarẽt pro semetipsis. Parum est nostris vigilibus, quòd nõ seruant nos, nisi & perdãt. Alto quippe dimersi obliuionis somno, ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur: vt vel suum ipsorum periculũ expauescant. Inde est, quòd non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter & pereuntes.

De prælatis qui vsurpant sibi prælationem.

De ser. ad clericos. c. 26.

CAP. XXVIII.

VAe vobis, qui clauem tollitis, nõ scientiæ solùm, sed & autoritatis: nec ipsi intr

introitis, & multipliciter impeditis quos introducere debuistis. Tollitis enim, non accipitis claues, de quibus dominus quæritur per prophetam. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego non vocaui eos. Vnde & tantus prælationis ardor, vnde ambitionis impudentia tanta, vnde tanta vesania præsumptionis humanæ? Audeátne aliquis nostrum terreni cuiuslibet reguli non præcipiente, aut etiam prohibente eo occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes quæ in magna domo sua à vasis iræ aptis in interitum sustinet approbare? Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. Vtinam tamen quisquis sic intrat, si fieri posset, tam fideliter ministraret, quàm fiducialiter se ingessit. At difficile fortasis & impossibile est, vt ex amara radice ambitionis, suauis fructus ardeat charitatis. Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia quasi homines qui iustitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi vsurpare gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis vt peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulan-

vbi supra c. 29.

Ibid. c. 26.

tes in carne, Deo placere non possunt: & placere velle præsumunt. Non miramur fratres, quicunque præsentem statum ecclesiæ miseramur: non miramur, si vindemiant vineam domini, qui institutam à domino prætergreditur viam. Nihil enim illi de spiritu mansuetudinis, quo præoccupatos in dilecto posit instruere cõsiderans seipsum ne & ipse tentetur. Compunctionis lachrymas nescies, lętatur magis cùm malefecerit: & in rebus pessimis exultat. Pecuniam non iustitiam gliscit, oculi eius omne sublime vident, insatiabiliter esurit dignitates, gloriam sitit humanam. Procul ab eo misericordiæ viscera: sæuire potius & tyrannum exhibere lætatur: quæstum æstimat pietatem.

vbi supra c. 27.

Quod persecutio discernit mercenarios à pastoribus.

CAP XXIX.

Vbi supra c. 30.

VTinam hodie quicunque pastores nõ sunt, Mercenario se gregi vellẽt exhibere, non lupos. Vtinam ipsi nõ læderent, vtinam non fugerẽt nemine persequente: vtinam non exponerẽt gregem, donec lupus veniens videretur. Nimirum sustinendi fuerãt, si inuenirẽtur, præsertim tempore

tempore pacis recipientes mercedẽ suam: & pro mercede saltem in custodia gregis laborantes: dummodo non ipsi turbarent gregem: & gratis auerterent à pascuis iustitiæ & veritatis. Nam persecutio quidem indubitanter mercenarios à pastoribus segregat & discernit. Quando enim transitoria damna non timeat, qui temporalia lucra sectatur? quando terrenam sustineat persecutionem propter iustitiã, qui magis terrenam mercedem quàm iustitiã quærit? Vsque adeò siquidem persecutionem non sustinẽt propter iustitiã, vt persecutionem malint quàm iustitiam sustinere. Nempe contraria est operibus eorum, grauis est eis etiam ad audiendũ. Cæterùm propter auaritiam, propter ambitionẽ paratos videas vniuersa pericula subire: suscitare scãdala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta. Non est quòd fures timeant veri pastores, qui in cælo thesaurizant. Nõ est quòd causentur de multiplici tribulatione, vbi multiplicationẽ mercedis attendunt. Quinimò gaudeãt magis vt dignum est, quòd non tam persecutio quàm remuneratio augeatur. & exultẽt eo abundantius, quò plura sustinẽt propter Christum, vt eos proinde copiosior merces maneat apud ipsũ. Quid timidi estis modicæ

fidei? Fidelis extat sententia irrefragabili veritate subnixa: quia nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Sed parum est non nocere, etiã proderit & copiosius proderit, dummodo iustitia sit in intentione: Christus in causa, apud quem patientia pauperum non peribit in finem.

De iudicio prælatorum.

CAP. XXX.

De colloquio Symonis & Iesu.

IN clero gerens iniqua, quid ni de mini sterio iudicetur? Cæleste tenet officiũ: angelus domini exercituum factus est tanquàm angelus, aut eligitur, aut reprobatur. Inuenta quippe in angelis prauitas districtius iudicetur necesse est: & inexorabilius quàm humana. Age ergo quoniam iudicium graue his qui præsunt, & potentes potenter tormenta patientur. Ascendat superbia tua semper: sequere regem tuum: omne sublime videant oculi tui: festina multiplicare præbendas: inde ad archidiaconatus euola. Demum aspira ad episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus: quoniam sic itur ad astra. Quò progrederis miser? An vt ab altiore gradu sit casus grauior? Neque enim sic paulatim decides: sed tanquam fulgur in impetu

petu vehementi quasi alter satanas subitò deiicieris.

Finis libri tertij.

CAPITVLA LIBRI QVARTI.

De *infinita ambitione clericorum.* 1
De promotione iuuenum ad ecclesiasticas dignitates. 2
De *clericis qui peruerso ordine quærunt ecclesiastica beneficia.* 3
De clericis qui malè deseruiunt eis, quæ de ecclesiis habent. 4
De *clericis qui malè expendunt redditus ecclesiæ.* 5
Quòd clerici nullius sint ordinis. 6
De *impudentia clericorum.* 7
De *insolentia clericorum.* 8
Quomodo à singulis generibus quod delectat vsurpant clerici. 9
De *abominatione clericorum.* 10
Admonitio ad ipsos vt se corrigant. 11
De *periculo clericorum.* 12
De peruersitate quorundam clericorum ac religiosorum. 13
De *intemperantia monachorum.* 14
De *delicatis cibis monachorum.* 15
De *nimio potu.* 16

De pretioso habitu. 17
De superbis religiosis. 18
De negligentia abbatum. 19
De ornamentis monasteriorum. 20
De sculpturis & picturis quæ fiunt in monasterijs. 21
De aduocatis. 22
De appellationibus. 23
De vsurpatione appellationum. 24

LIBER QVARTVS.

De *infinita ambitione clericorum.*

CAP. I.

In prima parte epistolarum ad Henricum Senonnen. episcopũ.

CVRRITVR in clero passim ab omni ætate & ordine: à doctis pariter & indoctis ad ecclesiasticas curas tanquã sine curis iam quisquis victurus sit, cum ad curas peruenerit. Nec mirum de his, qui necdum in semet ipsis experti sunt: videntes quippe illos qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ submiserunt: non solùm non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati

cæcati non vident, sed fauoribus amplius quos illis inuidẽt, prouocantur. O infinita semper ambitio & insatiabilis auaritia. Cùm primos honorum gradus meruerint in ecclesia, meruerunt autem vel vitæ merito, vel pecuniæ siue etiam carnis & sanguinis quæ regnum Dei non possidebunt prærogatiua: non ideo corda quiescunt duplici semper æstuantia desiderio: quo vtique magis ac magis vr dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur: verbi gratia: cùm factus quis fuerit in quacunque ecclesia decanus, præpositus, archidiaconus, aut aliquid huiusmodi: non contemptus vno in vna, plures sibi, imò quotquot valet conquirere honores satagit: tam in via quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus euenerit, libenter vnius præferret episcopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus episcopus, archiepiscopus esse desiderat. Quò fortè adepto, rursum nescio quid altius somnians laboriosis itineribus, & sumptuosis familiaritatibus, romanum statuit frequentare palatium: quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias. Si lucri spiritualis gratia hæc faciunt, laudandus est zelus, sed præsumptio corrigenda.

De promotione iuuenum ad ecclesiasticas dignitates.

CAP. II.

In eadem epistola. vbi supra.

MEditantibus honores, blandiuntur: sed onera pensantibus, tedio sunt atq; formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera. Grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent insulas dignitatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria & non pœna, purum esse clericum erubescitur in ecclesia, seque viles æstimant & inglorios, qui quocunque eminentiori loco non fuerint sublimati. Scholares pueri & impubes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad ecclesiasticas dignitates: & sub ferula transferuntur ad principandum præsbyteris: lætiores interim quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum: nec tã illis blanditur adeptum, quàm ademptum magisterium. Et hoc quidem in initio. Processu verò temporis paulatim insolescentes, docti sunt in breui vendicare altaria, subditorum marsupia vacuare: magistris nimirum in hac disciplina vtẽtes idoneis, ambitione & auaritia. Nec dicimus quãcunque ætatem Dei gratiæ præmaturam: sicut nec seram, cùm multos videamus iuniorum super senes intelligere: moribus antiquare dies: præuenire tempora meritis: quod ętati deest, compensare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur esse, student in malitia. Malitia inquam, sed non sensu, quorum nemo contemnat adolescentiam. Meliores bonæ indolis adolescentes, inueteratis dierũ malorum. Puer centum annorum maledictus erit, & est è regione senectus venerabilis non diuturna, neq; annorum numero computata. Bonus puer Ieremias qui ante sanctificatus quàm natus, cùm se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super gẽtes & regna. Bonus quoque Daniel cuius spiritum suscitauit Deus, vt conuinceret iniqua iudicia, & sanguinem noxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis: & ætas senectutis vita immaculata. Si cubi huiusce modi puer senex promotus inuenitur, opus Dei est: his qui tales non sunt, mirandum non imitandum.

De

De clericis qui perverso ordine quærunt ecclesiastica beneficia.

CAP. III.

De colloquio Symonis & Iesu.

QVis ea intentione gradus ecclesiasticos & mysteria sanctaurij quęrit, imò quæritur: quæri nempe quã quęrere, citius ipse debuerat: vt sine seculi curis in sanctimonia cordis & corporis illuminãdus accedat ad dominũ, & suã pariter & proximorũ operetur salutem, orationis studio deditus & verbo prædicationis. Nam si eo quærit aut tenet animo, eóque intuitu vt huic vitæ habeat necessaria, euangelizat vt manducet, & peruerso nimis ordine, celestibus terrena mereatur. Quàm certè dignius ampliúsque consentaneum rationi, vt pro carnali victu, carnalia magis opera & negotia exerceret: nec fieret inuersor rerum, aut in honoraret ministerium spirituale. Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt: quippe minori facilè satis obtuenda periculo: honorati incedere volunt: placere student hominibus: ditari & superbire, & huic seculo conformari. Audi querelas domini: quid super hac tanta temeritate hominum loquatur. Ipsi

Ipsi inquit, regnauerunt & non ex me: principes extiterunt, & ego non vocaui eos. Vniuersos siquidem in ordinibus ecclesiasticis cæterisque ad sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium: aut diuitias, seu corporis voluptatem: postremò quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi: manifestè prorsus & indubitanter non ea quæ Deus est charitas, sed aliena à Deo & omnium radix malorum cupiditas introduxit. Quid istud temeritatis, imò quid insaniæ est? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria. Vbi gehenne metus, & terribilis expectatio illa iudicij? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi nisi rege introducente præsumit: tu irreuerenter irruis, nec vocatus nec introductus? Trahe me post te (ait illa) in odore vnguentorum tuorum curremus. Nunc autem trahit sua quemque voluptas: & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum damnatio iusta est.

De clericis, qui malè deseruiunt ea quæ de ecclesiis habent.

CAP. IIII.

VAe tibi clerice. Mors in olla, Mors in ollis carnium. Mors in huiusmodi

Vbi supra

d eliciis

deliciis est. Non quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur: sed ob id maximè quia populi constat esse peccata quæ comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas cantãdo (vt aiunt) bona tibi prouenire videntur: sed bonum erat fodere magis aut etiam mendicare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Solicitus esto tanquam redditurus rationem, dignos pro eis gemitus fundere: dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi noueris imputanda, quæ modo inter delicias concedis & paruipendis: & dissimulas tanquam nihil attinentia tibi. O iudiciorum Dei abyssus multa. O terribilis Deus in consiliis super filios hominum, frustra incipient miseri dicere montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos. Venient ante tribunal Christi. Audietur populorum querela grauis, accusatio dura, quorum vixêre stipendiis, nec diluere peccata quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt: quid diuitiæ illæ oblectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium, tam durè temetipsum obligas rationi? Vniuersa quidem vsque ad quadrantem nouissimum exigeris. Sed esto.

Surgis

Surgis ad vigilias: vadis ad missas: horis chorum nocturnis, diurnisque frequentas. Bene facis. Sic ecclesiæ præbendam non accipis gratis. Dignum est, vt qui altario deseruit, de altario viuat. De colloquio Symonis & Iesu. Viuat de altario inquam. Non superbiat, non luxurietur, non ditetur, non in clericatu diues ex paupere fiat, ex ignobili glorioſus. Non sibi de bonis ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes: ne filias dixerim, nuptui tradat. *In epistola ad Ful conẽ lingonesem. puerum.*

Conceditur ergo tibi, vt si bene desetuis, de altario viuas. Non autem vt de altario luxurieris, vt inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseáque pellicia: à collo & manibus ornatu purpuero diuersificata. Denique quicquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *In epistola ad Ful conem lingonensem puerum vbi suprà*

De

De clericis, qui malè expedunt redditus ecclesiæ.

CAP. V.

De colloquio Symonis & Iesu. Vbi suprà.

RES pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dinoscitur, Sanè patrimonia sunt pauperum facultates ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores non vtiq; vel possessores vltra victum accipiunt & vestium. Nec enim ordinauit Deus his, qui euangelio seruiũt, & de euangelio quærere diuitias vel ornatum, sed viuere ex eo, vt videlicet sint contenti alimento corporis, non gulæ irritamenta, aut incentiua libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur accipere. Sanè qui non fideliter introiuit, neque per Christũ, quid ni infideliter agat & contra Christum? Manifestam sine dubio faciet arborẽ fructus, radicem, palmes, opus, intentionem. faciet ad quod venit, vt mactet vtique & dispergat. Quando enim altario seruiat, qui eiusmodi est, seruiat autem in spiritu & veritate? Aut quando poterit necessariis contentus esse, qui eo animo introiuit, vt stipẽdia cleri in voluptatis, curiositatis q̃ cõgreget vsum, seruet & expendat? Triplex ergo funiculus, qui difficilè rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impurè intrat, indignè ministrat, sed & ipso fructu aburitur temporali.

Quòd clerici nullius sunt ordinis.

CAP. VI.

QVid sibi vult, quòd clerici aliud esse, aliud ideri volunt? Nempe habitu militẽ, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant vt milites, neque vt clerici euangelizant. Cuius ordinis sunt? Cùm vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt. vtrumque cõfundunt. Vnusquisque inquit, in ordine suo resurget. Isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt sine ordine peribunt? Aut si summè sapiens Deus veraciter creditur à summo vsque ad deorsum nihil inordinatum relinquere, vereor non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. O miserandam sponsam talibus creditam paranimphis, qui assignata cultui eius proprio retinere quęstui non verentur. Non amici profectò sponsi sed æmuli sunt. Heu data est prouidentia eorum in occasio

In lib. 3 de consider.

De colloq. Symonis & Iesu.

nem carnis: & qui sibi pariter & aliis in cælo tabernacula æterna parare debuerant, in terra coniungunt domum ad domum, & copulant agrum agro. Quis rapuit ab ore apostolorum temporis huius verbum gratiæ, & fiduciæ verbum? Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Ecce enim vt populus sic & sacerdos. Similiter volunt diuites fieri, similiter imò & abundantius ipsam his præripiunt consolationem. Similiter amicis egent & ipsi, vt in aliena tabernacula recipiantur, vt potè propria non habentes.

In libr. de colloquio Symonis & Iesu vbi suprà.

De impudentia clericorum.

CAP. VII.

CVm impudētia & frōtositas cor hominis obdurauerit, vt nō paueat, nō horreat, non contremiscat, ea iam demum desperatio est. Quid enim? Horum sibi conscius homo tanquam iustitiam fecerit, diuino sese vultui sistere non veretur, tanquàm domesticus intrat, exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego. Dolosè agit, sed in conspectu Dei, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Odibilis planè Deo frontosa temeritas, & impudentia execranda.

Propter quod enim irritauit impius Deum, excerbauit dominum peccator, vt secundum multitudinem iræ suæ non quæ-rat. Nō propter fornicationes, incestus, & scrilegia. Nihil eorum memorat propheta, sed quòd in corde suo dixerit, non requiret. Sermo cordis affectio est, & dicere non requiret non expauescere requisiturum. Hæc impietas, cui secundum multitudinem iræ suæ miseretur Deus, nec quærit nec arguit, ne flagellat, neç vlciscitur in adinuētiones eorum, sicut de Moyse & Aaron, & Samuele legimus, quibus nimirum propicius fuit.

De insolentia clericorum.

CAP. VIII.

Ad Inno. Papam.

INsolentia clericorum vbique terrarum turbat & molestat ecclesiam: alienis nimirum laboribus locupletantur clerici: comedunt fructus terrę absque pecunia: & prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. Mens quippe assueta deliciis, nec exculta disciplinæ sæculo multas contrahit sordes. Væ væ, indomo Dei horrendum videmus. Quid ni idolatras ministrantes? Mentior, si non ideolorum seruitus auaritia est: sinon quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id si-

In colloq. Symo. & Iesu.

bi Deum constituisse probatur. Quantos sanè videmus, qui Christo domino non seruiunt, sed suo ventri? quantos qui diligunt munera, sequuntur retributionem, vēdunt sacramenta, iustitiam produnt? quorum gutura necdum traxit ad laqueum, necdū præfocauit fauces, verbum blasphemiæ, vox sacrilega sermo nequam: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Fornicatio in multis clericis etiam & multipliciter regnat: qui puritatis autori impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare angelum domini, qui secet medios & dispertat, sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes: & intingere in sanguinem saluatoris manus nepharias, quibus paulò antè carnes prohdolor meretricias attrectarunt: sic altaria circuire, sic frequentare psalmos. cùm & eiusmodi laus execrabilis, & oratio sit in peccatum. Manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescant.

Quomodo à singulis generibus hominum quod delectat, vsurpant clerici.

CAP. IX.

De collo. Symon. et Iesu. Vbi supra.

HAbent singula quæque hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis. Sed ad

aduertere est prudentiam aliquorum & mirari, quemadmodum nouo inter hęc artificio discernentes, & abinuicem sequestrātes ea: totum quod delectat eligunt & amplectuntur: quod molestum est, fugiunt & declinant. Cum militibus nempe superbię fastus amplam familiam, nobiles apparatus æquorum, faleras accipitres, aleas & similia quæque frequentant: Aliqui fortè dispendentes à collo rubricatas murium pellés, ornatos thalamos, baltea & molliciem omnem atque gloriam vestium à mulierculis mutuantur: cautè omnino loricæ pondus & insomnes in castris noctes inceptáque discrimina præliorum: muliebrémque verecundiam & disciplinam: aut si quid sexus ille laboris habere creditur declinantes. Sudant agricolæ putant & fodiunt vinitores: & qui interhæc torpent otio accedente fructuum tempore, innouari sibi horrea iubēt, & promptuaria eorum plena. Vtinam non præ illis, vtinam vel cum illis, Viuunt tritico, bibunt vuę sanguinem meracissimum. Parum est, impinguantur & dilatantur adipe frumenti: herbarum succis peregrinum mutuantur saporem: & additur oleum camino. Sed considera & negociatores. Circumeunt mare & aridam in labore corporis & periculo vitæ, perituras sibi diuitias

congregantes. Dura sunt hæc: caueant prudentes nostri, dulces interèa capiunt somnos, ne dicam in stratis lasciuiant suis. Erit tamen inuenire in die festo graues vasis aureis & argenteis ministrorum dextras: refertas variis opibus mâticas, perticas onerantas: in scriniis tam multiplices loculos: vt si mẽsas adhibueris, numularios putes. Quid fabros, aut cæmentarios, cęteróque eiusmodi operarios, necesse est numerare? Victum sibi multo labore quærunt, illi madent deliciis, copiis effluunt ocioſi. Cùm resurgere cœperint homines, vnusquisque in suo ordine, vbi putas generatio ista locabitur? Si ad milites fortè diuerterint exsufflabunt eos, quòd minimè secum laborem aut pericula tolerarint. Sic agricolæ, sic negotiatores & singuli quique ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, vt pote qui in hominum labore non fuerint. Quid ergo restat, nisi vt quos omnis ardore pellit pariter etiam accusat, eum sortiantur locum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

De

De abominatone clericorum

CAP. IIII.

Dilatata videtur ecclesia: ipse etiã cleri sacratissimus ordo super numerum multiplicatus est. Verùm si multiplicasti gentem domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus appareat decessisse meriti, quàm numeri accessisse. Cutritur passim ad sacros ordines, & reuerenda ipsis quoque spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt, sine reuerentia, sine consideratione. Neque enim signum regni occupare cælestis, aut illius timent imperij gestare coronam, in quibus auaricia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sedet iniquitas, luxuria enim principatur, in quibus pessima forte appareat intra parietes abominatio, si iuxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus, vt in domo Dei videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, ne ipse quidem apud aliquos ignominiæ passiones & turpitudinis opera desunt. Vtinam non fierent quæ vsque adeo non conueniunt: vtinam nec nos dicere oporteret, vtinam nec discẽtibus crederetur: quod humanum aliquando occupauerit animum tam abominanda cupido. Heu genus ele- *In serm. 1. ad cleric.*

ctum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quis inter tua illa primordia tam diuina & spiritalibus affluentem charismatibus christianæ religionis ortum credere posset: posse talia in te aliquando reperiri? Ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viuētis, inhabitant cum hac macula templum sanctum domini polluentes iudicium multiplex accepturi, quòd tam grauissimas conscientias gerunt: & nihilominus sese ingerunt in sanctuarium Dei. Tales enim non modo & non placant Deum sed & magis irritant. Irritant planè & infensum reddunt sibi, vereor ne & his quibus eum propitiare debuerant. Vtinam qui continere nō valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cœlibatui dare nomina vereantur. Esset siquidem sine dubio melius nubere quàm vri: & saluari in humuli gradu fidelis populi, quàm in cleri sublimitate & deterius viuere, & districtius iudicari. Multi enim libertatem in qua vocati sunt, in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium efflu entes.

Ad

Admonitio ad ipsos clericos vt se corrigant.

CAP. XI.

PArcite obsecro fratres, parcite animabus vestris. Parcite sanguini, qui pro vobis effusus est. Horrendum cauete periculum: ignem qui paratus est declinate. Inueniatur tamen non irrisoria profectio per sectionis, exhibeatur etiam virtus in specie pietatis: non sit inanis cœlibis vitæ forma & vacua veritatis. Quid ni periclitaretur castitas in deliciis, veritas in multiloquio, charitas in hoc seculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite & saluate animas vestras. Conuolate ad vrbes refugij, vbi possitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorum: quia vbi illa abundauerunt, superabundare gratia consueuit. Non pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat. Neque enim condignæ sunt passiones ad præteritam culpam, quæ remittitur: non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur: non ad futuram gloriam quæ promittitur nobis. Si verbis non creditis, exemplis acquiescite plurimorum. Cur-

Vbi suprà capitu. 19.

runt vndique peccatores ad pœnitentiã, & natura pariter & consuetudine delicati exteriorem omnino asperitatem non reputant: vt exasperatæ conscientiæ læniantur. Nil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fert auxilium.

De periculo clericorum. CAP. XII.

Super cãt. serm. 23. PAuendum valde quod in propheta legimus: vbi loquens ad angelos suos Deus sic ait. Miseream ur impio. Quibus pauentibus atque quærentibus, non ergo discet facere iustitiam: Non inquit. Subdénsque causam, in terra ait sanctorum iniqua gessit: & non videbit gloriam domini. Timeãt clerici: timeant ministri ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt: vt stipendiis que sufficere debeant minimè contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impiè, sacrilegéque sibi retineant: & in vsus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur. Duplici profecto iniquitate peccantes, quòd & aliena ditipiunt: & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. In labore inquit, hominum nõ sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideóque tenuit eos superbia, ne humilientur ad pœnitentiã, sed damnentur propter superbiam cũ superbo diabolo & angelis eius. Nam qui in labore hominum non sunt, in labore profecto dæmonum erunt.

De peruersitate quorundam monachorum. CAP. XIII.

NOn est magnum esse humilem in abiectionem magna. prorsus & rara virtus humilitas honorata. Si me miserum homuntionem meis decepta simulationibus ad aliquem, vel mediocrem honorem prouexerit ecclesia, Deo nimirum hoc, vel propter mea, vel subditorũ peccata permittente: nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto qualis ab hominibus qui cor non vident putatus sum? Credo famæ. conscientiam non attendo: & reputans nõ honorem virtutibus sed virtutes honori: eò sanctiorem quò superiorẽ me æstimo. Videas plerosque in ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos subito intumescere, pristinæ obliuisci abiectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedigna- *Super euã gelium Missus est. Homil. 4.*

dedignari parentes. Videas & homines pecuniosos ad honores quoſque eccleſiaſticos peruolare: móxque ſibi applauderes ſancti tatem, veſtium duntaxat mutatione, non mentium: & dignos ſe æſtimare dignitate, ad quam ambiendo peruenerunt: quodq; ſi audeo dicere, adepti ſunt nummis attribue re meritis. Omitto autem de his, quos excæcat ambitio: & honor ipſe ſuperbiendi eis materia eſt. Sed video (quod magis doleo) poſt ſpretam ſeculi pompam nonnullos inſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub alis mitis humiliſque magiſtri grauius inſoleſcere: & impatientes amplius fieri in clauſtro quàm fuiſſent in ſeculo. Quodque magis peruerſum eſt, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſua non niſi contemptibiles eſſe potuerunt: vt quia videlicet vbi à pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt: ſaltem ſibi honorabiles videantur: vbi ab omnibus honores contemnuntur. Video & alios, quod non ſine dolore videri debet, poſt aggreſſam Chriſti militiam rurſus ſecularibus implicari negotiis: rurſus terrenis cupiditatibus immergi: cum magna cura erigere muros & negligere mores, ſub prætextu quoque communis vtilitatis verba vendere diuitibus, & matronis ſalutationes: concupiſcere aliena, & ſua cum lite repetere: ita ne mundum ſibi, & ſe mundo crucifixerunt: vt qui antea vix in ſuo vico vel opido cogniti fuerant: modo circumeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias & principũ familiaritates aſſecuti ſunt. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt, niſi quòd illam quã ſeculum deſeruimus humilitatem deſerentes: dum per hoc cogitant inepta denuo ſectari ſtudia ſecularium, canes efficimur reuertentes ad vomitum.

De *intemperentia monachorum.* CAP. XIIII.

NVllus ordo quippiam recipit inordinatum. Quod verò inordinatum eſt ordo non eſt. Vnde nõ aduerſum ordinem ſed pro ordine diſputare putandus ero: ſi non ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Dicitur & veraciter, creditur ſanctos patres monachorum vitam inſtituiſſe: & vt in ea plures ſaluarentur. vſque ad infirmos regulæ temperaſſe rigorem, non regulam deſtruxiſſe. Abſit autem vt credam tantas eos quantas videmus in pleriſque monaſteriis vanitates ac ſuperflu

In libro Apologetico, alias in li. beati Bern. qui inſcribitur de Cõcor. ſtatuũ religioſorum. que pro tẽpore ſuo erant.

fluitates præcepisse vel concessisse. Miror etenim vnde inter monachos tanta intemperantia, in comessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisternis, & equitaturis & constituendis ædificiis inolescere potuit: quatinus vbi hæc studiosius, voluptuosius atque effusius fiunt: ibi ordo melius teneri dicatur: ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia: sobrietas austeritas creditur: silentium tristitia reputatur. Econtra, remissio discretio dicitur: effusio liberalitas: loquacitas, affabilitas, cachinnatio, iocunditas, mollities vestimentorum, & equorum fastus, honestas: lectorum superfluus cultus, munditia. Cúmque hoc alterutrũ impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem. Hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iugulerur. Quæ etenim charitas est, & carnem dilegere, & negligere spiritum? Quæ verò discretio, totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur. Inordinata profecto atque irrationàb

tionabilis misericordia est, sterilis & infructuosæ carnis adimplendis inuigilare desideriis. Bona misericordia miserere animæ tuæ: nec potes non mereri misericordiam, qua fit vt placeas Deo. Aliàs autem non est misericordia, sicut iam dixi, sed crudelitas, non est charitas, sed iniquitas: non est discretio, sed confusio, inutilis carnis concupiscentiis inseruire, & animæ excolendis virtutibus nullam operam dare. Sub hac tamen abusione iam ferè vbique sic pro ordine tenetur: ferè iam ita ab omnibus sine querela atque irreprehensibiliter obseruatur quanquam dissimiliter, Nonnulli quippe his omnibus tanquam non vtentes vtuntur: & ideo aut cum nulla offensa aut cum minima. Aliquanti quippe hæc agunt ex simplicitate: aliquanti ex charitate: aliquanti ex necessitate. Quidã nanque simpliciter ista tenent: quoniam sic eis præcipitur, parati aliter agere, si aliter præciperetur. Quidam autem ne discorditer ab eis viuant, cum quibus habitant, sectantes in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alij verò quia resistere non valent, multitudini contradicentium, qui hæc vtique tanquam pro ordine libera voce defendunt: & quoties isti aliqua prout ratio dictat, restringere vel

mut

mutare incipiunt: illi mox tota autoritate resistunt.

De *delicatis cibis monachorum.*

CAP. XV.

vbi supra. QVis in principio, cùm ordo inceperit monasticus, ad tantam crederet monachos inertiam deuenire? O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonij extitere monachi. Si quidem illi cùm se inuicem per tempus ex charitate reuiserent, tanta adinuicem auditate panem animarum percipiebant: vt corporis cibum penitus obliti, diem plerunque totum ieiunis ventribus, sed non mentibus transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inseruiebatur. Hæc summa discretio, cùm amplius sumebat quæ maior erat. Hæc denique vera charitas, vbi animæ (quantum charitate Christus mortuus est) tanta solicitudine refocillabãtur. Nobis autem conuenientibus in vnum (vt verbis apostoli vtar) iam non est dominicam cænam manducare. Panem quippe cælestem nemo qui requirat: nemo qui tribuat. Nihil de scripturis, nihil de salute animarum: sed nugæ & risus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum

dendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus: quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem ferculafercu is apponuntur & pro solis carnibus a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicatur. Cúmq; prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse priores. Tanta quippe acuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis: prima non impediant nouissima nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum nouellis seducitur condimentis, paulatim dissuescunt cognita: & ad succos extraneos veluti adhuc ieiunum aut de renouatur ad desideria. Venter quidem dum nescit, oneratur: sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, vt eas natura creauit epulas, fastidimus: dum alia aliis multifariè permiscentur: & spretis naturalibus quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (vt cætera taceam) sola oua versantur & vexantur: quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur: & nunc quidem fri-

xa, nunc assa, nunc farsa, nunc mistim, nunc sigillatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia, nisi vt soli fastidio consulatur. Ipsa deinde qualitas rerum talis de foris apparere curatur, vt non minus aspectus quàm gustus delectetur: vt cùm iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus, illiciuntur: infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent: dum omnia suscipere cogitur, oppressus, magis obruitur quàm reficitur.

De nimio potu.

CAP. XVI.

In li. Apologetico. vbi supra. IAm verò de aquę potu quid dicã, quãdo ne vllo quidem pacto vinum limphatum admittitur? Omnes nimirum ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus: & tam necessarium apostoli de vtendo vino consilium merito non negligimus: modico tamen (quod ille præmisit) nescio cur prætermisso. Et vtinam vel solo tunc cùm etiam purum est, contenti essemus. Pudet dicere, sed magis pudeat actitari. Et si pudet audiri, non pudeat emendari. Videas vno in prandio ter vel quater semiplenum

plenum calicẽ reportari, quatenus diuersis vinis magis odoratis, quàm potatis: nec tam hausti quàm attactis, sagaci probatione & celeri cognitione, vnum tandem è pluribus quibus quod fortius est eligatur. Quale est autem illud, quod nonnulla monasteria ex more obseruare dicũtur: in magnis videlicet festis vina dilibuta melle pigmentorum respersa puluueribus, in conuentu bibere? Nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi? Ego verò ad nihil aliud valere video, nisi vt vel amplius bibatur, vel delectabilius. Sed cùm venæ vino fuerint ingurgitatæ, toto in capite palpitantes, sic surgenti à mensa, quid aliud libet nisi dormire? Si autem ad vigilias indigestum surgere cogis, non cantum sed planctum potius extorquebis. Cùm verò ad lectum deuenero, requisitus incommodum plango, non crapulæ peccatum, sed quòd manducare non queo.

De pretioso habitu.

CAP. XVII.

QVid de ipso habitu dicam, in quo *In expositione* iam non calor, sed color requiritur: *tŏe super* magisque cultui vestium quàm virtutum *missus est.* insistitur: Pudet dicere. Vincuntur in suo *Homil. 4.*

studio mulierculæ, cùm à monachis pretium affectatur in vestibus non necessitas, nec saltem forma religionis retenta in habitu: ornari non amari appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium & contra aereas potestates prætendere pauperatis insigne debuerant quod vtique ad uersarij valde formidant: in molitie vestimentorum pacis potius præferentes indicium: vltro se hostibus sine sanguine tradunt inermes. Quæritur ad induendum non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique iuxta regulam quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentari. Heu me miserum, qualemcunque monachum: cur adhuc viuo videre ad id deueniisse ordinem nostrum, ordinem scilicet, qui primus fuit in ecclesia, imò à quo cœpit ecclesia, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus: nullus vicinior ei que in cælis est Hierusalem mater nostra: siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem, cuius apostoli institutores, cuius hi quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatore extiterunt. Fusi sumus nunc exterius: & de regno Dei, quod intra nos est electi, relictis veris ac perennibus bonis, foris quæri

De concordia statuũ relig.

quærimus vanam consolationem: & de vanitatibus & insanijs falsis, ac iam religionis antiquæ nõ solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis solebat esse insigne, à monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ Vix iam in nostris prouinciis inuenimus, quo vestiri dignemur. Miles & monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & clamidem. Quiuis de seculo quantũ libet honoratus, etiã si Rex, si Imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta: si suo sibi modo præparata fuerint & aptata. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.

De *superbis religiosis*.

CAP. XVII.

VAe semel, & væ iterum pauperibus superbis. Væ inquam semel, & væ iterum portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum: qui nimirũ cuius passionibus participantur, humilitatem sectari

In libro Apologetico.

negligunt. Duplici quippe contritione conteruntur, qui eiusmodi sunt: quando & hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt: & in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia perthahuntur. Laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant. Sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non consequuntur. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in patria. Lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. Et merito. Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis Iesu? Nunquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi vnde inuoluta est infantia Saluatoris? Et quomodo intra præsepium domini simulatrix arrogantia se coartat, ac pro vagitibus innocentiæ malum inibi detractionis immurmurat? An non illi superbissimi de psalmo quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multò tutius operti sunt iniquitate & impietate sua, quàm nos latentes sub sanctitate aliena? Quis enim magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?

De

De negligentia abbatum.

CAP. XIX.

MIror, cùm regula dicat ad magistrum vbi supra respicere, quicquid à discipulis delinquitur: & dominus per prophetam sanguinem in peccato moriêtium de manu pastoris requirêdum esse minetur: quomodo abbates nostri talia fieri patiantur, nisi fortè si audeam dicere: nemo fidenter reprehêdit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Si quidem humanitatis est omnium, in quibus sibi quisque indulget, aliis non vehementer irasci. Dicam, dicam, præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est? Quomodo sal terræ infatuatũ est? Quorum nobis vita via vitæ debuit esse. dum exemplũ in suis actibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim vt cætera taceam, specimen humilitatis est, cum tanta pompa & equitatu incedere: tantis hominum crinitorũ stipari obsequiis: quatenus duobus episcopis vnius abbatis sufficiat multitudo? Mentior, si non vidi abbatem septuaginta equos, & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas, si videas transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed

dominos castellorum non rectores animarum. sed principes prouinciarum. Tum deinde gestari iubentur mapulæ, ciphi, bacini, candelabra, & manticæ suffarcinatæ: nō stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à sua quispiam domo recedit, nisi cum tanta suppellectili suæ: tanquam sit vel iturus ad exercitum, vel transiturus per desertum, vbi non valeant inueniri necessaria.

De ornamentis monasteriorum.

CAP. XX.

Vbi suprà OMitto oratorium immensas altitudines, immoderatas longitudines, superuacuas latitudines, sumptuosas depolitiones, curiosas depictiones, quæ dum in se orantium retorquent aspectū, impediūt & affectum: & mihi quodammodo repræsentant antiquum ritum Iudæorum: sed esto, fiant hæc ad honorem Dei. Illud autem interrogo monachus monachos, quod in Gentilibus Gentilis arguebat. Dicite, ait ille pontifices: in sancto quid facit aurum? Ego autem dico: Dicite pauperes. Non enim attendo versum, sed sensum. Dicite inquam, pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et quidem alia causa est episcoporum, alia monachorum. Scimus nāq; quòd

quòd illi sapientibus & insipientibus debitores cùm sint, carnalis populi deuotionem (quia spiritualibus non possunt) corporalibus excitant ornamentis. Nos verò qui iam de populo exiuimus, qui mundi quæque preciosa ac speciosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia canore mulcentia, suaue olentia, dulce sapientia, tactu placentia, cuncta deniq; oblectamenta corporea, arbitrati sumus, vt stercora, vt Christum lucrifaciamus: quorum quæso in his deuotione excitare intendimus? Quem inquam ex his fructum requirimus, stultorum admirationem, an simplicium oblationem? An quoniam commisti sumus inter Gentes, fortè didicimus opera eorum: & seruimus adhuc sculptilibus eorum? Et (vt apertè loquar) an hoc totum facit auaritia, quod est idolorum seruitus, & non requirimus fructum sed datum? Sed quæris quomodo? Miro inquam modo. Tali quadam arte spargitur æs, vt multiplicetur. Expanditur vt augeatur, & effusio copiamparit. Ipso quippe visu, sumptuosarum sed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum quàm ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur: sic pecunia pecuniam trahit: quia nescio quo pacto vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur

libeutius. Auro rectis reliquiis signantur: oculi & loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima forma sancti vel sanctæ alicuius: & eo creditur sanctior quò coloratior. Cur runt homines ad osculandum: inuitantur ad donandum: & magis mirantur pulchra, quam venerẽtur sacra. Ponuntur de hinc in ecclesia gemmatæ nõ coronæ, sed rotæ circunseptæ lampadibus, sed non minus fulgentes insertis lapidibus. Cernimus pro cãdelabris arbores quasdam erectas multò æris pondere, miro artificis opere fabricatas: nec magis coruscantes superpositis lucernis quàm suis gemmis. Quid putas in his omnibus quæritur, pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio?

De sculpturis & picturis quæ sunt in monasteriis.

CAP. XXI.

In libro Apologetico. OVanitas vanitatũ, sed non vanior quàm insanior, fulget ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum, seruitur oculis diuitum. Inueniunt curiosi quo delectentur: & non inueniunt miseri quo sustententur. Vt quid saltem

saltẽ sanctorum imagines non reueremur, quibus vtique ipsum quod pedibus conculcatur, scatet pauimẽtũ? sæpe spuitur in ore angeli: sæpe alicuius sanctorum facies, calcibus tunditur transeuntium. Et si nõ sacris imaginibus, cur vel nõ parcitur pulchris coloribus? Cur decoras, quod mox fœdandum est? Cur depingis, quod necesse est conculcari? Quid ibi valent venustæ formæ, vbi puluere maculantur assiduè? Denique quid hæc ad pauperes, ad monachos, ad spirituales viros? Nisi fortè & hic aduersus memoratum iam versiculum propheticus ille respondeatur. Domine, dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuę. Assentio. Patiamur & hæc fieri in ecclesia quia etsi noxia sunt vanis & auaris, non tamen simplicibus & deuotis. Cæterùm in claustris coram legntibus frattibus quid facit illa ridiculosa monstruositas: mira quædam deformis formositas & formosa deformitas? Quid ibi immundæ simiæ, quid feri leones, quid monstruosi centauri, quid semihomines, quid maculosæ tigrides, quid milites pugnantes, quid venatores tubicinantes? Videas sub vno capite multa corpora: & rursus in vno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis: illic in

pisce

piſce caput quadrupedis. Ibi beſtia præfert equum, capram trahens retro dimidiam. Hinc cornutum animal equum geſtat poſterius. Tam multa denique, támque mira diuerſarum formarum apparet vbiq; varietas, vt magis legere libeat in marmoribus quàm in codicibus: totúmque diem occupare. ſingula iſta mirando, quàm in lege Dei meditando.

De *aduocatis.*

CAP. XXII.

In primo libro, de conſideratione.

DIſputationes aduocatorum & pugnæ verborum, magis ad ſubuerſionem quàm ad inuentionem proficiunt veritatis. Hi ſunt, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, diſerti aduerſus iuſtitiam, eruditi pro falſitate. Sapientes ſunt vt faciant malum, eloquentes vt impugnent verum. Hi ſunt qui inſtruunt à quibus fuerant inſtruendi. Aſtruunt non comperta ſed ſua: ſtruunt de proprio calumnias innocentiæ: deſtruunt ſimplicitatẽ varietatis: obſtruunt iudicij vias. Nihil ita abſque labore manifeſtam faciet veritatem, vt breuis & pura narratio.

De

CAP. XIII.

In libro tertio, de conſideratione.

MAgno in apellationibus & pio opus intuitu eſt: ne quod magna fuit neceſsitate prouiſum, malè vtendo reddatur inutile. Mihi videtur & in multam poſſe eas deuenire perniciem, ſi non ſummo moderamine actitentur. Formulam hanc iuſtitiæ præfigit tibi, & diuinæ incommutabilis ratio æquitatis: & ni fallor, appellationum lex, vt illicitæ vſurpata appellatio nec proſit appellati, nec appellato obſit. Vt quid enim fruſtra faſtigatus ſit homo? Quã plenum iuſtitiæ, vt ſeſe potius læſerit, qui voluit proximum. Appellaſſe iniquè iniquum eſt: iniquè & impunè iniquarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam iuſtitiæ inopia non coëgit. Apellare non vt graues, ſed ſi graueris licet. Appellandum à ſententia, ante ſententiam improbè omnino niſi ob manifeſtũ grauamen preſumitur appellatio. Qui igitur nõ grauatus appellat, liquet: quia aut grauare intẽdit, aut tempus redimere. Non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium. Quantos nouimus appellaſſe pulſatos, quod interim licere: quod nũquã licet? Nonnullis etiã quoad vixerint, licuiſſe appellat

pellationis suffragio nepharia scimus, verbi gratia, incestum, adulterium. Quale est hoc turpitudini patrocinari, quod vel maximè formidari à turpibus oportebat? Quousq; dormitas, quousque non euigilat consideratio tua, ad tantam appellationum confusionem atque abusionẽ? Præter ius & fas, præter morem & ordinẽ fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Præsumitur leuiter passim, plerunque & nequiter. Volentes malignari, nonne his potissimùm terreri solebantur? Nunc terrori ipsi ex his magis fiunt, atque in bonis antidotum versum in venenum: appellantur boni à malis, vt non faciant bona: & supersedent à voce tonitrui tui formidantes.

De vsurpatione appellationum.

CAP. XXIIII.

Libro tertio, de consideratione.

SI mea quæratur, vel potius curetur sententia, dico appellationes vt non contemnendas sic nec vsurpãdas omnino. Porrò horum quid nolentius censeam haud facilè dixerim, nisi quòd vsurpatio quãdã videatur inducere contemptus necessitatẽ: ac per hoc fortè acrius insectanda quæ amplius nocet? Aut non verè nocentior est mala in se, in partu peior? Nonne ipsa est quæ ipsum

ipsum ius quoque naturæ aut extenuat, aut exterminat? Nam sæpe rebus etiam pretiosissimis pretij gratiam nõ modo demit, sed adimit. Quid sacramentis acceptius, Vsurpata tamen ab indignis indigné ve tractata, minimè acceptãtur. Maiorẽ habent dãnationem: quia debitam venerationem non habent. Fateor grande & generale mundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium quàm solem ipsum mortalibus. Reuera quidem sol iustitiæ est prodens ac redãrguens opera tenebrarum. Prorsus fouẽdæ & manu tenendæ, sed quas extorsit necessitas, non calliditas adinuenit. Vsurpatoriæ sunt eiusmodi omnes, nõ subuenientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati. Quid ni veniant in contemptum? Quanti vt talibus quoque deferrent, etiam de proprio cessere iure, ne longo & cassoitinere fatigarentur. Plures tamen sua amittere non ferentes, appellationes minus oportunas & celsa nomina importunius contempserunt. Cùm itaque ex his liqueat non ex contemptu gigni vsurpationem, sed ex vsurpatione contemptum, videris tu quid sibi velit, quòd zelus videtur assiduæ pœnæ vindicat illum, istam dissimulat. Vis perfectius cohibere contẽptum. Cura in ipso vtero pessimæ matris

præfoc

præfocari germen nequam: quod ita fiet, si vsurpatio digna animaduersione mulctetur. Tolle vsurpationē, & contēptus excusationē nō habet. Porrò inexcusabilitas ausum explodet. Non sit proinde vsurpator, & contemptor nullus erit: aut admodum rarus. Bene facis tu, quòd appellationum negato suffragio, imò suffugio: multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citius possint. Vbi enim certior ac facilior notio, ibi decisio tutior expēditiórque esse potest. Quàm plenum gratiæ quod multorum perinde & laboribus parcis & sumptibus: at quibus sic credas, id tibi omnimodis attendendum.

Finis libri quarti.

CAPITVLA LIBRI QVINTI.

De penitentia. 1
De confessione. 2
De misericordia Dei in pœnitentes. 3
De oratione. 4
De tempore congruo orationi. 5
De humilitate. 6
Quòd magis humilitas est necessaria, quàm virginitas. 7
Quomodo potest custodiri humilitas. 8

De

De *timore.* 9
De discretione. 10
De *obedientia.* 11
De *disciplina.* 12
De *silentio.* 13
De *ieiunio.* 14
De *verecundia.* 15
De *tentationibus.* 16
Quod resistendo tentationibus, victoria acquiritur. 17
De *gratiarum actione.* 18
De contemptu vanæ gloriæ. 19
De *gratia Dei.* 20
De *adiutorio diuino.* 21
De *merito.* 22
De *fide.* 23
De *spe.* 24
De *charitate.* 25
De *amore diuino.* 26
De *violentia amoris diuini.* 27
De *continentia.* 28
De *abstinentia.* 29
De *paupertate.* 30
De *tribulatione.* 31
De *patientia.* 32
De *iustitia.* 33
De *misericordia.* 34
De *correptione.* 35
De *beniuolentia.* 36

De perseuerantia. 37
De testimonio conscientiæ. 38
De pace. 39
De contemptu mundi. 40
De solitaria vita. 41
De memoria dominicæ passionis. 42
De deuotione. 43
De laude diuina. 44
De consideratione. 45
De contemplatione. 46
De laude supernæ ciuitatis. 47
De præmio eternæ beatitudinis. 48

LIBER QVINTVS.

De virtutibus.

De pœnitentia.

CAP. I.

In serm. 1. pœnt. qui sic incipit. Celebremus hod. In quibusd. sententiis.

INitium reuertendi ad dominum pœnitentia est. Pœnitentiam habere, dolere est. Nam pœnitentiam agere, remediũ doloris est. Vanũ est tibi, dũ peccare non destiteris, pœnitere. Verus pœnitens semper est in dolore & labore: dolet de

de præteritis, laborat pro futuris cauendis. Vera siquidem pœnitentia est, sine intermissionis tempore de peccatis dolere. Sic plangit commissa, vt non committat plangenda. Irrisor nanque est, & non verus pœnitens, qui adhuc agit, quod pœniteat. Si ergo vis verus pœnitens esse, cessa à peccato, & noli amplius peccare: quia inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Hoc nempe est saluationis nostræ principium, cùm incipimus respuere, quod diligebamus: dolere vnde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Infernus quidem & carcer animæ, rea conscientia est. Gaudete pœnitentes, quos à viis vestris prauis recedentes, excepit mox amaritudo & confusio animi pœnitentis. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Denique & supernas beatorum mansiones attingit pœnitentiæ odor. Gaudent angeli in conuersione de pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lachrimæ pœnitentium, vinum eorum: quòd in illis odor vitæ, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis iocunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suauitas conscientiæ. Multiplex nunc consolatio

arguentis conscientiæ reuelat cruciatum. Benignus est Deus, qui non patitur nos tentari, vltra quàm possumus. Maximéque inter initia conuersionis, oleo misericordiæ linit vlcera: vt nec morbi quantitas, nec difficultas curationis vltra quàm expedit innotescat. Magis autem accidere videtur facilitas quædam, quæ postmodum euanescit, quando iam exercitatos habenti sensus certamen fortè datur vt vincat, & discat quoniam omnium potentior est sapientia.

De *confessione*.

CAP. II.

Super cãt. sermo 15. Sermo. 2. de resurrection. do.

CONfessio animæ vitam indicat. Vbi confessio est, ibi in conspectu domini pulchritudo est. Omnia siquidẽ in cõfessione lauãtur, & hæc ablutio in quandã innocentiam deputabitur, in meditationibus. Non est vtilis confessio, nisi sit in oris veritate, & cordis puritate. Sunt qui peccata sic cõfitentur, vt videri possint ex desiderio mundandi cordis id agere, nisi quòd ea quæ ipsi sponte dicũt, ab aliis patienter audire nõ possunt. Qui si verè mũdari desiderarent vt videntur, non irritarentur: sed haberent

berent eis gratiã, qui suas illis maculas demonstrarent. Humiliter confitenti remittit Deus peccatum, & diabolus eum quem in hominis corde inuaserat, amittit principatum. Vbi nempe peccatum remittitur, ibi proculdubio diabolus de corde peccatoris expellitur. Ama confessionem, ob quam amaris. Ama confessionem, si affectas decorem. Confessioni iungitur decor, iungitur pulchritudo. Re vera vbi confessio, ibi pulchritudo & decor. Si peccata sunt, in cõfessione lauantur. Si bona opera, confessione commendantur. Cùm mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus, cùm Dei beneficia recolis, immolas Deo sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorẽ. Absq; confessione iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe tanquã qui non sit, perit confessio.

Super cãt. sermo 6. In epist. ad Sophiam virginem.

Confessio igitur peccatoris est vita, iusti gloria. Et necessaria est peccatori, & iustum nihilominus decet. Deniq; rectos decet laudatio.

De misericordia Dei in pœnitentes.

CAP. III.

Super cāt. sermon. 9. DVo in Deo sunt ingenitę mansuetudinis argumenta, quod & patienter expectat delinquentē, & clemēter recipit pœnitentem. Gemina inquam dulcedo suauitatis exuberat in pectore domini Iesu: longanimitas videlicet in expectādo: & in donādo facilitas. Ad hoc siquidē diu suspēdit sententiam vltionis à cōtemnente: vt quandoque exhibeat gratiam remissionis in pœ-
Super cāt. sermo. 23. nitente. O solus verè beatus, cui non imputauit dominus peccatum: nam qui non habuerit peccatum, nemo. Sufficit mihi ad omnem iustitiam solum habere propitiū, cui soli peccaui. Omne quod mihi ipse non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit.
In serm. 3. de annun. dominica qui in cip. quā diues es &c. Non peccare Dei iustitia est: hominis iustitia, indulgentia Dei. Quàm diues es in misericordia, quàm magnificus in iustitia: in gratia quàm munificus domine Deus noster. Non est qui similis sit tibi munerator copiosissimè, remunerator equissimè & piissimè liberator. Gratis respicis humiles:
In sermo. de passione domini iustè iudicas innocētes: misericorditer saluas etiā peccatores. O quàm multus es ad ignoscendum. O quàm magna multitudo dul

dulcedinis tuæ. O quàm longæ sunt cogitationes tuæ à cogitationibus nostris. O *In quarto* quàm firmata est etiam super impios mise- *ser. de xl.* ricordia tua. Sed si magna est iniquitas mea, multò maior est domine pietas tua. Ideóque cùm ad meipsum turbata fuerit anima mea, memor sum multitudinis misericordiæ tuæ, & respiro in ea. In com- *In serm. v: de purific.* muni enim posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuerit. Gau- *In vigilia* deat ergo quisque ille est, quem perpe- *natiu. do-* tuæ damnationis reum adiudicabat con- *mini pri.* scientia peccatorum. Excedit quippe pie- *serm.* tas Iesu omnium criminum quantitatem seu numerositatem. Maior est, inquit Cayn, *Super cāt.* iniquitas mea, quàm vt veniam merear. *sermo. 11.* Absit, Absit. Maior est Dei pietas, quàm quæuis iniquitas. Reuera benignus & mi- *Super cāt.* sericors est, suauis & mitis est, copiosæ mi- *Sermo. 36* sericordiæ præstabilis super malicia, multus ad ignoscendum. Quippe cuius natura bonitas, cuius fons pietatis est mansio, cui familiaris suauitas: & cui proprium est misereri. Verùm is quidem cui vult, miseretur, & quem vult indurat: sed quòd miseretur, proprium est illi: ex se enim sumit materiam: & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogi-

mus: vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur. Rectè igitur non pater iudiciorum vel vltionum dicitur, sed pater misericordiarum quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio iudicandi vel vlciscendi magis ex nostro. Propterea qui prudentes sunt nō operiunt vulnera sua, sed detegunt & confitentur domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

De oratione.

CAP. IIII.

In quibus. sententiis.

ORatio oris est ratio: quando iam ore suo loquitur homo cū deo suo. Orantem denique hominem Deo loqui, quis dubitet? In oratione datur bona voluntas. In

Super cāt. Sermo. 50.

Dei auribus desiderium vehemens: clamor magnus, remissa autem intentio: vox submissa ad cordis enim potius vocem, quàm corporis, aures eius. Orare, hoc est

Super Ps. Qui habi. Versu. 16.

Deum quærere. Vnum est enim. Non rectè oras, si orando præter Deum aliquid

Super cāt. sermo. 86.

quæras, aut quod propter Deum non quæras: quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ, ibi quicquid accipere vel habere hominibus expedit, quicquid decet

cet, quicquid oportet. Sine causa ergo aliud à Deo petitur, cùm ipse sit omnia. Nam etsi ista tēporalia cùm necesse est postulare, videmur: si Deus in causa est (vt quidem dignum est) non vtique illa, sed hunc potius quærimus propter quem alia postulamus. Oratio quantò affectior est, si fiat, vt debet: tantò callidius impediri ab aduersario solet. Periculum est, si fuerit oratio nimis timida: maius periculum est, si fuerit temeraria: tertium periculum est, si sit oratio tepida, & non ex viua affectione procedens. Timida siquidem oratio cælum non penetrat: quia restringit animum timor immoderatus: vt oratio nedum ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò in ascensu langueſcit & deficit, eò quòd non habet vigorem. Nā temeraria ascendit, sed resilit: resistitur enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Quæ verò fidelis & humilis & feruēs oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit. Vnde certum est, quòd vacua redire non possit. Pro- *In 5. serm. de xl.*
pterea rogo vos fratres, vt semper ad manū habeatis tutissimum orationis refugium. Nemo vestrum paruipendat orationē suā. Dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, nō paruipendit eā. Priusquam egressa fuerit ab ore nostro, ipse scribi eā iubet in

libro suo: & vnum ex duobus indubitanter sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed miseretur ille super ignorantiam nostram: & orationem benignè suscipiens, quod nobis aut omnino non est vtile, aut non tam citò dare necesse est, minimè tribuit: omnino tamen infructuosa non erit: quandoquidē tanta super te cura est Deo tuo, vt quotiens ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc: sed mutet illud vtiliori dono. Illud tamen breuiter dico, nonnullos (vt arbitror) experiri interdum in oratione ariditatem, & hebetudinem quandam mentis: vt solis orantes labiis non satis attendant, neque quæ dicant, neque cui loquantur: pro eo quòd velut ex consuetudine quadā, cùm minus digna reuerentia & solicitudine accesserunt. In cunctis igitur actibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione: licet enim semper videamur, sed in oratione etiam præsentamus & ostendimus nos, quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porrò, quamuis vbique sit Deus, in cælo tamen orandus est: ibique orationis tempore cogitandus. Sic igitur oret qui orat, sic semetipsum

In quibus sententiis.

ipsum consideret & attendat, tāquam præsentatum domino maiestatis.

De tempore congruo orationi.

CAP V.

LOcum & tempus obseruare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiúsque. Maximè antem cùm profundū nocturnus sopor incidit silentium, tunc planè liberior exit, puriórque oratio. Quàm secreta de nocte ascendit oratio: solo arbitro Deo sanctóq; angelo, qui illā superno altari suscipit præsentandam. Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore. Quàm serena & placida, nullo interturbata clamore vel strepitu. Quàm denique munda & syncera, nullo respersa puluere terrenæ solicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tētata. Credimus angelos sanctos adstare orantibus, offerre Deo preces & vota hominū: vbi tamen sine ira & disceptatione leuari puras manus perspexerint. Vult autem à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideo fortè multa quæ dare disposuit, prius pollicetur: vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, deuota

Super cāt. feriatum commodius aptiúsque. Maximè sermo. 86.

Super cāt. sermo. 7.

In Homil. quarta super Missus est.

Universidad de Sevilla Biblioteca

nota oratio promereatur. Sic pius dominus (qui omnes homines vult saluos fieri) merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis agit, ne gratis tribuat.

De *humilitate*.

Super cãt. sermo 86.

CAP. VI.

MAgna & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non decetur: digna adipisci, quod non valet addiscere: digna à Deo & ex Deo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest. Humilitatis verò talis potest esse diffinitio. Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit, Sola virtus humilitas, læsæ charitatis reparatio.

In ser. de nati. domini. 2. Sola profecto non solet gloriari, non nouit præsumere: contendere non consueuit humilitas. Nemo contendit iudicio, nec prætendit iustitiam, qui verè humilis est,

In ep. ſt. ad Hericum Senoñ. archiep̃m. Porrò humilitas Deo nos reconciliat: Deo placet in nobis. Sed cuinam potissimum vasi gratia infundetur? Quale poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere?

In ſer. 3. de annũciat. omini. Balsamum est purissimum, & solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidue tam solidum, quàm humilitas cordis?

cordis? Merito proinde humilibus datur gratia. Semper solet esse diuinæ gratiæ familiaris virtus humilitas. Nimirum conseruandæ humilitatis gratia, diuina solet pietas ordinare: vt quanto quisque plus proficit, eò minùs se reputet profecisse. Nam & vsque ad summum exercitij spiritualis gradum, si quis profecerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur: vt vix primum sibi videatur adeptus. Oportet nanque humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur, cadat ad se: nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus: quia nisi humilitatis merito, maxima minimè obtinetur. Insipiens est enim & insanus, quicunque in aliis vitæ meritis, quicunque in alta religione seu sapientia, non in sola humilitate confidit. Humilitas in honore: honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. Si egregius es, esto tamen de grege. Si omnibus præes, non dedigneris subesse. Quid tu inflaris ô homo, quid extolleris sine causa? Quid altum sapis, & oculi tui omne sublime vident? Sublimis quidem dominus, sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius non etiam

In expoſitione, ſuper Miſſus eſt. *Homil. 4. In quibuſdã ſenten.*

imitab

imitabilis : Humiliare, & apprehendisti? Quia sola est humilitas quæ exaltat, soláq; ducit ad vitam. Hæc via, non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius quàm ascendit. O peruersitas. O abusio filiorum Adam, quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum: ipsi & leuiter ascendunt, & descēdunt difficilius, parati ad honores: ad celsitudines graduū ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Et certè qui contendit supergredi proximos, multas inueniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur cōtradictores. Nihil verò facilius est volenti, quàm humiliare semetipsum.

Quod magis necessaria est humilitas, quàm virginitas.

CAP. VII.

In expositione sup. Missus est. Homil. 1.

PVlchra permistio virginitatis & humilitatis. Nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatē, & virginitas exornat humilitatē. Laudabilis virt' virginitas, sed magis humilitas necessaria. Potes denique sine virginitate saluari, sine humilitate nō potes. Pōt inquā, placare humilitas, quæ virginitatē deplorat amissā: sine humiltiate, litate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset: quia etiam vt placeret eius virginitas, humilitas procul dubiò fecit. Quid dicis virgo superba? Maria virginem se oblita, gloriatur de humilitate dicens. Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ, potius quàm virginitatem: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate. Expedit tibi virginem non esse, quàm de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas, multò tamē pauciorum est cum virginitate humilitas. Quòd si & virgo & humilis es, quisquis es, magnus es. Attamen salubriorem eligit sequē di partem in humilitate peccator, quàm in virginitate superbus: cùm & illius immunditiam sua humilis satisfactio purget, & huius pudicitiam superbia inquinet.

Quomodo custodiri potest humilitas.

CAP. VIII.

In sermo. de labore messis.

ALtiora semper attendas, quia in eo plenitudo cōstat humilitatis. Nam si forte in re aliqua maior fratre aliquo gratia tibi collata videtur: sed in multis si bonus æmulator fueris, iudicare te poteris inferiorem. Quid enim si laborare aut ieiunare plus illo potes, & ille te patientia

superat,

superat, humilitate præcedit, supereminet charitate? Quid enim tota die circaid quod videris habere insipienti cogitatione versaris? Esto magis solicitus, vt scias quid desit tibi: hoc enim melius. Non ergo magnoperè cogites, quæ tibi videris habere: nisi fortè interdum vt gratias agere possis, & te noueris ei debitorem qui dedit: seu gratia consolationis cùm id necesse fuerit: ne qualibet ex causa tristior fias. De cętero ea semper magis attendas, quæ alius habet tu non habes: quòd hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu tepiditatis elonget, & accendat desiderio proficiendi. Vide enim quanta è regione mala cogitatio illa parturiat: qua sedulè versas in animo, quod tibi habere videris: & alterum quempiã æstimas non habere. Hinc enim eleuaris in superbiam, dum te præponis alteri: Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris: Hinc demum incipis deficere, dum te alterius comparatione etiam nimis egisse videris. Sicq; in tepeditatem incipis remissius agere.

In domini ca post octauas epyph. quæ incipit, Operibus domini.

De timore.

Cap. IX.

AQua sapientiæ salutaris, fons vitæ. Et initium sapientiæ timor domini est. Optimè

Optimè refrigerãs animã noxiis desideriis *vbi. S. in* æstuantẽ iacula inimici potẽs extinguere. *primo ser.*
In omnibus & per omnia pietati proximo- *In 2. serm.*
rum timor domini præferendus est. Qui *de annun* timorem domini semper habet præ oculis, *cia. domi* viæ eius pulchræ, & omnes semitę eius pa- *ni.*
cificæ. Stat propositum Dei, stat sententia *In quib us* pacis super timentes eum: ipsorum & dis- *dã senten.*
simulans mala, & remunerans bona, & *Super cãt.*
miro modo eis bona & mala cooperantur *sermo. 21.*
in bonũ. Aliud est multas diuitias scire, & aliud possidere, nec notitia diuitem facit, sed possessio. Sic prorsus, sic aliud est noscere Deum, & aliud timere: nec cognitio sapientem, sed timor facit qui & afficit. Tu ne sapientem dixeris, quem sua sciẽtia inflat: Et bene initium sapientiæ timor domini: quia tũc primum Deus animæ sapit cùm eam afficit ad timendum, non cùm instruit ad sciẽdum. Times Dei iustitiam, times potentiam, & sapit tibi iustus & potens Deus: quia timor sapor est. Porrò, sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut diuitiæ diuitem. Verùm scientiam facilimè sequitur elationis tumor, si non reprimat timor: vt merito dicatur initium sapientiæ, qui se pesti insipientiæ prius opponit. Hic itaque quidam ingressus est ad sapientiam: planæ domus Dei,

Super cãt. serm. 54. & porta cæli, & tanquam ingressus gloriæ. In veritate didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed time re. Beatus es, si cor tuum triplici timore repleueris: vt timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longè plus pro recuperata. Time ergo, cùm arriserit gratia: time, cùm abierit: time, cùm denuo reuertetur. Cùm adest, time: ne indignè opereris ex ea: si recesserit, multò magis tunc timendum: quia vbi tunc deficit gratia, ibi deficis tu. Time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus. Time, quia reliquit te custodia tua. Ne dubites in causa esse superbiam, etiam si non appareat: etiam si nil tibi conscius sis. Quod enim tu nescis, scit Deus. Nunquid qui humilibus dat gratiã, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ, priuatio gratiæ est. Iam si gratia repropitiata redierit, multò amplius tunc timendum: ne fortè contingat recidiuum pati. Proinde omni tempore time Deum, & ex omni corde tuo. Amat Deus integrũ munus, affectum plenum, perfectum sacrificium. Non potes simul & sic timere, & altum sapere. Non est enim quo admittas superbiam, repletus timore domini, & sic de cæteris

cæteris victus sentiẽdũ, quia necesse est omnia plenitudine timoris excludi. Tũc de mũ si plenè, si perfectè timueris, dabit sapor rẽ charitas. Sine charitate enim timor pœnã habet. Timor qui nõ est in charitate, cũ omne initiet ad sapientiã, neminẽ cõsumat quoniã superueniẽs charitas extũdit illũ.

De *discretione*.

CAP. X.

In meditationibus. In libro. Multi multa sciunt. Super cãt. serm. 49

IVstitia dum suũ modũ excedit credulitatis, vitiũ gignit, & nimia pietas dissolutionẽ disciplinæ parit: sic sepæ vitium est, quod virtus reputatur. Sicut remissa segnities mãsuetudo creditur, & pigritiæ vitium quietis virtutem imitatur. Vbi vehemẽs æmulatio, ibi maximè discretio necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidẽ zelus minus absq; scientia efficax: minúsq; vtilis inuenitur, plerunq; autẽ & pernitiosus valde sentitur. Virtus siquidem discretionis absq; charitatis feruore iacet, *Ibi ser. 13* & feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideo laudabilis cui neutrum deest quatenus & feruor discretionem erigat, & discretio feruorem regat. Quò igitur zelus feruentior ac *Ibi. ser. 49* vehemẽtior, spiritus profusiórq; charitas, deò vigilantiori opus scientia est, quæ zelũ

supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit: ordo modum tribuit, & decorem etiam & perpetuitatem. Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum: ordinatrixque affectuum, & morum doctrix & consummatio perfectionis. Tolle hanc, & virtus vitium erit. Ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiúmque naturæ. Hæc nimirum docet, ne quid nimis: quia discretio verè circuncidit, vt nõ plus nec minus fiat. Nam qui nimius est, fructuum boni operis abscidit, non circuncidit: qui tepidus est, minus facit. Qui ergo in discretione conuersatur, suamipsius salutem operatur. De spiritu discretionis scimus, quia nihil sic illum extinguit, quomodo voluntas propria subuertens corda hominum, & rationis oculos claudens. Docet naturæ non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire prælato.

In serm. 3. de circũcisione domini.

In serm. 2. de r. surdomini.

De obe

De obedientia, in epistola ad Adam monachum.

CAP. XI.

OBedientiæ virtus semper militat veritati. Obedientia dirigit gressus nostros, & sanctæ conuersationis gratiam promeretur. Nam si contraria lex est in membris nostris per inobedientiã, quis nescíat per obedientiam continentiam dari? Ipsa est quę misericordiam nouit ordinare, ipsa quæ patientiam docet & donat. In obedientiam causam mortis omnes experimur, omnes morimur propter eam. Discere homo obedire, discere terra subdi, discere pulueris obtemperare. De autore tuo loquens euangelista, & erat (inquit) subditus illis: Haud dubiũ quin Mariæ & Ioseph. Nã cũ remãsisset in Hierusalem, & dixisset in his quæ patris sui erant oportere se esse, nõ acquiescentibus parẽtibus eius sequi illos in Nazareth, nõ despexit magister discipulos Deus homines: verbum & sapiẽtia: fabrum & fœminã. Erubesce superbè cinis. De se humiliat, & tu te exaltas. Deus se hominibus subdit, & tu dominari hominibus gestiẽs, tuo te præponis autori. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deũ meũ præire cõtẽdo. Deus inquã, cui angeli sub-

Si maneritate. In serm. 2. in quibusdã seuteres in exposítione sũis est. Mi

diti sunt, cui principatus & potestas obediunt, subditus erat Mariæ. Vtrinq; stupor vtrinq; miraculum. Et quòd feminæ Deus obtemperet, & humilitas absq; exemplo: & quòd fœmina Deo principetur, sublimitas sine socio. Si hominis ô homo imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum sequi autorem tuum. Acquiesce autem Deo, & sit volũtas tua subdita veritati. Ac parum est esse subiectum Deo, nisi sis & omni humanę creaturæ propter Deum: siue abbati tanquam præcellenti, siue prioribus ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere & minorib⁹. Et si vis in iustitia esse perfectus, vade ad iuniorẽ, & defer inferiori: iuniori te inclinato. Quẽ à Deo suo exurbauit inobedientia, sine dubio ad ipsum per obedientiam recto tramite redit. Pœna corporis nec inter diuitias stabilis, nec sine obedientia facilè potest esse discreta: & obediẽtia in diuitiis & voluptate, nec stabilis nec gloriosa. In obedientia nemini caueas proprię volũtatis. Nam quisquis vel apertè, vel occultè satagis, vt quod habet in volũtate, hoc ei spiritualis pater iniungat: ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit.

Super cãt. sermo. 42.

In sermone ad abbates.

In sermo. 13. de sancto Andræa.

Quòd si quis obediat quidem, sed simulatoriè

latoriè & ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsa est obediẽtia. Sola est charitas quæ obediẽtiam gratam facit, & acceptabilem Deo solo commendat.

Verus obediẽs dat suũ velle & suũ nolle.

Quàm pauci inueniũtur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerunt voluntatem: vt non quod ipsi, sed quod dominus velit omni hora requirant, dicentes, sine intermissione cum apostolo: Domine, quid me vis facere? O verbũ breue sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignũ omni acceptione. Sic enim decet, sic omnino dignũ est. Domine nõ meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Multorum profectò hodie pusillanimitas & peruersitas exigit, vt ab eis quæri oporteat: quid vis vt faciam tibi? non ipsi quærant, domine quid me vis facere? Considerare necesse habet minister & vicarius Christi, quid sibi præcipi velint, nõ ipsi cõsiderãt quæ voluntas sit præceptoris. Discernunt & diiudicant eligentes in quibus obediant imperanti: imò in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Non est eorum obedientia plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed patris venit facere voluntatem.

In meditationibus. In primo sermo. de conuersione sancti Pauli.

De disciplina.

CAP. XII.

Super cãt. sermo. 23. OMnes homines natura æquales genuit. At quoniã bono naturæ in moribus superbia deprauato facti sunt homines æqualitatis impatientes: contendentes inuicẽ superiores cõstitui, atq; alterutrum supergredi cupientes, & inanis glorię cupidi, inuicem inuidentes, inuicem prouocãtes, primo omnium iugo disciplinæ insolentia morum domanda est: quousque duris & diutinis seniorum attrita legibus humilietur & sanetur ceruicosa voluntas: bonúmq; in se naturæ qnod superbiẽdo amiserat, obediendo recipiat. Accedit nimirum disciplinatis moribus bonũ naturæ quo redditur homo suauis & mitis, homo sine querela, neminẽ circũueniens, neminẽ concutiens, neminem lædens, nemini se superextollẽs aut præferens. Disciplina non constringit liberum, sed voluntariũ regit & dirigit in viam pacis. Ad Sophiã virginẽ. Insigne decoris disciplina prẽfert O quàm cõpositum reddit omnem corporis statum, necnon & mentis habitum disciplina. Ceruicem submittit, ponit supercilia. componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, gulam frænat, iram sedat, format incessum.

In ser. iiij. de assumptiõe beatæ Mariæ.

Qui

Quid necesse est bis pungere non recal citrantem? valde timidum magis exterrere se satis erubescentem? Confundere iam plius cui sua ratio magister, cui propria cõscientia virga & ingenita verecundia lex & disciplina est. Ad Suggerium abbatem sancti Dionisij. Iuge quippe silentium, & ab omni strepitu secularium perpetua quies, cogit cælestia meditari. Porrò, continentiæ labor & rigor disciplinæ, psalmorum hymnorúmq; dulcedine releuantur. Pudor de præteritis nouæ conuersationis temperat austeritatem. Is autem qui in præsenti per patientiam capitur bonæ conscientiæ fructu, futurorum quoque bonorum operatur desiderium, quod non frustrabitur, & spem quæ non confundit. Venturi timor iudicij procedit fraternæ charitatis exercitio. Tædium & accidiam procul pellit. Sanctarum varietas obseruationum, labor & latebræ & voluntaria paupertas. Hæc sunt monachorũ insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam.

In epistola ad Roberũ nepotem suum.

De silentio.

CAP. XIII.

IN silentio nemo sic debet esse otiosus, vt in eodem otio vilitatem nõ cogitet pro-

In meditationibus.

ximi, uec sit actuosus, vt contemplationem non requirat Dei. Parum enim proficit, qui alteri cùm potest, non prodest.

In sermone, de natiuitate beatæ Mariæ.

Est silentiũ irreprehensibile, imò & laudabile magis, & est sermo non bonus. Bonum silentium à iactantia, bonũ à blasphemia, bonũ à murmure & detractatione. Alius enim ob laboris magnitudinẽ & põdus diei exasperatus animo murmurat: diiudicat eos, qui pro anima sua peruigilant tanquam pro se reddituri vtiq; rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati silere facit, quam audiri non patitur vocem verbi. Alius enim pusillanimitate spiritus in expectatione deficit, pessimúmque hoc verbum blasphemiæ est, quod nec in hoc seculo remittitur, nec in futuro. Tertius in magnis ambulat, & mirabilibus super se dicens, manus nostra excelsa, & putans se aliquid esse, cùm nihil sit. Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqui: quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare domini præstolari. Ita tamen ab his taceas, nec omnino taceas, ne dederis silentium Deo. Loquere illi contra iactantiam in confessione, vt obtineas veniam de præterito. Loquere in gratiarum actione cõtra murmurationem, vt ampliorem inuenias gratiam

gratiam in præsenti. Loquere in oratione contra diffidentiam, vt cõsequaris gloriam in futuro. Confitere inquam præterita, & pro præsentibus gratias age, ac deinceps studiosius pro futuris: vt ne ipse quidẽ sileat à remissione, ab immissione, à promissione.

De ieiunio.

CAP. XIIII.

In sermone. de quadragesima. Quia ieiunij).

DIgnũ reor aliquatenùs exponere, quo fructu, & quemadmodum oporteat ieiunare. Primùm quidẽ fratres, pro eo quòd ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ prius commisimus, illicita condonantur. Quid verò est cõdonari commissas, nisi ieiunio breui, ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus: vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo est & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia: dum remittuntur hoc modo peccata. Non solùm autem abolitio est peccatorum, sed & extirpatio vitiorum: nõ solùm obtinet veniam, sed meretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ cõmisimus, sed & repellit futura quę cõmittere poteramus. Dicamus adhuc vnũ. Ieiuniũ orationi deuotionẽ & fiduciam donat. Et vide

quemad

quemadmodum sibiinuicem ieiuniũ & oratio socientur. Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat: oratio sanctificat ieiunium, & domino repræsentat. Quid enim nobis ieiuniũ proderit, si relinquatur in terra? Quod absit. Subleuetur ergo ieiunium penna quadam orationis, sed ne forte minus sufficiat, alterã quoque ei necesse est sociari. Sint ergo ieiunio nostro (vt facilè cælos penetret) alæ duæ, orationis scilicet, arq; iustitiæ. Iustitia verò quę est, nisi quę cuique reddit quod suũ est?

Ibidem, sermo. ij. Volo tamen admonitus esse fratres meos obseruandum ieiunium, non ab escis tantùm, sed ab omnibus illecebris carnis, & vniuersa corporis voluptate: imò verò ieiunandum est longè amplius à vitiis, quàm à

Vbi suprà. sermo. iij. cibis. Etenim sine ieiunio hęc cætera à domino reprobantur.

De Verecundia.

CAP. XV.

Super cãt. sermo. 86. NEscio an quicquam gratius verecũdia aduerti in moribus hominum queat, quæ est certè omnium ornatus ætatum, sed teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate, amplius pulchriúsq; enitescit. Quid amabilius

bilius verecundo adolescente? Quàm pulchra hæc & quàm splẽdida gemma morum in vita & vultu adolescentis: quàm vera & minimè dubia, bonæ nuncia spei: bonæ indolis index? Virga disciplinæ est illi, quæ pudendis affectibus imminens lubricæ ætatis motus actúsque leues coërceat, reprimat insolentes. Quid ita turpiloqui, & omnis deinceps turpitudinis occasionem fugitans? Soror continentiæ est, indicium columbinæ simplicitatis, testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens: vt nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodat. Ita expugnatrix malorum & propugnatrix puritatis innatæ speciali gloria continentiæ est. Famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primiciæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum quem fortè inuexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet. Vsque adeò geminum animi bonũ verecundia est, vt & qui malè agere non verentur, videri tamen verecundentur: operanimirum tenebrarum & digna latebris tenebris occultantes. Quid tam amicum verecundo animo, quàm secretum? Denique orare volentes, iubemur intrare cubiculum, vtique secreti gratia. Id quidem ad cautelam, ne coram

ram orantibus laus humana orationis fure tur fructum, frustretur effectum. Sed quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare iactantiam? Quid tam indecorum, maximè adolescenti, quàm ostentatio sanctitatis? Bona cõmendatio se cuturæ orationis, si prẽmittas verecũdiam.

De tentationibus.

CAP. XVI.

Sup. psal. Qui habitat serm. 5

HOc præmonitos vos esse volo, neminem super terram absq; tentatione vi curum: vt cui fortè tollitur aliqua, alteram securus aut pauidus magis expectet: etsi petat ab ea liberari, vt nunquam sibi incorpore mortis huius libertatẽ perfectam seu requiem audeat polliceri. Qua in re considerandaʼnobis est tam benigna erga nos diuinæ dispensatio pietatis, vt quibusdam nos tẽtationibus patiatur diutius occupari: ne fortè periculosiores occurrãt. Ab aliquibus verò citius liberet, vt possimus in aliis quas nobis vtiliores fortè præuidet exerceri.

Supercãt. sermo. 64

Necesse est, vt veniant tentationes. Quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit? Aut quomodo certabunt, si desit qui impugnet?

Qui

Quid mihi cum victoria, si nec in prælio fui? Impulentissimè mihi arrogo, vel gloriam sine victoriæ vel victoriã sine pugna. In quibusdam sententiis. Sed heu heu; nec mare fluctibus, nec vita ista carere potest tentationibus, nec potest esse pax firma & solida, nisi in regione sua.

Tot tentationibus plena est vita nostra, vt non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari.

Sup. psal. Qui habitat ser. 5.

Sed qui sumus nos aut quæ est fortitudo nostra, vt tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certè, quod quærebat Deus: hoc érat ad quod nos perducere fatigebat: vt vidẽtes defectũ nostrum, & quòd nobis non sit auxilium aliud, ad eius misericordiam tota humilitate curramus.

In sermone quinto, de quadragesima.

Cùm ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc seculo detinentur. Alij colliduntur, alij non: quia dominus supponit manum suam. Sed quomodo eos discerne re poterimus, vt segregemus iustos ab iniustis? Verùm hoc interest inter eorum casus, quòd iustus suscipitur à domino: ideoque resurget fortior. Iniustus autem cùm

Sup. psal. Qui habitat. ser. 2.

cecidc

ceciderit, non adiicit vltra vt resurgat: imò verò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat quod fecit, & hìc est pudor adducens peccatũ. Aut fit ei frons meretricis, & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur: prædicátque peccatum suum sicut Sodoma. Iustus verò super manum domini cadit, & mìro quodammodo etiam ipsum ei peccatũ in iustitiam cooperatur. Nónne cooperatur nobis ille casus in bonum, vnde & meliores efficimur, & cautiores? Nónne dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? In creatione, in redẽptione, ceterisque communibus beneficiis est Deus omnium: sed in tentationibus suis tã quam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est, & cadentem suscipere, & eripere fugientem: vt videri possit relictis omnibus aliis, ei soli operã dare. Propterea expedit omni animæ, Deũ semper attendere tanquam proprium: non modo adiutorem, sed etiam inspectorem.

In sermone quinto, de quadragesima.

Quòd resistendo tentationibus, victoria acquiritur.

CAP. XVII.

IPsi gestamus laqueũ nostrum, vbiq; proprium circũferimus inimicum. Carnem hanc

hanc loquor de peccato natam, in peccato nutritiam, praua consuetudine vitiatam. Hac vtitur ad impugnandos nos calidissimus serpens, cui nullum aliud desiderium est, nullum studium, nullum negotium, nisi fundere sanguinem animarum. Hic est qui iugiter machinatur malum. In meditationibus argutè loquitur, artificiosè suggerit, callidè decipit: illicitos motus insufflat, & venenatas cogitationes inflammat: mouet bella, nutrit odia, incitat gulam, mouet libidinem, desideria carnis instigat, peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum tentare nõ cessat. Hic est qui manus nostras proprio cingulo alligat, vt caro quæ data est nobis in adiutorium, in ruinam fiat nobis & laqueum. Veruntamen in nobis est si vinci volumus: & nemo nostrum in hoc certamine deiicietur inuitus. Sub te est, ô homo, appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Potest inimicus excitare tentationis motum: sed in te est, si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est, si volueris inimicum tuum facere seruum tuũ, vt omnia cooperentur tibi in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatiẽtiæ cogitationes ingerit: aut

In sermone eod. de ul.

excitat libidinis motum : tu solummodo ne consenseris, & quoties resliteris, toties coronaberis. Credo etiam si cogitationes istas quàm citò in nobis aduertimus, non patimur remotari, sed in spiritu vehementi animus aduersus illas excitatur : quoniã inimicus confusus abscedet, nec tam liben

In ser. 3. in vigil. nati. domini. ter illico reuertetur. Nec cedẽdum vel re-

Super psal. Qui habi. sermo. 7. cedendum etiam si grauis tentationũ feruor vtriusque hominis statũ afflixerit eligamus potius ardere quàm cedere. Vtranque nimirum prosperitatem humano generi dæmones inuidere noscuntur : vtraq; eos felicitate fraudare contendunt, & cælesti videlicet & terrena : sed longè amplius rore cæli quàm pinguedine terræ. Hoc sanè nullatenus expedit ignorari, quænam vehementius instet peruicax hostium multitudo, illic nempe studiosius repugnandũ, vbi grauior vrget necessitas : vbi totum belli pondus imminet : vbi collectationis ratio vniuersa consistit : vnde paratur aut victis ignominiosa captiuitas, aut vincentibus gloria triumphalis. Nam dæmones quidem superna nobis & æterna potius inuidere noscuntur : non tamen vt sibi cedat, quod irreparabiliter amiserunt : sed ne illuc pauper de puluere suscitatus accedat : vnde ipsi in gloria conditi irreparabiliter

ceci

cecíderunt. Indignatur & liuore, tabescit : obstinata malignitas, humanam obtinere fragilitatem, quod retinere ipsa nõ meruerit. Sed si quando fortè cuius temporalia damna, aut inferre conantur, aut gratulantur inferri : hæc eorum tota molitio est : vt iactura exterior, vel eidem ipsi vel alteri occasio sit internæ. Hæc enim tota aduersum nos colluctatio spiritualium nequitiarum est, vt nos seducant : vt inducant in vias suas, vt perducant ad destinatum finem, qui paratus est eis. Dæmonũ est suggestiones malas ingerere : nostrum est illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, angelos lætificamus. Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur, vt pugnemus : adiuuat vt vincamus : certantes spectat : deficientes sublenat, vincentes coronat.

Vbi supra sermo. 11.

In medita tionibus.

De gratiarum actione.

CAP. XVIII.

Super cãt. sermo. 13.

ORigo fontium & fluminum omnium, mare est : virtutum & scientiarũ dominus Iesus Christus. Cõtinentia carnis, cordis industria, volũtatis rectitudo, casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, ex illo manant. Si fortè quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde

est, inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Ad locú vnde exeunt, reuertátur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Qualiter inquis? Qualiter dicit apostolus. In omnibus gratias agétes. Quicquid sapiétiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ reputa Christo. Siquidem flumi-

In 1. serm. de xl. qui incipit. Hodie.

nis aqua si stare cœperit computrescet, Sic planè. Sic gratiarú cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modo nil augetur ingrato, sed quod acceperat ei vertitur in perniciem. Fidelis autẽ in modico, censetur dignus munere ampliori. Refunde igitur in eú, qui supra te est, quicquid in te est deuotionis, quicquid delectationis, quicquid affectionis: vt si qua est in te gratia, referatur ad ipsum: nec tuã quæras gloriã sed ipsius.

Ser. 52. sup. cant.

Disce in referẽdo gratiam non esse tardus, aut segnis: disce ad singula dona gratias agere: vt nulla Dei dona debita gratiarum actione frustrentur: non grãdia, nõ medio-

Ib quibus. sententiis.

cria, nõ pusilla. Peremptoria siquidẽ res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, exinanitio meritorũ, virtutũ dispersio, beneficiorũ perditio: ventus vrens, siccans sibi fontẽ pietatis, roré misericordiæ, fluenta gratiæ. Dico ego, quoniã pro meo sapore nil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ in hominibus conuersionis, quẽadmodum

modum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit: locum non habet. Nonne enim iure perditum reputatur, quod ingrato donatum est, aut dedisse nó pœnitet, quod perisse videtur? Oportet proinde gratiosum esse hominem & deuotum, qui percepta gratię munera manere sibi desiderat, & multiplicari. Nemo sanè est, qui non facilè si quærit, inueniat: vnde plurimum obnoxius sit Deo: quia non est qui se abscondat à calore eius. Multos videmus satis im-

In quibus. sententiis.

portunè petentes, quod sibi deesse cognouerint: sed paucos admodum nouimus, qui dignas super acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehensibile est, quod instanter petimus, sed planè petitioni negat effectum: quia inuenimur ingrati. Et fortè clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant: ne contingat nobis, vt tantò grauius de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probamur extitisse. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo plenitudo est omnium gratiarum: cui dum pro acceptis non ingratos nos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ: vt maiora adhuc accipere mereamur. Omnino enim nos sola à profectu cõuersationis impedit ingra-

titudo nostra: dum quoddã amissum reputãs dator quod ingratus accepit, cauet sibi deceterò ne tanto plura amitteret: quanto plura conferret ingrato. Felix proinde, qui etiã pro minimis quibusliber beneficiis nõ minimas refert gratias: quia gratiarũ actionem magis quàm deuotionem à nobis exigit dator gratiæ dominus Deus noster.

De contemptu vanæ gloriæ.

CAP. XIX.

Sup. psal. qui habitat. ser 6. Vbi supra sermo. 14

VAna gloria leuiter volat, leuiter penetrat: sed non leue infligit vulnus: citò interficit. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligẽtes qui se ei ostentant: qui se exponunt, & nõ potius ipsi inspiciunt, nõ attendunt, non discutiunt illam, non vident deniq; quàm sit frinola, quàm caduca, quàm vana, quàm fictilis. Si quis enim intueatur hoc modo nõ iam occidit eam gloria, sed occiditur magis quodammodo versa in puluerem: imò redacta in nihilum. Propriæ gloriæ cupidi, nulla ratione quiescere possunt: cùm in seipsis penitus nihil inueniunt, vnde possint aliquatenus gloriari. Fratres, nemo vestrum velit laudari in vitijs illis: quia quicquid hic fauoris

In quibus. sententiis.

Super cãt. serm. 13.

ris captas, quod ad Deum nõ retuleris, ipsi furaris. Tu enim putride puluis, vnde gloria tibi, vnde? Quid nequius seruo vsurpante sibi gloriam domini sui? Nouerat apostolus gloriam propriam Creatoris esse, non creaturæ: sed considerauit rationalem creaturam adeò affectare gloriã, vt aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit: quippe quæ ad imaginem facta est creatoris. Propterea salubertimũ adinuenit cõsilium dicens. Quando quidem nobis persuaderi non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in domino glorietur. Securus glorior, si teste conscientia de gloria condito ris nihil mihi vsurpo. Securus planè, qui iam non contra dominum, sed in domino. Hæc nobis gloriatio non solùm nõ prohibetur, sed & suadetur cùm dicitur. Gloriã abinuicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis. Re vera gloriari in solo Deo, non nisi à solo Deo est. Gloria verò quam abinuicem accipiunt, qui gloriam (quæ est à solo Deo) non requirunt: vana est, quoniam vani filij hominum. Propterea & omnis gloria sanctorum intus non foris est, hoc est nõ in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in domino: quòd conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant, & cui placere sola vera & summa glo-

In quibus. sententijs.

Super cãt. sermo. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In ser. de aduen. Super cãt. sermo. 13.

ria est. Hæc est vtique vera gloria, quæ est à spiritu veritatis. Nec mediocris gloria ista quæ intus est, quippe tam vera quàm de veritate, & in veritate tam rara, vt vix vel paucitas perfectorum perfectè glorietur in ea. Magna & rara virtus profectò est, vt magna licet operãtem, magnũ te solũ nescies, & manifestam omnibus tuam te latere sanctitatem. Mirabilem te apparere & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico. Fidelis re vera famulus es, si de multa gloria domini tui, etsi nõ exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere cõtingat. Et tutior sua cuique gloria, dum eam habet in semet ipso, & non in altero. Qui enim conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parui sunt: modo nulli, secundũ quòd adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare. Nam sapiens gloriator probabit opus suum, atque ad lumen veritatis diligenter examinabit, & sic in semetipso habebit gloriã, & non in ore alterius. Stultus sum, si cistellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero mendicare eam abs te, cùm habere voluero. Nõne nempe in tuo arbitrio est probare me, vel improbare prout volueris? Ipsi potius eam repono seruandam, qui potens est

Super cãt. sermo. 25. In ser. de san. Ioan. baptista. Super cãt. sermo. 13.

est depositum meũ seruare in illum diẽ: cautus in custodiendo, fidelis in restituẽdo. Secura tunc erit vnicuiq; laus à Deo, his duntaxat, quæ humanas laudes cõtemserunt.

De gratia Dei.

CAP. XX.

Cibus animæ, gratia Dei. Dulcissimus sanè, & omnem habens in se suauitatem & delectamentum saporis: non modo delectat, sed reficit & medetur. Anima nostra spiritus est vadens & non rediens: si sibi fuerit derelicta, semel à facie Dei egressa vel eiecta, non reuertetur oculus eius, vt videat bona, si non requiratur à Deo. Omnis ergo anima quærens Deum, ne magnum bonum in magnum sibi detorqueat malum, nouerit se præuẽtam in illo, & ante quæsitam quàm quærentem. Nam verè & absque dubio eò quisque pessimus, quò optimus est: si hoc ipsum quo optius est, aserebat sibi. Nempe pessimum hoc. Quòd si dicat quis (absit) agnosco, gratia Dei sum id quod sum, studeat autem captare gloriolam pro gratia quam accepit: nonne fur est & latro? Quæ verè fidelis anima est, agnoscit ista, & vtramque gratiam confitetur.

In serm. de annũc do. qui sic incipit. Quàm dives in misericordia. Super cãt. sermo. 84. Super cãt. sermo. 67.

Primo quidem eam quæ prima est, qua & præuenta est: postea verò & subsequentem. Nempe tunc magis gratia plenam se probat, cùm totum gratiæ dederit: & primas scilicet partes illi ascribens, & vltimas. Alioquin quomodo gratia plena, si quid habuerit, quod non sit ex gratia? Non est quo gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Ergo plena confessio gratiæ, ipsius gratiæ plenitudinem designat in anima confitentis. Nam si quid de proprio inest, inquantum est gratiam cedere illi necesse est. Deest gratiæ, quicquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludit. Horreo quicquid de meo est, vt sim meus, nisi quòd illud magis forsitan meum est, quod me meum fecit, Gratia reddit me mihi iustificatum gratis: & sic liberatum à seruitute peccati. Itaque initium meum solius gratiæ est, vt nihil quidem mihi in prædestinatione attribuam, siue in vocatione. Non sic sanè ab opere iustificationis alienus sum: operatur & illud gratia, sed planè mecum. Porrò cónsummatio quidem & ipsa solius est gratiæ, nec est mihi in hac parte vel cum ea siue in ea gloriari, quasi coadiutor sum aut cooperator. Itaque misericordia domini ab æterno est: & vsque in æternum super

In quibus dictis.

Super cãt.

In quibus dictis.

per electos, in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium meriti gratia: principium verò & finem soli vendicans sibi, vt sit & nobis æ o dominus Deus noster. Sed sciant inimici gratiæ absq; gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum, sed sufficientiam ipsius ex Deo esse. Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis nisi ipse dederit nobis, qui dat omnibus affluenter.

Super cãt. Sermo. 32.

De *adiutorio diuino.*

CAP. XXI.

CRede te Deo, committe te ei. Nam si tibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est: nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis in semetipso quàm in eo habere fiduciam. Is verò fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum: sed sic perdens animã suam: vt in vitam æternam custodiat eam. Porrò, id quidem sola facit humilitas cordis, vt non sibi fidelis anima innitatur, sed deferens semetipsam ascẽdat iam de deserto innixa super dilectũ. Ascensus profectò arduus est, & cassus conatus absque Dei adiutorio. Ergo qui stat, si non vult cadere, nõ fidat

In serm. de vigil. nat. dom. cuius initiũ est, Sanctificabodie.

Super cãt. sermo. 85.

fidat sibi, sed innitatur Deo. Deus loquitur: sine me nihil potestis facere. Ita est, nec surgere ad bonũ, nec stare in bono possumus sine Deo. Tu ergo qui stas, da gloriã Deo: cuius manu erigeris, ipsius necesse est virtute tenearis. Multum opus virtute habes, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facile facit animum victorem sui: & sic inuictum reddit ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Vel sic. Vigor animi quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens. Quid ni omnia possibilia sint innitenti super eum, qui omnia potest? Nil omnipotentiam Dei clariorẽ reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in se sperãt. An non omnipotẽs, cui omnia possibilia sunt? Ita animus si non præsumat de se, sed si cõfortetur à Deo, poterit vtiq; dominari sui, vt non dominetur ei omnis iniustitia. Ita inquã Deo innixum, nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel stantẽ deiicere, vel subiicere dominantem. Alioquin frustra nititur, si non innititur.

De *merito*.

CAP. XXII.

Super cãt. serm. 68. SVfficit ad maritum, scire quòd nõ sufficiant merita. Sed vt ad meritũ satis est de

de meritis non præsumere, sic carere meritis satis est ad iudicium. Porrò infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita constat. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua iungere nõ nequiuerint, sed neglexerint: quod quidẽ periculum iam adultæ ætatis est. Merita proinde habere cures: habita data noueris: fructum speraueris domini misericordiam & omne periculũ euasisti paupertatis, ingratitudinis, præsumptionis. Pernitiosa paupertas, penuria meritorũ. Præsumptio autem spiritus fallaces diuitiæ. Et ideo felix, cui nec merita sine præsumptione: nec præsumptio absq; meritis deest. Habet vnde præsumat, sed nõ merita. Habet merita non ad præsumendum, sed ad promerendum: ipsum non præsumere, nonne promereri est? Ergo eò præsumit securius, quò nõ præsumit. Hoc enim totum hominis meritum, si totam spem ponit in eo, qui totũ hominem saluum facit. Quantumcunque spes processerit, obtinebit: si tamẽ in Deum tota figatur, vt firma sit & non titubet. Meum proinde meritũ, miseratio domini. Non planè sum meriti inops, quãdiu ille miserationum non fuerit. Quòd si misericordiæ domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Hæc vera homi-

Super qui habitat. serm. 15. Super cãt. sermo. 61. De annunciat. beatæ Mariæ. sermo. 3.

nis

nis fiducia à se deficientis, & innitentis domino Deo suo. Hæc inquam, vera fiducia, & cui misericordia non negatur.

De fide.

CAP. XXIII.

Super cãt. sermo. 28. FIde mundantur corda, vt possit videri Deus. Fides nescia falli. Fides inuisibilia comprehendẽs, sensus penuriã non sentit. Deniq; transgreditur fines etiam rationis humanæ naturæ vsum, experientiæ terminos. Quæ vtique comprehẽdit, quod sensus nescit, experimentum non inuenit. Disce id habere certius, id tutius sequi, quod illa suaserit. Denique comprehendit quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: illa in se quasi quodam inuolucro clausum portat, seruátque signatum. Fides tunc sanè probatior esse dinoscitur, cùm creditur quod non videtur. Quid magni est credere quod videris: & tuis non negare oculis fidem, quid laudis meretur? Sed si quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus: & patientia meritum est. Proinde vt non euacuetur meritum fidei, subducat se visui, dans virtuti locum.

Super cãt. sermo. 76.

Vbi

Vbi Deus est, tu non potes venire modo: venies autem postea. Age tamen, sequere, quære, non te illa inaccessibilis claritas vel sublimitas à quærendo deterreat, ab inueniendo desperet. Si potes credere, omnia possibilia sunt credẽti. Crede & inuenisti. Iam credere inuenisse est. Quære ergo votis, sequere actibus, fide inueni. Quid non inueniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima. Ipam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circuncludit (fidenter dixerim) eternam beatámque trinitatem, quam non intelligo, credo: & fide teneo, quam non capio mente. Et quidem ante omnia fides quærenda est. Fide siquidem in Dei filios adoptatur: fidem in nobis mundus odit atque persequitur: fide & vincitur. Porrò, fides sine operib⁹ mortua est in semetipsa. Nec mirum videri potest, si nequaquam vincit, qui nec viuit quidem. Quæris quænam sit vidua & victoriosa fides? Illa sine dubio per quam Christus habitat in cordibus nostris. Christus enim & vita & virtus nostra est. Tamdiu Christus in nobis viuit, quamdiu viuit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodammodo Christus mortuus est in nobis. Porrò fidei

In serm. de octa. pasc.

Ser. 2. pasc.

vitam,

vitam, opera atteſtantur. Sicut enim corporis vitam ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis anima, per quam mouetur & ſentit. Vita verò fidei charitas eſt: quia per illam operatur. Vnde & refrigeſcente charitate, fides moritur: ſicut corpus anima recedente. Quædam enim fidei anima ipſa deuotio eſt: Mors fidei eſt ſeparatio charitatis. Non facit hominem rectum fides recta, quæ non operatur ex dilectione. Sed nec opera quamuis recta, rectum cor efficere ſufficiunt ſine fide. Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? Sine fide autem impoſsibile eſt placere Deo. Qui non placet Deo, nõ poteſt illi placere Deus: nam cui placet Deus, Deo diſplicere non poteſt.

Super cãt. ſer. 24.

De ſpe.

CAP. XXIIII.

Super cãt. ſerm. 2.

EST locus inter timorẽ & ſecuritatẽ media videlicet ſpes, in qua mens & conſcientia molli nimirum ſuppoſito charitatis ſtratu, ſuauiſsimè requieſcit. Eſt autẽ cùm mens noſtra formidine pœnę ſeruiliter premitur: & donec quis premitur à ſpiritu ſeruitutis, parúmq; habet de ſpe

ſpe de timore plurimum: non eſt ei pax, neque requies fluctuante nimirum conſcientia inter ſpem & timorem: maximéq; quòd à ſuperexcellente timore abundantius crucietur. Nam timor pœnam habet. Cæterùm, ſi paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere ſpes, cùm demum ad hoc ventum fuerit, vt perfecta charitas ex toto foras mittat timorem. Nonne eiuſmodi anima ſingulariter in ſpe cõſtituta videbitur, ac perinde in pace in idipſum dormire & requieſcere? Nam qui ſe ſingulariter in ſpe conſtitutum ſentit, non iam in timore ſeruit, ſed requieſcit in charitate. In ſpe viuimus, ne deficiamus in tribulatione præſenti, quòd in expectatione ſimus indefectibilium gaudiorum. Neque enim vana nobis expectatio aut dubia ſpes videtur innixa, nimirum æternę promiſsionibus veritatis. Prorſus magna lætitia & exultatio multa nimis, cùm vita venerit. Non ſolùm ipſa vita, ſed & promiſsio vitæ æternæ, & expectatio iuſtorum lætitia eſt: & tanta lætitia, vt omne quod concupiſcitur, ei non valeat comparari: ſed nunquid tantæ lætitiæ ſpes erit ſine lætitia? Quicquid agendum ſit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es do

Sup. pſal. Qui habitat. ſer. 7.

In ſerm. de ſancto Benedicto.

Sup. pſal. Qui habitat. ſer. 9.

mine spes mea. Hæc vna mihi omnium promissionum causa: hæc tota ratio meæ
Ibid. ser. 2. expectationis. Hoc est votum meum, hoc est propositum meum: hæc intentio cordis mei. Reposita est hæc spes mea in
Ibid ser. 9. sinu meo: & in hac perseuerabo. Propter te omnia detrimentum feci, vt stercora arbitror: quoniam tu es domine spes mea. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant aduersum me prælia, si seuiat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro aduersus spiritum con-
In ser. 3. de annũciat. Mariæ. cupiscat, in te ego sperabo. Sola nimirum spes apud te domine miserationis obtinet locũ, ne oleũ misericordię nisi in vase fiduciæ propositionis. Fratres, hoc sapere
Super Psal. Qui habitat ser. 9. ex fide viuere est. Si hæc sapimus, vt quid cunctamur abiicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias: & huic vni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota deuotione animi, toto feruore spiritus inhærere? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres: sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Si decreuerit saluare nos, continuò liberabimur. Si viuificare placuerit, vita in voluntate eius est. Si præmia largiri æterna, licet ei quod vult facere. Denique quando in se speranti desit illa maiestas,

quæ tam studiosè monet in se sperari? Planè non derelinquet sperantes in se. Adiuuabit eos & liberabit eos. Quare? Quibus meritis? Quia sperauerunt in eo. Dulcis causa attamen efficax, attamen irrefragabilis.
Dulcissima liberalitas in se sperãtibus non *In psal. qui habitat.* deesse. Non enim dedignatur esse spes miserorum, miserator & misericos dominus *ser. 15.* non seipsum liberatorẽ simul liberatorem & protectorem in se sperantibus exhibere recusat. Ecce numera tribulationes secun- *Ibid ser. 9* dum multitudinem earum, consolationes eius lætificabunt animam tuam, dum non ad alia conuertatis, dummodo clames ad eum, dummodo speres in eum. Nempe ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cuiuscunque modi necessitatem, aperta est nobis vrbs confugij, sinus matris expensus est, parata sunt foramina petræ, patent viscera misericordiæ Dei nostri.

De *charitate.*

CAP. XXV.

CHarissima per optimũ charitas est. *Super cãt.* Planè incõpatibile. Deniq; quidnã *ser. 29.* huic cõparãdũ putam? quę ipsi prę fertur martyrio, ac fidei tranferenti mon- *Super cãt* tes? Porrò, per charitatem homo in Deo, & *sermo. 71.*

Deus in homine est. Quid enim ita Dei vt
Inepist. ad Clarevall. charitas? Nempe & Deus est. Charitas libertatem donat, timorem pellit, laborem non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit: & tamen plus omnibus vrget. Nullus terror sic solicitat, nulla præmia sic inuitat, nulla iustitia sic exigit.
In serm. de pass. dom. Charitas non quærit quæ sua sunt. Charitas non irritatur, non præcipitatur, nunquam excidit, non in foueam ruit, & pro retributis malis cumulat bona. O charitas patiens, sed & compatiens: Charitas patiens est, sufficit, charitas benigna est, cumulus est: Patiens charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem, sed benigna trahit, adducit, conuerti facit ab errore. Benigna charitas etiam quos tolerat,
Super cât. serm. 58. amat: & amat ardenter. Flet quippe charitas, sed ex amore non ex mœrore: flet ex
Inepist. ad Fulconem Ligonen. desiderio, flet cum flentibus. O bona mater charitas: quæ siue foueat infirmos,
puerũ post ea arbcid. siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. Cùm te arguit, mitis est: cùm blanditur, simplex est. Pie solet sæuire: sine dolo mulcere: patienter nouit irasci: humiliter indignari. Læsa non prouocat, sed spreta reuocat. Ipsaque est hominum mater & angelorum, non solùm

quæ in terris, sed etiam quæ in cælis sunt pacificauit. Ipsa est quę Deum homini placans, hominem Deo reconciliauit. Ad Adam monachum. Charitatis profectò damna sunt scãdala pusillorum. Nec enim charitas charitatem offendit, aut contẽnit: nec sentit offensam. Nam seipsam non potest negare, nec enim in se diuisa est. Nouit potius in se diuisa coniungere, coniuncta diuidere nescit. Pacem diligit, congaudet vnitati. Sola quippe est quæ illam generat, colligit, solidat & conseruat: vbicunque seruari cognoscitur in vinculo pacis. Cum omni fiducia charitas pulsat ad ostium amici: nequaquam putans pati se debere repulsam, quæ amicitiarum matrem se nouit, nec veretur: etsi gratissimum paulisper inquietare otium, propter suum negotium. Illa siquidem vera & syncera est charitas, qua proximi bonum vt nostrum diligimus. Nam qui magis aut certè solum diligit suum, conuincitur non castè diligere bonum, quod vtique propter sese diligit, non propter ipsum. Ad Ogerium canonicum regularem. Amemus & amemur in altero nobis, in altero nostris consulentes. Nam quos amamus, in ipsis profectò requiescimus: à quibus autem

Ad Carthusienses & Guidonẽ priorẽ.

amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus. Porrò amare in Deo, charitatem habere est. Studere verò propter Deum amari, charitati seruire est. Vtramque teneo, dilectionem Dei, & dilectionem proximi: cùm te amo domine Iesu, qui meus proximus es: quoniam homo es, & fecisti misericordiam: & nihilominus es super omnia benedictus Deus in secula.

Super cãt. serm. 60.

De *amore diuino.*

CAP. XXVII.

Super cãt. serm. 67.

FLagrans ac vehemẽs amor præsertim diuinus, cùm se intra se cohibere nõ valet: non attẽdit quo ordine, qua lege, quáue serie, seu parcitate verborũ ebulliat: dummodo ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. Interdum nec verba requirit: interdum nec voces omnino vllas, solis ad hoc contentus suspiriis. O amor præceps vehemens, flagrans impetuosè, qui præter te aliud cogitare non sinis: fastidis cætera, contemnis omnia præter tete contentus: confundis ordinem, dissimulas vsum, modum ignoras: totum quod oportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilij, iudicijve se esse videtur: triumph

Super cãt. serm. 79.

triumphas in temetipso, & redigis in captiuitatem. Frustra ad audiendum, legendúmve amoris carmen, qui non amat accedat: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem intelligit, qui Græcum non nouit? nec Latinè loquentem, qui Latinus non est? & ita de cæteris sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit: erit sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Amor reuerentiam nescit: ab amando quippe amor, non ab honorando nominatur. Honoret sanè, qui horret: qui stupet, qui metuit, qui miratur: vacant hæc omnia penes amantem. Propterea quę amat, amat: & aliud nouit nihil. Ipsi quoque honori merito, merito stupori & miraculo est: amari tamen plus amat. Exigit Deus timeri vt dominus: honorari vt pater: & vt sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? Nempe amor absque hoc & timor pœnam habet: & honor non habet gratiam. Et qui de amore, non venit honor: non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor & gloria, sed horum acceptabit neutrũ Deus: si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, is per se placet & propter se: ipse meritũ, ipse

Super cãt. serm. 83.

præmium est sibi. Amor præter se non requirit causam, nō fructum: fructus eius vsus eius. Amo, quia amo: amo vt amem.

Super cāt. sermo. 85. Vbi autem amor est labor nō est, sed sapor: quoniam amanti nihil difficile est.

In prologo de cōsidera tione. Amor dominum nescit. Per se satis sub iectus est, obsequitur sponte, gratis obtemperat, liberè reuereretur.

Super cāt. sermo. 59. Amat & Deus, nec aliunde hoc habet: sed ipse est vnde amat: & ideo vehemētius: quia non amorē tam habet, quàm hoc ipse est. Neminē suspicit amor, sed ne despicit quidē. Omnes ex æquo intuetur, qui perfectè se amant: & in seipso celsos humiléſq; cōtēperat, nec pares modo sed vnū eos facit.

Super cāt. sermo. 83. Magna res amor. Nam cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippe qui ob aliud non amat, nisi vt ametur: sciens ipsos amore beatos, qui se amauerint.

De violentia amoris diuini.

CAP. XXVII.

Super cāt. serm. 64. O Suauitatē, O gratiā, O amoris vim, sumus omnium, imus factus est omniū? quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potēs, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor, vt scias amoris fuisse quòd plenitudo

nitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.

Deus non modò amans, sed amor est: & solam amoris vicē requirit & fidem. Quid ni ametur amor? *Super cāt. serm. 83.*

Et quid tam cordium vita, quàm Deus meus Iesus? Is verè est, & amans & amabilis: & totū quod de ipso est Verè est, quando ipse est non aliud sanè quàm ipsa veritas. Quis fidus verúsve animæ amor, nisi vtique is, quo veritas adamatur? Rationis sum compos, veritatis sum capax: sed vtinam nō forem, si amor mihi defuerit. Non sum securus à securo, si absque eo inueniar. Valde omnino mihi amandus est, per quem sum, viuo, sapio, si non ingratus sum & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi domine Iesu recusat viuere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est & nihil est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia, & qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Pro his ergo ita sum amans te, quantum possum: sed est quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit: super omnia inquam reddit amabilem te mihi, Iesu bone: calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis: hoc omnino amorem nostrum facilè vēdicat totum sibi. *In quibusd. dictis.*

Hoc est quod nostra deuotione & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius.

De *continentia*.

CAP. XXVIII.

In ser. 1. de nati. dom. In ser. post oct. Epiph. cuius initiū est. In oībus operibus &c. In quibus. sententijs. In serm. 2. de pascha. Super cāt. sermo. 1. Super cāt. sermo. 7.

CONtinētiā deberi Carni, quis nesciat? Cōtinentia castitatis diluitur, quic quid antè luxuria inquinauit.

Continentia restringitur corpus, ne deinceps per mortiferas voluptates defluat.

Qui fornicatur, in corpus suum peccat: magno illud priuans honore, & pauendo adiiciens pudendóq; dedecori: tollēs membrum Christi, & faciēs meretricis. Ego autem non ab ea tantum quæ tam abominabilis est, sed ab omni voluptate carnis continendum dico.

Quippe spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, quod est vita incontinens.

Porrò, continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Ideoque maximé opus est puritate intentionis, qua soli Deo mens & placere appetat, & valeat inhærere. Nec enim aliud est inhærere Deo quàm videre Deū, quod solis mūdi cordibus singulari felicitate donatur. Nimirum tunc perfecta est virtus contin

In ser. 5. de Assumpt. Mariæ.

tinētiæ quādo in vnitate fidei cum proximis communiter viuentes non supplicij metu, vel humanæ laudis appetitu: sed solo diuini amoris obtentu à peccatis nos continemus: quia continētia crebris valid̄sque tentatoris ictibus resistere non potest, nisi eius gratia protegatur.

De abstinentia.

CAP. XIX.

QVod maculauerat crapula, abstinētia mūdet. Afflictio corporis, mūditia est. Ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis. Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est. Aut si infirmus sum, modico vtar. Abstinebo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriantur vitia. Panē ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat: sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam: ne distensio vētris vsq; ad titillationem pertingat libidinis. Ad Robertū nepotē suum. Vinum & similia mulsum & pinguia, corpori militant nō spiritui: frixuris nō anima saginatur sed caro. Piper, gingiber, ciminū, saluia, & mille huiusmodi species salsam entorum, palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Prudenter sobriéque

In ser. de dominica post octa. Epiph. qui sic ordinamur. In operibus, ne dum nimis nutriantur ribus dō- Super cāt. sermo. 66.

cōsu

conuersanti, satis ad omne cõdimentum salcũ fame. Qua sola non expectata, necesse est alias atque alias succis extraneis confici permistiones: quę videlicet & plaatũ reparent, gulam prouocent, excitẽt appetitum.

In serm. de natiui. do. Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est.

In octa. pasche ser. 1. Est enim martyrij genus & effusio quædam sanguinis, in quotidiana corporis afflictione: illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est, vt quẽ semel pro Christo ponere non sufficiunt: saltem mitiori quodam seu diuturno martyrio sanguinem fundant.

Super cãt. sermo. 30. Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus cõplexionum ciborũmq; varietatibus exquirendis, quotidianã expendere curam? Legumina inquit, ventosa sunt: caseus stomachum grauat: ac capiti nocet: potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancoliam: coleram porri accendunt. Pisces de stagno aut de lutosa, atque meę penitus cõplexioni non congruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuiis, agris, hortis, cellariisve reperiri vix possit, quod comedas? Puta te quæso monachum esse non medicum, nec de

de complexione iudicandum, sed de professione.

De paupertate Christi.

CAP. XXX.

In serm. de vigil. nati. OMnium bonorum æterna in cælis affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat & superabundabat hæc species: & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaq; Dei filius concupiscens, descendit vt eam eligat sibi, & nobis sua æstimatione faciat pretiosam.

In iij. ser. de resurre ctione do. Descendit ab inenarrabilibus cæli diuitiis & veniẽs in mundum nec istas qualescunque diuitias habere voluit, sed in tanta paupertate venit, vt natus continuò poneretur in præsepio: quia nõ erat locus in diuersorio. Et verè magna abusio, nimis magna: vt diues esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis, & dominus sabaoth voluit pauper fieri.

In vig. natiuit. dom. sermo. 4. Ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisq; thesauris. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius inuenitur: qua nimirum regnum cælorum emitur, & diuina gratia acquiritur?

In ser. de omnibus sanctis. Vis obtinere cælum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit.

Non

In epist. In serm. de oĩbus sanctis. In. iiii. ser. de aduen.

Nõ enim paupertas virtus reputatur. sed paupertatis amor. Amicitia pauperũ, regũ amicos cõstituit. Amor paupertasis reges. Regnũ deniq; cęlorum pauperũ est. Beatus qui post illa nõ abiit. quæ pocessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Magna quędã penna est paupertas, qua tãcitò volatur in regnũ cęlorũ. Nõ pauperrati nõ tãtũ promittitur quãtũ datur. Videm' autẽ pauperes aliquos, qui si verã haberẽt paupertatẽ, nõ adeò pusillánimes inuenirẽtur & tristes: vtpote reges & reges cæli. Sed hi sunt, qui pauperes esse volũt: eo tũ pacto vt nihil eis desit, & sic diligũt paupertatẽ, vt nullam inopiã patiãtur. Homines autẽ bonæ volũ-

In serm. de pass. dom.

tatis, qui Christiana volũtate diuitias paupertate cõmutarũt, & etiã nõ habitas tãquã habitas cõtẽpserũt, relinquẽtes omnia propter Christũ (sicut & ipse reliquit oĩa propter ipsos) sequũtur eum quocunque ierit.

In quibusdã dictis. In serm. de oĩbus sanctis de euãgelio.

Felix volũtaria paupertas relinquẽtiũ omnia: & sequẽtiũ te domine Iesu. Verè martyrij genus paupertas volũtaria. Quid mirabilius aut quod martyriũ grauius est, quã inter æpulas esurire, inter vestes multas & precioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mũdus, quas ostẽtat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An nõ merito coronabitur, q̃ sic certauerit?

Volun

Voluntaria paupertas suos à gemina impugnatione (qua huius mundi amatores expugnantur) reddit securos, scilicet propria inuidia & aliena. Paupertas enim dum putatur misera, aliena caret inuidia: & quia est voluntaria, nemini quicquam inuidet.

In quibus. sententijs.

De tribulatione.

CAP. XXXI.

In sermo. de palmis Non sine causa. sup. psal. Qui habitat. ser. 17

HAec est via vitę tribulatio præsens via gloriæ: via ciuitatis habitaculi, via regni. Vtilis tribulatio quæ probationẽ operatur: ducit ad gloriã. Omne gaudiũ existimemus, cùm in tribulationes varias incidimus. Res enim necessaria tribulatio quæ in gloriã vertitur: tristitia quæ in gaudium mutatur. Gaudiũ sanè lõgũ quod nemo tollat à nobis: gaudiũ multiplex, gaudiũ plenum. Bonũ ergo magis necessitas quàm voluptas: quòd cùm vtraque res citius trãseat, altera pœnã habeat. Altera sit paritura coronam. Res necessaria ista necessitas, quæ coronam parit. Glorietmur in tribulatione, in ea si quidem spes gloriæ: imò & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine. In hunc modum modò regnum Dei intra nos est, thesaurus ingẽs in fictili vase, in agro vili. Est inquam, sed absconditum est: latet gloria, absconditа

nobis

nobis est in tribulatione. Cum ipso sum in tribulatione (ait Deus) & ego aliud interim quàm tribulationem requiram: Mihi adhærere Deo bonum est. Descendit vt prope sit his, qui tribulato sunt corde, vt nobiscum sit in tribulatione nostra.

Sup. psal. Qui habitat. ser. 16

Vnde scimus, quòd sit nobiscũ in tribulatione? Ex eo vtique quòd in ipsa tribulatione sumus nos. Quis enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteret sine eo?

Ibidem sermo. 17.

Bonum mihi domine tribulari, dummodo ipse sis mecum: quàm regnare sine te, æpulari sine te, sine te gloriari, bonum in tribulatione magis amplecti te: in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo. Aurum probat fornax, & viros iustos tentatio tribulationis.

Ibidẽ. ibi, cum eis es domine, ibi in noẽ tuo cõgregatis medius astas. Ibi. ser 16. Ibi. serm. 17.

Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus nunc caminum? Sæuit ignis. sed dominus nobiscum est in tribulatione.

Quando autem erimus nos cum ipso? Nimirum quando rapiemur obuiam Christo in aëra, & sic semper cũ domino erimus. Si tamẽ curemus eum interim nobiscum habere, vt sit comes viæ, qui patriæ redditor est futurus: imò qui tunc patria modò sit via. In plenitudine gratiæ nobiscum est: in plenitudine gloriæ erimus nos cum ipso.

De

De patientia.

CAP. XXXII.

VEra patientia est pati vel agere contra quod libeat: sed non præter quod licеat. Pauperiem æquo animo ferre, virtus patientiæ est. Sponte appetere, sapientiæ laus est. Impatientiæ, animæ perditio est, Siquidem propter impatientiam qui patientia caruerunt perierunt. Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur: ita vt cùm nunquàm desit eis pie velle: non semper tamen adsit & perficere pro bona voluntate. Sicut enim impiorum est piis bonorum propositis assiduè reluctari, sic contra pietatem non est (propter aduersitatem) quamuis iusta & sancta desideria paucorum plerumque non perfici. Qui patientiam non seruauerit, perdet iustitiam: hoc est, vitam perdet: Hoc est, perdet animam suam. Vide opera domini, flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, ait, ignoscе illis. Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed vniuersa pro Deo sustine: quia pro te maiora sustinuit: & apud quem patientia infructuosa non erit.

Ad Adã. monachũ. Si manes. Gisbertũ. Lãdoni. In quibus. Ad Symo. abbati. Nicol. In. 3 ser. de. ann̄ciat. beate Ma. ser. In ser. de. pas. do. In ser. 2. de. pas. chu.

Super. canti. serm.

xlvij. Vtrumque est mihi domine speculum patiendi, & præmium patientis. Tu doces manus meas ad prælium, exẽplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia maiestatis. Vtrumque fortiter prouocat, ac vehementer accendit. In vtroque mirabiliter tibi me allicis, vterque funis violentissimus ad trahẽdum. Tra he me post te, libenter sequor, libentius fruor. Quàm pauci post te ô domine ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo qui nolit hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem. Et propterea volunt omnes te frui ac non ita & imitari. Conregnari cupiunt, sed non compati. Non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non sequi.

Super cãt serm. 21.

De iustitia.

CAP. XXXIII.

IVstitia virtus est quod suum est vnicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt: redde superiori, redde inferiori, redde æquali cuique quod debes. Redde inquam, reuerentiam prælato & obedientiã quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtẽperare maiorbus

In ser. de aduẽ. domini. qui incip. Inaduen.

ioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Sic & fratribus nostris inter quos viuimus, ipso iure fraternitatis & societatis humanæ, consilij sumus & auxilij debitores. Hæc enim volumus, vt & ipsi nobis impẽdatur consilium, quo eruditur ignorantia nostra. Auxilium quo iuuetur infirmitas nostra. Sed nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem tuum sic docere studeas, quæ oporteat, & quæ non oporteat fieri: prouocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo neque lingua: sed opere & veritate. An verò vtilius aut efficacius auxilium aliquod est, quam vt ores deuotè pro eo, vt nõ dissimules redarguere culpas eius, vt nullum ei offendiculum ponas: sed & solicitus sis, quantum præuales tanquam angelus pacis de regno Dei scandala tollere: & occasiones scandalorum penitus remouere? Si talem te fratri consibarium & auxiliatrum exhibes, reddis ei quod debes: nec habet vnde causetur. Porrò, si cui forte prælatus es, huic sine dubio teneris debitor solicitudinis amplioris. Exigit à te & ipse custodiam & disciplinam: Custodiam quidem vt possit cauere peccatum: disciplinam verò vt quod minus cauit, minimè maneat impunitum. Quod si nonnim

fratrum præesse videris, habes tamen sub te cui custodiam hãc & disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam, vt non regnet in eo peccatum nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & disciplinam vt dignos faciat pœnitentiæ fructus castigatum & subditum seruituti. Longè tamen grauiori & periculosiori debito tenentur astricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Est autem iustitia quædam stricta & angusta valde: nec præponere se æquali, nec æquari præposito. Huius diffinitio est, reddere vnicuique quod suum est. Altera latior & amplior iustitia, nec æquari se pari, nec inferiori se preponere. Sicut enim grandis & grauis superbia est præferre se æquali aut æquare prælato, ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena est iustitia se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est superiori se præponere, ita inferiori se subdere summa & plena iustitia est. Studeamus obsecro adimplere omnem iustitiam: ipsa enim est via, per quam ad lætitiam venitur. Nam lætitia præmium est, iustitia verò meritum & materia.

In serm. 4. de Epypha nia domini.

De

De misericordia.

CAP. XXXIIII.

MIsericordia affectio est, quæ nec voluntate coërcetur, nec rationi subiicitur: quando non eam quisque in se pertrahit voluntario nutu, sed ipsa pias mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu: ita vt etiam si peccatum esset misereri: etsi multum vellem, non possem tamen non misereri. Potest quidem ratio vel voluntas affectui affectum subtrahere: sed nunquid ipsum affectum euellere? Iustitia meritum querit, misericordia misericordiam intuetur. Vera misericordia non iudicat sed afficit: nõ nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio, vbi affectio trahit. Mens siquidem quam semel afficit charitas, sui iuris esse non sinitur. Metuit quæ nescit, dolet quæ non oportet: solicitatur plus quàm voluerit, & vnde nolu erit: compatitur nolens: miseretur inuita. Sunt quidam misericordes de his, quæ ad ipsos non pertinent: qui scandalizantur quod non datur omnibus abundanter: sic tamen vt ipsi ne in modico quidem grauentur, qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam: si non possunt de

In Epistola ad Guido. triu fotiũ abbatem.

In epist. 2. ad Carth.

Ad Rain. puniacẽ sem abba.

In serm. 4

terrena substantia, de voluntate bona darent his, qui contra eos fortè peccare viderentur indulgentiam: darent dulce signum: verbum bonum quod est super omne datum optimum, vt eorum mentes ad pœnitẽtiam prouocarent. Denique & his omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassioneni impenderent & orationem. Alioquin misericordia illorum nulla est, & misericordiam consequentur nullam.

De correctione.

CAP. XXXV.

Iuscn. de natiu. sãc I oã. abbt.

ARguere & increpare interdum necesse est. Ferueat ergo in nobis amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, Nunquid ego sum custos fratris mei? Est enim consentire silere, cum arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes maneat, & consentientes. Blanda, sed perniciosa laus: cùm laudatur peccator in desiderii sanimæ suæ. Iustus corripit in misericordia: peccator adulatur in impietate. ille vt curet, iste vt ocultet, quod erat curãdum. Dum enim carpuntur vitia, & in de scãdalũ oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit vt argui de beat, nõ ille qui arguit. Ineſt naturæ, si peccato nõ obsolescat grata & egregia

Inscript. ad Suggerium abbatem San. Dionysij.

Super cãt. sermo 44.

suaui

suauitas: vt molliorem magis ad compatiendũ peccantibus, quam ad indignandũ aspectum se sentiat. Et enim si peccanti homini homo peccator minimè indignatur, sed magis ei pium exhibet compassionis affectum, hoc scimus vnde venit. Ex consideratione namque sui ipsius, cuiq; venit mãsuetum esse ad omnes, dum homo vt piè condescendere sciat, præoccupatis in peccato considerat seipsum, ne & ipse tentetur. Hinc denique amor proximi radicem trahit, ex intimis sanè humanis affectibus primordia ducit sui ortus fraterna dilectio: & de insita homini ad seipsum naturali quadam dulcedine tanquam de humore terreno, sumit proculdubio vegetationem & vim, per quam spirante gratia, de super fructus parturit pietatis: vt q̃ sibi anima naturaliter appetit, naturæ consorti, id est alteri hommi, iure quodam humanitatis vbi poterit & oportuerit, non existimet denegandum, sed spõte & libens impartiat. Verum carnales cõcupiscentiæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis & solicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suauitatem exterminant. His ergo dum satisfacere singulariter volumus, boni nos socialis ac cõmunis singulari suauitate priuamus, quod in commune dulcius possidetur, quod participatione

non minuitur, participatione nō amittitur & natura ad indignandum quam ad compatiendum sit paratior. Inde homo tanquam omnino exutus homine, in quo vult sibi cūm opus habet ab hominibus subueniri nō vult ipse hominibus opus habentibus subuenire. Magis autē iudicat, spernit, irridet, homo homines delinquentes peccator: non considerans seipsum, ne & ipse tentetur.

De beniuolentia.

CAP. XXXVI.

Inepist. ad bernar. de portis.

LIbens do, inuitus perdo. Scimus quoniam speranti grandia modica minus grata euenire solent. Quod autem non venit gratum, perditum est, non datum. Scio quidem dare quàm accipere, beatius esse sed si detur quod dāri honestum, accipienti vtile sit. Facta factis compēsare oportet: sed rebus pauper sum & viribus. Aequabo ergo beneficia votis, quæ factis non possum. Desiderans diues sum affectibus abūdo. Et certè verus beneficus amplius nō requirit. Nam quomodo beneficus, qui non & beniuolus sit? Porrò, beniuolus nil sibi carius ipsa existimat beniuolentia, qua & beniuolus nominatur, & beneficus est. Denique beniuolentia fructus est beneficij, nisi quis forte beneficium

ficium putet: quod spe emerit aut timore dimiserit. Sed quis non videat hoc relictum, illud venditum neutrum datum? Oportet autem beneficium vt verè sit, esse gratuitū. Danti itaque redit quicquam gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit. De beniuolētia creatur de beniuolētia dantis in animo accipientis, beneficio quidem interueniēte. Hac me fateor locupletem, hanc de corde pleno dignam profecto offerto remunerationem meo benefactori: hanc deuotus immolo sacrificium laudis factori omnium pro salute mei benefactoris.

De perseuerantia.

CAP. XXXVII.

In epi. ad Ianuenses

PErseuerentia sola virtutum coronatur. Perseuerantia sola meretur iustis gloriam: coronam virtutibus. Prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est: nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constātiæ filia, amica pacis, amicitiarū nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseueratiā, nec obsequium mercedem habet: nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.

Denique nō qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si cautela Samsonis, si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuisset, necis profecto priuaretur sapientia: nec ille viribus, hoc summę honestatis insigne, hanc totius probitatis vnicam fidámque custodem custodiri firmiter horror.

De testimonio conscientiæ.

CAP. XXXVIII.

In.1.lib.de consídera. PErfecta cuique & absoluta excusatio, testimonium conscientiæ suæ. Volo glorieris testimonio conscientiæ, sed non minus vt eodem ipso humilieris. Rara vox, nihil mihi conscius sum. Cautior in bonis ambulas, si & mala non lateant. Quamobrem noueris te, vt inter angustias quæ non desunt fruaris conscientiæ bono: magis autem vt scias, quid desit tibi. Nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. *Super cāt. sermo.85.* Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt. Sed qualem? Pudicam, verecundam, pauidam, circunspectam: nihil penitus admittentem, quod euacuet gloriam conscientiæ attestantis in nullo conscientiam sibi, quo erubescat præsentiam veritatis. Hoc planè est, quod

quòd super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus. Testimonium conscien- *In.1 ser de* tiæ verum est, cùm spiritus sanctus testi- *annūciat.* monium perhibet spiritui nostro. Porrò, *Mariæ.* hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse est enim primò omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse. Postremò quòd vitam æternam nullis poteris operibus promereri, nisi gratis tibi detur & illa. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus? De operibus quoque bonis certum omnino est, quòd nemo ea habeat à seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minus poterit per seipsam resurgere iam corrupta? Certum est ad suam originem vniuersa, quantum in eis est tendere: & in eam semper partem esse procliuiorem. Sic & nos, quia de nihilo creati sumus, constat, quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper quod nihil est declinamus. Iam verò de vita æterna scimus: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, nec si vnus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum

num merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam vt taceam, quòd merita omnia Dei sunt dona, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini. Quid sunt omnia merita ad tantam gloriam? Ideoque si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti, in quem peccatum non cadit, bene facis. Sed adde adhuc, vt & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde tuo spiritus sanctus dicens. Dimissa sunt tibi peccata multa. In de meritis quoque, si credis non posse habere nisi per ipsum: non sufficit tibi donec tibi testimonium perhibeat spiritus veritatis, quòd ea habes per illum. Sic & de vita æterna habeas (necesse est) testimonium spiritus, quod ad eam diuino fis munere peruenturus. Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat.

De pace.

CAP. XXXIX.

In epistol. ad episco. aquitanæ

VIrtus in pace acquiritur: in pressura probatur: approbatur in victoria. Dum vsunpant homices gloriam, turbant pacem

pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabilia solus. Porrò autem cum nostro genere bene agitur, si datur frui pace Dei, pacecum Deo: & quidem feliciter & misericorditer. Quonam ergo modo stat pax hominũ corã Deo vel cum deo, si Deo non potest esse apud homines tuta gloria sua? O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam. Gloriam meam (inquit dominus) alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis domine, quid dabis nobis? Pacem inquit, do vobis: pacem relinquo vobis. Sufficit mihi: gratanter suscipio quod relinquis: & relinquo quod retines. Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu. Tu enim pax nostra, hoc mihi necessarium: hoc satis est reconciliari tibi, reconciliari mihi. Abiuro gloriam prorsus, nec sacrilegus sum inuasor gloriæ tuæ. Tibi domine, tibi gloria tua maneat illibata: mecum bene agitur, si pacem habuero. Est homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quod in se est, nemini vult nocere. Est alius patiens, qui non reddens mala pro malis, etiam potens est sustinere nocentem. Est & pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet etiam prodesse

Super cãt. sermo. 13.

Inquibus dã senten.

nocen

nocenti Primus quantum in ipso est, pacem habet: secundus pacem tenet: tertius pacem facit. Primus paruulus est, & facilè scandalizatur. Secundus in patientia sua possidet animam suam. Tertius multorum animas lucrifacit. Sunt quidam, qui si viderint quempiam vel leuiter scandalizatum, valde soliciti sunt, quomodo eum in pacem reducere possint, & viderentur pacifici, nisi quòd eorum commotio, si fortè quicquam contra eos factum dictúmue videbitur, tardius vniuersis poterit difficiliúsque sedari. Qui nimirum, si verè pacem diligerent, haud dubium, quin eam quærerent sibiipsis. Pax igitur vobis, à vobis sit: & ommne quod extrinsecus minari videtur, non terret: quia non nocet. Nam econtrariò, quicquid foris blãdiri appareat, nulla est profecto consolatio, si intus (quod absit) seminarium discordiæ germinarit.

In ser. 4. de aduen.

Super cãt serm. 29.

De contemptu mundi.

CAP. XI.

FAllax mundi gloria! digne respuitur. Flos fœni est, vapor ad modicum parens. Ipse eius qualiscunq; status, nõne pius anxietatis quàm iocunditatis habet? Dum vendicas, dum defendis, dum inuides, dum suspicaris, dum semper amabis, quæ non habes, & nonnullis adeptis, acquirendi ardor non minuitur: quæ requies in gloria tua? Si qua tamen est, præterit iocunditas, non reditura: & manet anxietas non relictura. Cæterùm videas eam quia plurimos non apprehendere, contemnere perpaucos. Cur hoc? Profecto, quia necessitas multorum est, virtus paucorum. O seculum nequam, quòd solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos: consequenter & indignos, consilio beatorum. Planè enim qui amicus vult esse tuus, inimicus Dei constituitur. Amicus itaq; mundi, excluditur à consilio amicorum Dei. Gustato spiritu, necesse est desipere carnem: affectanti cælestia, terrena non sapiunt: æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Omnis enim delectatio huius mundi, vniuersa eius gloria: quicquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius felicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis comparatione, si tamen vel modicum dici debet & nõ potius nihilum. Filij Adam genus auarum & ambitiosum audite, Quid vobis cum terrenis diuitiis & gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Veræ diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat,

In epist. 113. ad Sophiã Virg.

In epist. 107. ad Thomam præpositũ de Beneſa.

In epist. 111. ad parẽtes Eliæ

In ser. de sanct. o Clemente.

In 4. ser. de aduen.

In quibus dã sentẽ.

tat, vt in perpetuum diues fiat. Certa nimirum mundi breuitas, & ipsius quoque breuitatis finis incertus, sæpe viuentem deserunt: nam morientem, nec tardò sequuntur. Vilis est, & ad nihilum vtilis mundialis consolatio: & quod magis est metuendum, etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum. Quid enim hîc nisi

In quibus dã dictis.

labor & dolor, & afflictio spiritus? Comedere appetis, quia fames te cruciat. Vtrúque labor est. Sed quia fames grauior est, comedere nescis esse laborem. Denique postquam fames depulsa fuerit, vide si non grauius ducis comedere quàm esurire. Sic se habent vniuersa sub sole, vt nihil sit in eis verè iocundum, sed ab vno semper transire velit homo ad aliud, soláque vicissitudine releuetur. Omne siquidem laboris remedium, alterius laboris initium est. Nemo in hoc seculo nequam, quod vult habere potest: quandoquidem nec iustus iustitia satiatur, nec voluptuosus voluptate, nec curiositate curiosus, nec ambitiosus inani gloria. Væ autem his, qui vanam & transitoriã lætitiam quærunt. Cùm enim de transitoriis quærant lætitiam, non poterit non transire transeuntibus his, de quibus erat. Sicut enim lignis deficientibus ignis deficit, sic mundus transit, & concupiscent

piscentia eius: haud dubium, quin lætitia quoque. Videat secularis anima, videat & intelligat: quoniam extrema gaudij luctus occupat. Hic est enim transitoriæ lætitiæ finis: hic est fructus gloriæ temporalis.

De solitaria vita.

CAP. XLI.

O Sancta anima sola esto, vt soli omniũ serues teipsam, quẽ ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum. Fuge domesticos. Secede ab amicis & intimis. Nihil tibi & turbis: nihil cum multitudine cęterorum. Ipsum obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum. Secede ergo, sed mente, non corpore: sed aut intentione, sed deuotione, sed spiritu. Deus enim spiritus requirit, non corporis solitudinem, quanquam & corpore interdum non otiosè te separas cum oportunè potes: præsertim in tempore orationis. De cętero sola indicitur tibi mentis solitudo & spiritus. Solus es, si non communia cogites: si non affectes præsentia: si despicias quod multi suscipiunt: si fastidias quod omnes desiderant: si iurgia deuites: si damna non sentias: si non recorderis iniuriarum. Alioquin nec si solus corpore

Suepr cãt. serm. 40.

es, solus es. Solus es in quantacunque verseris hominum frequentia, tantum caue alienę conuersationis esse, aut curiosus explorator aut temerarius iudex. Etiã si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, magis autẽ excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiã, puta surreptionem, puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilomin' ipse tibi, & dicito apud temetipsum, vehemens fuit nimis tẽtatio. Quid de me illa feciſſet, si accepiſſet in me similiter potestatem?

De *memoria dominicæ passionis.*

In quibus dãsentiẽ.

CAP. XLII.

O Quàm indebita miseratio, quàm gratuita dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, regem glorię pro despicatissimo vermiculo crucifigi. Quis audiuit vn quam tale, aut quis vidit huic simile? Vix enim pro iusto quis moritur, ipse pro inimicis & pro iniustis mortuus est, eligens exulare à cęlis, vt nos reportaret ad cęlos. Amicus dulcis, consiliarius prudens, ad utor fortis. Proinde memor ero qamdiu fuero, laborum & dolorum quos pertu-

In ser. de passione domini.

lit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum horúmque similium, quæ per eum & super eum abundantius transierunt. Hæc meditari dixi sapientiam: in his iustitiæ mihi perfectionem constitui, plenitudinẽ scientiæ, diuitias salutis, & copias meritorum. Hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiáque vitæ præsentis, via regia incedenti, tutum præbent vtrobique ducatum, hincinde malã imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilémque figurant, dum placabilem, imitabilémque repræsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus terribilis apud reges terræ. Propterea hęc mihi in ore frequenter, in corde semper. Hęc mea sublimior philosophia scire Iesum, & hunc crucifixum. Columba mea (ait) in foraminibus petrę, foramina petrę vulnera Christi. Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra.

Super cãt. serm. 43.

Super cãt. serm. 61.

Anceps est enim & caducum omne terrenum. Conuersatio nostra in cælis sit: & ne cadere, nec deiici formidamus. In cælis petra, in illa firmitas atque securitas est. Et re vera, vbi tuta firmáque infirmis requies, nisi in vulneribus Saluatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad saluandum. Tremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur: non cado, fundatus enim sum supra firmam petram: peccaui peccatum grande, turbabitur conscientia, sed non perturbabitur: quoniam vulnerum domini recordabor. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Quid tam ad mortem, quod non Christi morte soluatur? Si ergo in mente venerit tam potens, tàmque efficax medicamentum, nulla iam morbi possum malignitate terreri: fidenter quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus domini: quoniam misericordia affluunt: nec defunt foramina, per quæ effluant: patet arcanum cordis per foramina corporis: patet illud magnum pietatis sacramentum: patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Serm. 62. vbi supra.

vbi supra ser. 61.

De

De *deuotione*.

CAP. XLIII.

QVærat deuotionis gratiam, quisquis seminauerit bonorum operum semina: vt bona opera feruore deuotionis, & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Nimirum pœnitentiæ opera & labores abstinentiæ, deuotionis gratia necesse est impinguari. Oportet enim vt nos maximè in hilaritate omnia faciamus. Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed iustius forsitan ipsa sibi quæritur deesse nonnullos: nempe res cordis est gratia deuotionis, quam quærimus: vt hoc munere ipse se fraudet, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere.

In serm. in de natali domini qui incipit: Gratiæ, deuotionis gratia quidem.

Omnes (ni fallor) quæ sursum sunt, quæ quærimus, intellectu fidei & iudicio rationis: sed non æquè forsitan sapimus omnes quæ sursum sunt, tanquam insciati his, quæ sunt super terram, violento quodam præiudicio affectionis. Vnde enim animorum tanta diuersitas, disparilitas studiorum, conuersationum dissimilitudo? Vnde spiritalis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? Profectò nec auarus, nec inops est gratiæ distributor: sed vbi vacua vasa desunt, oleum stare necesse est. Preoccupatum nempe, secularibus desideriis

De ascensione ser. mo. 5.

animi delectatio sancta declinant: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritalia corporalibus, summa imis: vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terr a. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. De colloquio Symonis & Iesu. Pretiosa si quidem diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Cuius mens ad alias consolationes inhiat, & non penitus renuit in caducis, & transitoriis consolari, ipse sibi profectò cælestis subtrahit gratiam consolationis. Errat omnino, si quis cælestem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic veneno, carismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur. Non amat veritas angulos: non ei diuersoria placent, in medio stat: disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur. Putas te posse illum meracissimum spiritum suscipere, nisi carneis istis delectationibus funditus renuntiaueris? Re vera cùm inceperis, tristitia implebit cor tuum: sed si perseueraueris, tristitia tua vertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vt omnia quæ prius difficilia, imò impossibilia videbantur, cùm multa perrra

Super psal. Qui habitat. serm. 4.

In ser. 5. de ascen.

In ser. 3. de ascensione domini.

cuttantur dulcedine & auiditate. Beati qui tales sunt, quia no solùm malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur,

De *laude diuina.*

CAP. XLIIII.

Cibus in ore, psalmus in corde sapit. In meditationibus. Parum prodest sola voce cantare, sine cordis intentione. Deus enim, cui non absconditur quicquid illicitum perpetratur, non quærit vocis lænitatem sed cordis puritatem.

Super cãt. sermo. 7.

Psallentibus dignanter admisceri sancti angeli solẽt. Ea propter attendite angelos, cùm statis ad orandum & psallendum, & state cum reuerentia & disciplina. Nimirum missi in ministerium propter nos, qui hæreditatem capimus salutis, deuotionem nostram ferunt in superna, referúntque gratiam. Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium: laudem cum cæli cantoribus in commune ducẽtes, vt pote ciues sanctorũ & domestici Dei. Hoc enim bonum est. Tum propter releuandos vitæ præsentis labores, qui vtique tolerabiliores nobis fiunt exultantibus in laude Dei: tum quia nihil ita propriè quendam terris repræsen-

Super cãt. sermo. 7.

Super cãt. sermo. 11.

tat cęlestis habitationis statum: sicut alacritas laudantium Deum.

In meditationib⁹. O si quis haberet oculos apertos, videret qua cura, quóve tripudio intersunt cantantibus, adsunt orãtibus, in sũt meditãtibus, supersunt quiescẽtibus, ordinãtibus & procurantibus præsunt. Agnoscũt nimirũ supernæ potestates conciues suos: & pro his qui hæreditatẽ capiunt salutis, solicitè congaudent, confortant, instruunt, protegũt, prouidéntq; omnibus, omnes in omnibus.

Super cãt. Serm. 47. Vnde vos moneo dilectissimi, purè semper ac strennuè diuinis interesse laudibus. Strennuè quidem, vt sicut reuerenter, ita & alacriter domino assistatis. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus, muliebre quidem balba denare sonantes, sed virili (vt dignum est) sonitu & affectu, voces sancti spiritus depromentes. Purè verò, vt nil aliud dum psallitis, quàm quod psallitis cogitetis. Nec solas dico vitãdas cogitationes vanas & otiosas, vitandę sunt & illæ, illa duntaxat hora & illo loco quas officiales fratres pro communi necessitate quasi necessario frequenter admittere compellũtur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ

quæ fortè paulò antè in claustro sedentes, in codicib⁹ legeratis. Salubria sunt, sed minimè illa salubriter inter psallendum reuoluitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quàm debet, neglecto eo quod debes obtuleris.

De *consideratione.*

CAP. XLV.

In libro de cõsideratio. Pletas est vacare considerationi. In libro secundo, de consideratio. Consideratio autem diffiniri potest intensa ad inuestigãdum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum. Si quod viuis & sapis, totum das actioni: considerationi nihil. laudo te, in hoc non laudo. Certè nec ipsi actioni expedit considerationę non præueniri. Et primùm quidem ipsam mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat, agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat: aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est

In lib ỹ. de cõside.

quæ in prosperis aduersa præsentitur: in aduersis quasi non sentit: quorum alterũ fortitudinis, alterum prudentiæ est. Hæc item est, quæ inter voluptates & necessitates, media: quasi quædam arbitra sedens, vtrinque certis limitibus disterminat fines: istis assignãs & præbens quod sat est: illis quod nimis est demens: & sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt temperantiam. Nempe intemperantem ipsa consideratio censet, tam eum qui necessariis pertinaciter demit, quàm qui indulget superfluis. Non est ergo temperantia in solis resecandis superfluis: est & in admittendis necessariis. Iam de iustitia (quæ vna ex quatuor est) nonne constat consideratione mentem præueniri, vt se formet in ea? Se enim necesse est prius cogitet, vt ex se normam ducat iustitiæ, nec factura vtique alteri, quod sibi fieri nolit: nec quod sibi fieri velit, negatura. In his nempe duobus liquet integrum esse iustitiæ statum.

In lib. ij. de cõside. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si mundum vniuersum lucreris, te vnum perdideris? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum vero? Vt quidem censerim ego, totum. Noueris licet omnia mysteria, noueris

ueris lata terræ, alta cæli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Quicquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulueris, ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. Sapiens sibi sapiens erit. A te proinde incipiat consideratio tua, non solùm autem & in te finiatur. Quocunque euagetur, ad te reuocaueris eam cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu vltimus. Quicquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum.

De contemplatione.

CAP. XLVI.

COntemplatio quidem diffiniri potest, *In lib. ij.* verus certúsque intuit' animi de quacunque re, siue apprehensio veri nõ dubia. *de conside.*

Duo sunt contemplationis genera: *Super cãt.* vnum de statu & felicitate, & gloria *serm. 62.* ciuitatis supernæ: quod vel actu vel otio ingens illa cælestium ciuium occupata sit multitudo. Alterum de regis ipsius maiestate, æternitate, diuinitate. Non ex omni interim parte adhuc ad intuendum

Deum

Deum accedere ecclesia potest. Neq; enim omnium est, quæ in ecclesia sunt, sacramenta diuinæ voluntatis inspicere, aut apprehendere per semetipsos profunda Dei. Perfecti quidem rimari ac penetrare arcana sapientiæ & puritate conscientiæ audent: & intelligentiæ acumine possunt. De reliquo qui in Deum intendere non sufficiunt aut præsumunt: contenti sunt, vel gloriâ sanctorum mente intueri. Licebit itaque vnicuique nostrum tempore nostræ mortalitatis, nunc quidem patriarchas reuisere, nũc verò salutare prophetas, nunc senatui immiscere apostolorum, nunc martyrum inseri choris: sed & beatarum virtutum status, & mansiones à minimo angelo vsque ad Cherubin & Seraphin, tota mentis alacritate percurrendo lustrare: prout quẽque sua deuotio feret: apud quos magis afficietur, si steterit & pulsauerit confestim aperietur ei: quia fauorabili quadam pietate nostris se votis libẽter inclinãt sancti: & ad tactum nostræ deuotionis, in sua nos recipiunt viscera, quoties ad eos digna intentione pulsamus. De Ascensione, sermo iiij.

Felix cuius meditatio in cõpectu domini semper est: qui in corde suo delectationes dexteræ domini vsque in finem sedula cogitatione reuoluit. Quid enim illi graue

poterit

poterit videri, qui semper mente tractat, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in seculo nequam, cuius oculus semper videt bona domini in terra viuentium, semper videt æterna præmia?

Quid ni ibi videatur cor Dei? Quid ni ibi probetur quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta? Bona in se, placens in affectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil vltra quærentibus. *In v. lib. de cõsideratione.*

Et re vera illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur. Cui cõparata omnis alia delectatio, mœror est. Omnis suauitas dolor est, Omne dulce amarum: omne decorum fœdum. Omne postremò quodcunque aliud delectari possit, molestum. *In epistola ad quãdam sanctimonialem.*

Felix mens, quæ gloriam sanctorum frequenter cõtemplari studuit: sed quæ Deum, felicior: licet quidã intendere & in Deum, sed ad hoc puriore mentis acie opus est, & vehementiori omnino intentione etiam & meritis potioribus sanctitatis. *Super cãt. sermo. 62.*

Hi qui soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contemplantur: quia Deus est mundi rector & gubernator: hominum di *In quibusdam sententiis.*

id

berator

berator & adiutor: angelorum sapor & decor. In seipso principium & finis reproborum terror & horror, in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobris intolerabilis.

De Laude supernæ ciuitatis.

CAP. XLVII.

In sermo. de lxxx Cuius initium est: Magna mihi.

O Hierusalem ciuitas regis magni, qui ex adipe frumenti satiat te: & quam fluminis impetus lætificat: nec pondus nec mensura sed satietas est apud te & affluentia summa. In quibusdam dictis, mira serenitas, plena suauitas, æterna securitas. Iam non est timor in finibus tuis: quia posuit dominus fines tuos pacem. Nullus inimicus intrat: nullus exit amicus: nullæ ibi tentationes, nulla ibi sese cogitationum turma confundit: quia ille qui idem est, omnia in identitate consolidat atque coniungit. Nulla iam tunc tentandi facultas: inquietandi nulla libertas: nocendi nulla posibilitas: voluntatis Dei nulla erit transgressio. Vbi nimirum nobis in nobis & felix securitas, & secura felicitas: atque omnino perfecta iocunditas, vt sit nobis cum Deo vna voluntas, & quæcunque ei placẽt, placeant & nobis.

Vbi

Vbi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur: vbi omnes bonum & intelligunt & requirunt: intellectu perspicacissimi & affectu paratissimi ad audiẽdam vocem clarissimam purissimã, ac perfectissimam sermonum Dei. *In ser. iij. de ascen. domini.*

Super

Vita æterna ipsa est plenitudo: ipsa longitudo dierum: verus dies, qui non nouit occasum, plenus meridies, veræ gloriæ plenitudo, æterna veritas, vera æternitas, vera æternáque satietas. Si quidem nec longitudo illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de sacietate. In sermone de Euangelio de omnibus sanctis. O verè & felix & gloriosa satietas. O sanctum conuiuium. O desiderabiles æpulæ: vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium: quoniam satietas summa, & summum inerit desiderium. *Psal. Qui habitat. ser. 17.*

Super

O verè meridies, plenitudo feruoris & lucis, solis statio, vmbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. O perenne solstitium. O lumen meridianum, vernalis temperies. O æstiua venustas. O autumnalis vbertas. O quies & feriatio hyemalis, tuta habitatio, paradisus, dulce pabulum Deus. Opulentia multa *cant. ser. 33.*

multa nimis æternitas. Nihil ibi formidatur, nihil tatid.tur, nihil deficit. Festinemus proinde fili; festinemus ad locum tutiorem: ad pastum suauiorem vt habitemus sine metu: abundemus sine defectu: æpulemur sine fastidio.

In quibusdam dictis O quid nobis illic deerit gaudij, cum sine timore & periculo, sine nota & tædio, sine suspicione & vitio habitabimus: illic nos amabimus sine modo: videbimus sine termino: cohærebimus sine malo: pleni laude & iubilo: pleni gloria, pleni Deo. Tunc non erit suspicioni locus quia tunc omnia erit Deus.

In meditationibus Sic cum Deo beatus erit, in cuius conscientia peccatum inuentum non fuerit: videbit eum ad voluntatem: habebit ad voluptatem: fruetur ad iocunditatem: in æternitate videbit: in veritate fulgebit: in bonitate gaudebit. Sicut habet permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem. Ciuis siquidem erit illius sanctæ ciuitatis: cuius angeli sunt ciues. Deus pater templũ, filius eius splẽdor, spiritus sanctus charitas. O ciuitas cælestis, mansio secura, patria totũ continens quod delectat. populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiã habentes: quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas

Dei

Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te. Omnes lætantur in lætitia & exultatione. Omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pius, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suauis ad anhelandum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet, & propter se: sufficit ad meritum, sufficit ad præmium: nec extra illum quicquam aliud quæritur: quia totũ in illo inuenitur, quicquid desideratur. Semper libet illum aspicere, semper habere, semper in illo delectari, & in illo perfrui. In illo clarificatur & purificatur affectus ad cognoscendam & diligendam veritatem, & hoc est totum bonum hominis, noscere & amare creatorem suum. Patrem nanq; & filium cum sancto spiritu cognoscere, vita est æterna: beatitudo perfecta: summa voluptas. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quanta claritas, quanta suauitas, & quanta iocunditas maneat nos in illa visione, quando Deum facie ad faciem videbimus, qui est lux illuminatorum, requies exercitatorum, patria redeuntium, vita viuentium, corona vincentium.

*

De præmio æterno.

CAP. XLVIII.

In meditationibus per diuersa loca.

PRæmium est videre Deũ, viuere cũ Deo, viuere de Deo: esse cũ Deo, esse in Deo: qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui est summum bonum: & vbi est summũ bonum, ibi est felicitas summa, summa iocunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas. Ibi est vera lætitia, plena sciẽtia omnis pulcritudo, & omnis beatitudo. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis. Quæ ergo nos angit vesania vitiorum, sitire absinthium, huius mundi sequi naufragium, vitæ labenti: pati infortuniũ, impiæ tyrannidis ferre dominiũ: & non magis cõuolare ad sanctorũ felicitatem, ad angelorũ societatem, ad solennitatem supernæ lætitiæ, & ad iocunditatẽ contemplatiuæ vitæ: vt possimus intrare in potẽtias domini, & videre superabũdantes diuitias illas bonitatis eius? Ibi vacabimus & videbimus quã dulcis est dominus: & quàm magna multitudo dulcedinis eius: videbimus gloriæ decorẽ, sanctorũ splendorẽ, & regię potestatis honorẽ. Cognoscemus patris potentiã, filij sap

sapientiã, spiritus sancti benignissimã clementiã. & ita habebimus notitiã illius summæ trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiã corporũ spiritu cernimus. Tunc verò ipsam veritatẽ puro mentis intuitu videbimus. O quàm beata visio videre Deum in seipso: videre in nobis, & nos in eo felici iocunditate, quicquid desideramus, totum habebimus: nihil amplius desiderãtes: & quicquid videbimus, amabimus ipso amore beati dulcedine amoris & suauitate contemplationis. Hæc erit summa illius felicitatis, quoniã intelligetur in suo puro esse syncera diuinitas: cõprehendetur modo incomprehensibilis trinitas: patebunt arcana diuinitatis: videbitur & amabitur Deus. Et hæc visio & delectatio totum cor hominis replens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Vna erit omniũ lingua, iubilatio indefessa vnus affectus, amor æternus, patebit veritas, implebit charitas, & erit integra corporis & animæ satietas. Fulgebit sicut sol humanitas glorificata, quieta erit & concors carnis & spiritus sanitas: angelorũ & hominũ, vnũ erit gaudiũ: vnum conuiuium: non languebit amor, non liquefiet dilectio. Præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio: quoniã beatifica diuinæ maiestatis,

præsentia omnibus erit omnia: & in communę, omnium omnipotentia, sapientia, pax, & iustitia, & intelligentia. Nō erit in illa patria diuersitas linguarum, sed pacifica & concors cōcordia morum & affectuū. In torrente illius voluptatis nihil vltra appetet cumulata sacietas: vbi tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, & superabundans lætitia. Illic itaq; festinare debemus, vbi semper viuemus, & vbi nunquam mori timeamus. Si sic amamus istam vitam labilem & caducam, vbi cum tanto labore viuimus, multò magis amare debemus æternam vitam: vbi nullum laborem sustinebimus: vbi summa semper iocūditas, summa felicitas, felix libertas, & felix beatitudo: vbi erūt similes homines angelis Dei, & fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris sui. Qualis putatis tunc erit splendor animarū, quando solis splendorem habebit lux corporū? Nulla ibi erit tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors, sed perpetua sanitas semper perseuerans. Nō surgit ibi malitia, non carnis miseria, nulla ibi ægritudo, nulla necessitas, non est ibi fames nec sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo ieiunij, nec vllà tentatio inimici, nec peccandi volūtas, nec delin-

delinquendi facultas: sed totum lætitia, totum exultatio possidebit, hominésque angelis sociati, sine vlla carnis infirmitate in perpetuum vernabūt. Ibi etiam iocunditas infinita, beatitudo sempiterna, in qua qnod semel adipiscitur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus? amœnitas de nouitate, securitas de ęternitate, suauitas atq; dulcedo de Dei visione. Nullus est ibi peregrinus, sed quicunq; illuc venire meruerint, securi in propria patria manebūt. Semper læti, & semper satiati de visione Dei. Et quantò aliquis Deo obediēs, tantò ampliorem mercedē ibi recipiet. Quantuncunq; amplius Deū amabit, tanto propius videbit, quem cernere noster est finis.

Finis libri quinti.

CAPITVLA LIBRI SEXTI.

De superbia. 1
Vnde nascatur superbia. 2
De inuidia. 3
De iracundia. 4
De concupiscentia. 5
De cupiditate. 6

De insatiabili desiderio cordis humani. 7
De ambitione. 8
Quod ambitio vult latere, non apparere. 9
De vanitate laudis humanæ. 10
De ociositate. 11
De voluntate propria. 12
Quòd valde detestabilis vitium est propria voluntas. 13
De proprio consilio. 14
De tepiditate. 15
De pusillanimitate. 16
De curiositate. 17
De consuetudine praua. 18
De duritia cordis. 19
De præsumptione & obstinatione. 20
De gula & luxuria. 21
De detractione. 22
De hypocrisi. 23
De instabilitate cordis. 24
De leuioribus peccatis. 25
De contentione vitiorum. 26
De desperatione. 27
De miseria hominis. 28
De vtilitate conditionis humanæ. 29
De breuitate præsentis vitæ. 30
De vita otiosa. 31
De morte corporali. 32
De horrore iudicij futuri. 33
De pœnis inferni. 34

LIBER SEXTVS.

De superbia.

CAP. I.

ITitium omnis peccati, & causa totius perditionis superbia: propterea quisquis es, qui salutem tuã operari studes, aduersus hanc super caput signũ crucis habere memento: vt non eleueris in superbiam, vt non exaltetur cor tuũ. Suspecta siquidem Deo est superbia, nec fieri potest, vt cum eo in gratiã reuertatur. Diuersum vtrique hospitium, nec in eodem cohabitant animo, quibus non licuit cohabitare in cælo. In cælo nata est, sed velut immemor, qua inde via cecidit, illuc postea redire non potuit. Trabes in oculo grandis & grossa: superbia in mente est: quæ quadam corpulentia sui, vana non sana: tumida non solida: oculum mentis obscurat: veritatem obumbrat: ita vt si tuam occupauerit mentem, iam tu te videre, iam te qualis es, vel qualis esse potes, non possis sentire: sed qualem te amas, talem te vi- *In serm. 2 de sancto Andrea.* *In med.* *In tracta. de duodo. gradi. humiliatis.*

In serm. de Dauid & Golia.

putes esse, vel speres fore. Superbiæ vitium peccatum est maximum: quod Dei populo magis insultat & insurgit: specialiter aduersus eos, qui cætera iam videantur vicisse peccata. Vnde enim eiusmodi animam superbia tentet, quã sibi subiugauit inuidia, seu tepiditas aut pigritia? Vnde inquã enim superbia, vnde extollentia oculorum, cui adeò cætera vitia dominantur, vt diiudicari se ab vniuersis tanquam malè sibi conscius arbitretur? Quis (non qui cætera sibi iam potenti virtute vitia subiugauit) aduersus nequissimum superbiæ vitium dimicaturus accedat? Grauis labor superbia. Hæc est quæ non recipit disciplinam, curari renuit, medelam non sustinet, vlcus pessimũ quod ne summis saltem digitis patitur attrectari. Omnino intolerabilis superbia est, velle dominari. Solos sese putãt superbi, solos appetunt reputari. Literatus est, odit socium, astutus in negotiis secularibus, nemi nem vellet similem inueniri. Porrò elationem fugere super omnia, necesse est. Quisquis enim altũ sapit, & opus eius, & patientia vanũ sapit: nec grauior vllus sapor, aut magis cõtrarius est veritati. Superbiã impœnitentia comitatur. Elatũ enim cor, durum & expers est pietatis, ignarum cõpunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritalis.

In quibus. dictis.

In quibus. potentijs.

Scimus

Scimus autem, superbis nõ esse partem vel societatem in sorte sanctorum. Quid tu superbis terra & cinis. Superbientibus angelis Deus non pepercit: quantò magis aliãs minus tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est: tantum cogitauit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est. Si sic actum est cum angelo, quid de me erit terra & cinere? Ille in cœlo intumuit: ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quàm in paupere ducat? Væ mihi, si tam dure in potẽte illo animaduersum est pro eo, quòd elatum est cor illius: nec ei profuit, quod cognata potentibus superbia esse dignoscitur. Quid de me exigendum, & misero & superbo? Fugite superbiã quæso, fratres mei, quæ tam velociter ipsum quoque cunctis sideribus clarius emicantem æterna caligine obtenebrauit luciferum: quæ non solùm angelum sed angelorum primum in diabolum commutauit. Vidi dominum sedentem sermone secundo. Certi estote, eum qui superbis non pepercit angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibiipsi, non est personarum acceptor: similia sunt iudicia eius. Sola ei placet siue in angelo, siue in homine humilitas. Dico enim vobis, quod omnis

Super cãt. sermo 37. In ser. 1. de aduentu.

Super cãt. sermo. 54.

In. 1. serm. de aduent.

In serm. de verbis Esa.

In vig. na. domini. ser. 4.

superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam: & superbus vult fieri suam. Deus quidem in his tantum quæ ratio approbat, superbus verò & cum ratione & contra rationẽ. Elatus quantum in se est, Deum inhonorat: non colit Deum, sed aduersus Deum extollitur impius planè & infidelis. Quæ enim pietas, nisi cultus Dei? Quis verò Deum colit, nisi qui voluntariè ei subiectus est? Ad quid fratres, aut quæ necessitas fuit, vt exinaniret se, humiliaret se, abbreuiaret se dominus maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Obsecro proinde, studere humilitati, quæ fundamentum est, custódsque virtutum: sectamini illam quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum quid detestandũ amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltra apponat magnificare se homo super terram? Intolerabilis impudentiæ est, vt ibi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat.

In ser. 4. de nat. do.

In ser. 1. de natiu. do.

Vnde nascatur superbia.

CAP. II.

Super cæt. sermo. 37.

DE ignorantia tui, venit in te superbia, sic autem superbiam parit tibi ignorantia

rantia tui, cum meliorem quàm sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur. Hoc quippe est superbia, hoc initium omnis peccati, cum maior in tuis es oculis, quàm apud Deum, quàm in veritate. Si enim in quonam statu vnumquemque nostrum habeat Deus, liquidò cognosceremus, nec supra sanè, nec infra se cedere deberemus veritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem, quia hoc absconditum est à nobis, ita vt nemo sciat, si dignus sit amore vel odio iustius tutiúsque profectò nouissimum locum eligimus: de quo postmodum cum honore superius educamur, quàm præsumimus altiorem, vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum quantumcunque te humilies, quantmncumque reputes minorem quàm sis: hoc est, quàm te veritas habeat. Est autem grande malum horrendúmque periculum, si vel modicè plus verò extollas, si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem veritas tibi indicat, aut etiam superiorem. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. En quantum malum venit de ignorantia nostri, vtique peccatum diaboli & initium omnis peccati superbia.

Volo

Super cat. serm. 36.

Volo proinde animam scire seipsam, quod id postulat ratio, & vtilitatis & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus, primum est nobis vtilitatis bonum. quia talis scientia non inflat, sed humiliat: & est quædam præparatio ad ædificādum: Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest. Porrò ad se humiliandum nihil anima inuenire veracius seu accommodacius potest, quàm si se in veritate inuenerit: tantum non dissimulet, non sit in spiritu eius dolus, ne si se à se auerterit, abducatur. Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus erumnosam, procliuē ad vitia, inualidam ad virtutes? Vnde huic iam extollentia oculorum: vnde leuare caput? Ergo de sui cognitione mater salutis humilitas oritur.

De inui

De *inuidia*.

CAP. III.

TVmore pessimo, liuore proprio, qua si quodam velamine, ne sublimiora prospiciar inuidus præpeditur. Ad illorum quos superiores habere dolet, modo quidem felicitatem, modo gloriam, modo vtranque simul contabescens. Quis enim tam grauis pruritus oculi quàm inuidia? Nec verò aliis liuor inuidus, quàm qui aliena gloria & felicitate torquentur. Miseria enim (vt aiunt) inuidia caret. Nosse cupis oculum venenatum, nequā oculum, oculum fascinantem? Inuidiam cogita. Quid verò inuidere, nisi malum videre est? Si non esset ille inuidus, nunquam inuida mors intrasset in orbem terrarum. Væ misero homini, quòd inuidū non præuidit. Superemus hoc vitium, dum adhuc viuimus: si post mortem volumus ministrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum inuido aspiciat oculo. Nempe hoc ipsum iam quod in se est, tabe sua, illud inficere, & quodammodo interficere est. Qui hominem odit, homicidam illum vetitas ipsa testatur. Qui & ille qui bonum odit in homine, nunquid non homicida poterit appellari? Adhuc viuit homo, & iam

Inser. 5. de verbis Esa.

Inser. 13. super psal. Qui habi.

reus

reus est mortis eius. Adhuc ardet ignis, quem dominus Iesus misit in terrã, & qui inuidus est, tanquam qui spiritum extinxe rit iam damnatur. O quisquis es, qui saluti inuides alienę, parcito vel tuæ. Si enim vbi inuidia, ibi mors, profectò non potes simul & inuidere & viuere. Veruntamen mentientes nosmetipsos nobis, sentimus aliqui nostrũ pro nostrę imperfectionis ex periẽtia quã rara virtus sit, alienæ nõ inuidere virtuti: nedũ gaudere ad illam: nedum etiam tantò plus quã ad propriã quẽq; gratulari: quãtò perpendunt se in virtute supe ratũ. Adhuc modicũ lumẽ in nobis est, fratres, quotquot de nobis ita sentimus: ambulemus dum lucẽ habemus, ne tenebræ nos cõprehendant. Ambulare, proficere est. Et quomodo ais, estò, pficere possum, qui fratri proficienti inuideo? Si doles & inuides, sentis, sed nõ consentis. Passio est quãdoq; sanandi: nõ actio condẽnandi. Tantũ non illic resideas, iniquitatẽ meditans in cubili tuo: qualiter videlicet foueas morbũ, satisfacias pesti, persequaris insontem, bene ab illo gesta calũniando, deprimendo, peruertendo, atq; impediendo gerenda. Alioquin non nocet ambulanti & extendenti se ad meliora, quod iam non ipse operatur, sed quod habitat in eo peccatum.

In epist. ad Adam monachum.

De irac

De iracundia.

CAP. IIII.

IMmanis bestia draco est, flatu igneo, quicquid attingit, necat: non modo bestias terræ, sed & volucres cæli: haud alium ego draconẽ hunc quã iracundiæ spiritum reor: Quantos etiam sublimis vt videbantur vitæ, flatu huius draconis miserè satis adustos, turpiter in os ei' ingemimus cecidisse, quàm melius sibi ipsis irasci potuerant nec peccarent? Nimirum affectio naturalis ira hominum est: sed abutẽtibus bono naturæ grauis perditio, & miseranda pernicies. Occupemus illam fratres, in quibus expedit, ne fortè ad inutilia illicitáq; prorumpat. Sic nimirum solet amorem amor expungere, solet timor timore depelli. Dico vobis, non autem ego, sed dominus. Nolite irasci eis, qui transitoria vobis auferunt, qui conuitia inferunt, qui ingerunt fortè supplicia: & præter hæc faciunt nihil. Ostendam autem vobis, cui debeatis irasci. Irascimini ei quæ sola vobis nocere potest: sola facere vt omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit? Iniquitas propria: ita dico vobis, huic irascimini. Nulla enim nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui huic perfectè

Sup. psal. Qui habitat. ser. 13.

irasci

In epist. ad Guid. abb. de tribus fontibus.

irascitur, cæteris non mouetur. Irascere & noli peccare. Peccabis autem non minus nimis irascendo, quàm omnino non irascendo: siquidem non irasci, vbi irascẽdum sit, nolle emendare peccatum est. Plus verò irasci, quàm irascendum sit, peccatum peccato addere est: quòd si malum est peccatum non emendare, quomodo malum non erit augmentare? Nemo magis iram meretur, quàm amicũ simulans inimicus.

De *concupiscentia.*

CAP. V.

In quibus. sententijs.

MAximum planè delictum concupiscentia, quæ interiorẽ & exteriorẽ hominẽ occupat vniuersum. A plãta pedis vsq; ad verticẽ non est in me sanitas: totũ inficit cõcupiscẽtia. Lex peccati in omnibus mẽbris inuenitur: vndiq; per fenestras mors intrare cõtendit: & intus fomes toti' nequitię periculosius sæuit, crudelius malignatur. Quid enim ĩ homine purũ ab hac macula, immune ab hoc contagio potuerit inueniri? Mẽtẽ desideriis afficit, mẽbra illecebris inficit. Inde pruritus auriũ, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tã inordinata delectatio, inde in vniuerso corpore molliciei sensus &

& libido pernitiosa tangendi: inde intus in anima ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ contumeliæ, & omniũ deniq; vitiorũ affectibus accensa vehementer. Huic erga tam multifariæ pesti per singula quæq; resistere multiplex tribulatio. Vnde enim tribulatio, nisi dum resistitur, contaminationi concupiscẽtiæ repugnatur? Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus videtur habere, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentamenta vir iustus.

De *cupiditate.*

CAP. VI.

CVpiditas radix iniquitatis. Cupiditas ex cordis inedia, & obliuione procedit. Idcirco enim alienum mẽdicat anima, quòd oblita sit comedere panem suum: propterea terrenis inhiat, quòd minimè cælestia meditetur. Infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas, id est non felicitas vt putatur. Quid enim, si cui fortè videtur in terrenarũ rerũ affluentia, concupita felicitas arridere? Eo ipso infelicior est, quò vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatẽ, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab ea. Væ filiis hominum ab hac felicitate fallaci.

Super ps. qui habitat. ser. 6. Vbi supra sermo. 2.

In quibus sententijs. Et tamen quantam putas infelicitatẽ, hæc ipsa tam vana felicitas parit. Hinc nanque cæcitas cordis, hinc ceruicosus furor animositatis, hinc suspicionis labor anxius, hinc liuoris crudele tormentũ, & crementis inuidię miserior quàm miserabilior cruciatus. Diuitiarum amor insatiabilis, longè amplius desiderio torquet animã, quàm re frigeret vsu suo: vtpote quarum acquisitio

In quibus dã senten. laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur. Qui pecuniã diligit, non satiatur: qui mundum amat, nunquam sanatur. Nõ antè satiatur cor hominis auro, quàm corpus aura. Noui enim homines satiatos hoc mundo, & ad eius omnẽ memoriam nauseantes: & facile est cuiq; nostrum hãc satietatẽ per Dei gratiã obtinere. Neq; enim parit hanc copia, sed contemptus.

In ser. 21. Super cãt. Quod si ita est, nõ putent diuites huius seculi fratres Christi sola possidere cælestia: quia ea sola audiunt in promissione: possident & terrena: & quidẽ tanquã nihil habentes, sed omnia possidentes: non mendicantes vt miseri, sed vt domini possidẽtes: eò pro certo magis domini, quò minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum est. Totus planè, quia tam aduersa quàm prospera ipsius æquè omnia seruiunt ei, & cooperãtur in bonum. Ergo auarus

auarus terrena esurit vt mendicus: fidelis contẽnit vt dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo seruat. Si habere contingat argentũ & aurũ vtere non prohibitu, sed pro tẽpore. Sic eris vtẽs illis, quasi non vtens. Ipsa quidẽ quę ad animi bonum non spectãt: nec bona sunt nec mala. Vsus tamen horum bonus, abusio mala: solicitudo peior, quæstus turpior. Veruntamen nõ multum distat quæcunq; substantia: vilis vel pretiosa requiratur, dum æqualiter sit corruptus affectus. Non enim cultellus vitium est, sed cultelli appetitus: nec aurum vitium est, sed auri cupiditas.

In quodã sermone.

In medita tionibus.

De *insatiabili desiderio cordis humani.*

CAP VII.

p In libr. de diligendo Deum.

INest omni vtẽti ratione naturaliter sua æstimatione atq; intentione appetere potiora: & nulla re esse contentũ, cui quod deest, iudicet prę ferendũ. Neq; enim ponere est concupiscentiæ modũ, donec videatur impleta, donec adepta sit, quibus valeat esse contenta. Nam & qui (verbi gratia) vxorem habet speciosam, petulãti oculo vel animo respicit pulchriorem: & qui veste pretiosa indutus est, pretiosiorẽ affectat, & possidens multas diuitias inuidet

In quibus. sententijs. ditiori. Cæterum, nec amator pecuniæ dicit aliquando sufficit: nec libidinosus satiatur voluptate: sic & crudelis quisq; semper sanguinem sitit: & ambitiosus aut cupidus laudis humanæ, adeptis dignitatum titulis seu fauoribus, nullum exinde capit omnino remedium, sed desiderio æstuat ampliori. Minus autem inuenit requiem, qui sibi placere cupit & suis. Et horum omnium idcirco non est finis: quia nil in eis summũ singulariter reperitur vel optimum. Sed hoc stultum & extremæ dementiæ est ea semper appetere, quæ nunquam satiẽt, nec tẽperent appetitũ. Dũ quicquid taliũ habueris, nihilominus nõ habita concupiscas: & ad ea quæ defuerint, semper inquietus anheles. Ita enim fit, vt per varia & fallacia mundi oblectamẽta vagabũdus animus inani labore discurrens fatigetur, nõ satietur, dum quicquid famelicus inglutierit, parũ reputet ad id, quod supereſt deuorandũ: semperq; nõ minus anxiẽ cupiat quæ desunt, quã quæ adsunt lętè possideat.

In quibus. sententijs. Quis enim obtineat vniuersa? Quis est qui satiari cupiat, & desideriũ suũ impleri? Incipiat esurire iustitiã, & nõ poterit nõ satiari gustũ iustitiæ vel exiguũ studeat experiri: vt eo ipso desideret ampli⁹, & ampli⁹ meretur. Hoc enim magis cognatum spiritui & natur

naturalius desideriũ, vehemẽtius occupat cor humanũ, cęteraq; viriliter desideria pellit. Panis nanq; animæ iustitia est, & soli beati qui esurient illum: quoniam ipsi saturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis: cæteris omnibus occupari potest: repleri omnino non potest. Capacem Dei, quicquid Deo minus est, non implebit. Vnde est, quòd naturali quidem desiderio, summum quis probatur appetere bonum: nullam nisi adepto eo requiem habiturus. *In quibus dictis.*

De *ambitione*.

CAP. VIII.

AMbitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorũ origo, criminum fomes, virtutũ erugo, tinea sanctitatis, excęcatrix cordiũ, ex remediis morbos creans, generans ex medicina langorẽ. Quantos hæc pestis nequiter supplantatos turpiter deiecit, vt cæteri quiq; quos latuit occultus, effossor subitam expaueſcerẽt ad ruinam? In tertio libro de consideratione. Dum enim quiq; quæ nostra sunt, quærimus: sic vt inuicẽ inuidentes, inuicẽ prouocantes, exerceamur ad odia, animemur ad iniurias, armemur ad lites, cauillemus *Super illud qui habet. tat. ser. 6.*

ad dolos, feriamur ad detractiones, prorũpamus ad maledicta, opprimamur à fortio
In serm. 6. Sup. psal. qui habit. tribus, opprimamus infirmiores. Quid vero hunc vermen fouet aliud quàm mentis alienatio & obliuio veritatis? Nimirum veritas est, quæ sedula suggestione reducit in mentem, quàm sit in ambitu friuola consolatio, graue iudiciũ, vsus breuis, finis ignotus. O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestiũ inquietat, nil tamẽ apud miseros mortales celebrius negotiis eius. An nõ lumina apostolorũ plus iam ambitio quàm deuotio terit? An non quæstibus eius tota legum canonumq; disciplina infudat? Plena est ambitiosis ecclesia: non est iam quod horreat in studiis & mollitionibus ambitionis, non plus quàm spelunca latronis in spoliis viatorum. Tanta est impudentia nonnullorũ, vt cùm manifestæ ambitionis prurigine scateat tota facies causæ eorum, non erubescãt audientiam flagitare publicantes semetipsos ad multorum conscientias: in quo vel suæ sorte lius satis poterant confundi iudicio. Videre est omnem ecclesiasticum zelũ feruere sola pro dignitate tuenda: honori datur totum, sanctitati nihil aut parum. De placito Dei vltima mentio est: pro iactura salutis nulla

In 3. lib. de consider.

In 1. lib. de consider.

In 4. libr. de consid.

nulla cunctatio. Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendaciũ? Quid vobis, vbi tanta difficultas est, & tam grande periculum? Potestatis ambitio angelum felicitate priuauit angelica: scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliauit. Conetur quis montem ascendere potestatis, quãtos putas cõtradictores habebit, quantos inueniet repulsores, obstacula quanta, quàm difficilem viam? Sit tamen quàm paucí euadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Hinc est, quòd benefici vocantur, qui potestatem habent: potentibus siquidem omnes adulantur, inuidẽt omnes. Cupidus alter est inflantis scientiæ, quantum laborabit, quantum anxiabitur spiritus eius? Videas alium literarum, alium mundialis curæ, istum placitationũ displicentium Deo, illum seruilis cuiuslibet artis tàm vehementer affectare scientiam: vt laborem non reputet, tantummodo possit aliquibus doctior reputari. In amatitudine morabitur oculus eius, quoties videre contigerit: cui se posteriorem iudicet: aut putet ab aliis reputari. Quænam miseris tam dira libido? Sic ædificant Babel. Sic concupiscunt quod non expedit, quod expedit omittentes.

In 4. ser. de ascens. domini.

Quòd ambitio vult latere, non apparere.

CAP. IX.

In epist. ad episcopos Aquitan.

AMbitio mater hypocrisis: latebras amat & tenebras: lucis impatiēs est. Et certe ambitio cū prorūpit in impudētiā, efficaciā perdit, & cum improbus affectus se aperit, perit effectus. Ambitionis spurcū vitiū in imo latet, videt tamē omne sublime, sed videri ipsa refugit. Nec mirum. Optato nanq; necesse est careat, nisi caueat arbitros. Quò enim gloria plus affectatur, eò minus apprehenditur vbi deprehēditur affectari. Quid deniq; tam ingloriū, quàm gloriæ cupidum deprehendi? Inclitus erit ambitiosus quandiu in nocte versabitur, & donec turpis lucri negotiū perambulat in tenebris: poterit hypocrita iustus sanctúsq; videri: sed oculo qui videt in facie. At vbi fortè foras mittit impudētia vel imprudentia, quod latet in conscientia: nonne intemperans appetitus apparet ad confusionē procacior, quàm proprior ad gloriam? Sic re vera, sic probatur quod legitur. Gloria in cōfusione eorum qui terrena sapiunt. Non adeò periit pudor à mortalibus: vt nuda impudénsque, vel ab ipsis honoretur ambitio. Est sobria quędam & quodámodo occulta ambitio moliens cautè, etsi non castè. Si valet proficere, clam sua negotia curat: sin verò manet in se & pudoris vmbram non deserit. Equidem talis etsi Deum nondū metuit ad salutem, pro ingenita tamen verecundia honestatē interim retinet, quòd homines reueretur, & publicum erubescit.

De vanitate laudis humanæ.

CAP. X.

In epist. 3. ad Petrū diaconum cardinalē.

PVdet granditer exultare, cùm sentio in me venerari vel diligi: nō quidem quod sum, sed quod putor. Neque enim ego tūc diligor, quādo sic diligor: sed nescio qd in me pro me quod non sum ego, imò (vt verius loquar) nō nescio, nam certissimè scio, quòd nihil. Nihil enim procul dubio est, quicquid putatur esse, & nō est. Porrò, cùm amatur quod non est, sed esse putatur: non amor vel amans nihil est, sed quod amatur. Mirandū sed magis dolendū quàm mirandum: quòd id quod nihil est, amari potest. De vniuersali vanitate inest nobis, & velle laudari, cùm sumus vituperabiles: & nolle laudare quos scimus esse laudabiles. Sed & hoc vanū est, quòd nostra plerūque ignorātia & tacetur quod est, & prædicatur quod nō est. Quid ad ista dicemus, nisi quia vani filij hominū, mendaces filij hominū in sta-

teris, vt decipiãt ipsi de vanitate in idipsum Laudamur mendaciter, delectamur inaniter: vt & vani sint qui laudantur, & mendaces qui laudãt. Alij laudantur, & ficti sunt. Alij laudant quod putant. & falsi sunt. Alij vtrorunq; præconiis gloriãtur, & vani sunt.

In alia epistola. Non est quidem laudãdus homo in vita sua, quæ tentatio est super terram: nec ideo tamen laudandus nõ est cum mortuus peccato, viuit Deo. Vana quidem laus & sedu ctoria, qua laudatur peccator in desideriis animæ suæ: sed non idcirco prædicanda & multum commendanda nõ erit illius vita, qui potest dicere: viuo autem iamnon ego, viuit verò in me Christus. Cùm èrgo laudatur homo, in quo iam viuit, non ipse sed Christus: & nõ in sua laudatur, sed in Christi vita: ac per hoc non laudatur contra sententiam quæ prohibet hominem laudari in vita sua.

De ociositate.

CAP. XI.

In libro 2. de consideratione. OCiositas mater nugarum, nouerca virturum. Inter seculares nugæ sunt, in ore verò sacerdotis blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortasis, referẽdæ nunquàm Magis interueniendum cautæ, & prudẽter nugacitati. Prorumpendum sanè

sanè in serium quid quidam non modo vtiliter, sed libenter audiant, & super se deant ociosis. Nugis vel fabulis sacerdoti aperire os illicitũ: assuescere, sacrilegiũ est. Verbũ scurrile (quod faceti vrbanive nomine colorant) non sufficit peregrinari ab ore: procul & ab aure relegandum. Fœdè ad cachinnos moueris, fœdius moues. Euigila ad curam, & non otio torpeas. Etsi rectè sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cauendum & in otio otium est. Monstruosa res est, gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens autoritas, & nutans stabilitas. Tolle otium, exercitare in aliquibus: & statim senties sola appetere te quæ famem tollant non fauces demulceant: reddet quippe sapor rebus exercitium, quos tulit inertia. Multa quæ respuis otiosus, post laborem sumes cum desiderio. Siquidem otium parit fastidium: exercitium famem: fames autem miro modo dulcia reddit, quæ fastidium fecit insipida. Olus, faba, pultes, panisque cribrarius cum aqua, quiescenti quidẽ fastidio sunt: sed exercitato magnæ videntur delitiæ. Et quidem subito procedẽti de vmbra ad solem, de otio ad laborem,

In epist. 1. ad Robertum nepotem suum.

graue

graue cernitur omne quod incipit. Sed postquam ab his dissuescere & ad illa se paulisper assuescere cœperit, vsus tollit difficultatem, inuenitque facile esse, quod impossibile antè putauit.

De propria voluntate.

CAP. XII.

In ser. 3. de resur. dom. qui incipit Sicut ī corporis medicinæ.

VOluntatem dico propriam quę nō est cōmunis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus non ad honorem Dei, nō ad vtilitatē fratrū, sed propter nosipsos facimus: non intendentes placere Deo, & prodesse fratrtbus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ est Deus. Hæc enim aduersus eum inimicitias exercēs est, & guerrā crudelissimam. Quid enim odit Deus, aut quid punit, prętter volūtatem propriā? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quē enim ignis ille desæuiet, nisi in propriā voluntatem? Etiā nunc cum frigus aut famē, aui aliquid tale patimur, quid læditur nisi volūtas propria? Quod si voluntariè sustinemus, iam ipsa volūtas cōmunis est: sed infirmitas quædam, & velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est: & in illo omnes pœnas sustinemus, donec penitus consumatur. Nam voluntas illa

illa propriè dicitur cui assentimus, & cui se liberum inclinat arbitriū. Hæc autem desideria & concupiscentiæ quæ inuitos tenēt, non voluntas, sed corruptio voluntatis est.

Quid valde detestabile vitium sit propria voluntas.

CAP. XIII.

GRande malum propria voluntas: qua fit vt bona tua bona nō sint. Etenim si in die ieiunij mei inueniatur volūtas mea, nō tale ieiunium eligit dominus: nec sapit illi ieiunium meum, quod non obediētiam sed vitium propriæ volūtatis sapit. Ego autem non solùm de ieiunio mdo, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuū: postremò de omni obseruātia monachi, vbi inuenitur voluntas sua in eo: & non obedientia magistri sui, idipsum sentio. Minimè prorsus obseruantias illas etsi bonas in se, tamē inter virtutes censuerim deputandas. Voluntatem quidem propriam dimittentes, nihil amittimus: imò & lucramur plurimum, cōmutantes illam in melius, vt communis fiat quæ propria fuit. Porrò, communis voluntas, charitas est. *Super cāt. sermo. 71.* *In serm. 2. de resurre ctiōe dom.*

Via peccatorum est propria volūtas, quæ est superbia: ex qua omnia mala sicut ex cō muni sunt bona. Vnde enim sunt scandala, *In quibus. sententijs.*

nisi

nisi quòd propria sequimur voluntate, & temere quod volumus in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi cõtingat aut impediri, continuò in impatientiam, in murmurationẽ. in scãdalum proni sumus? Porrò, voluntas propria quo fuore dominum maiestatis impugnet, audiant & timeant serui propriæ voluntatis. Primò nempe subtrahit semetipsam, & subducit eius dominationi, cui tanquam autori seruire debuerat, dum efficitur sua. Sed addit adhuc, & quod in se est: omnia quoque quę Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas: Nõne qui per vsuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur vniuersum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui sit in voluntate propria, posse vniuersus mundus sufficere. Ipsum autem & quod in ipsa est. Deum permit propria voluntas. Omnino enim vellet Deũ peccata sua aut vindicare nõ posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ (quantum in ipsa est) vult eum aut impotẽtem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malicia, quę Dei potentiam, iustitiam, sapientiam, perire desiderat. Hæc est

In ser. 3. de resurrect. domini.

est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sæuissima.

De proprio consilio.

CAP. XIIII.

IN corde duplex lepra est, propria voluntas & proprium cõsilium. Lepra vtraque nimis pessima. Lepra verò proprij consilij eò pernicioſior est, quò magis occulta: & quanto plus abundat, tantò sibi quisque sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo: ita vt nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi & magni in oculis suis: ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Et quæ maior superba, quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritũ Dei? Idololatriæ scelus est nõ acquiescere, & quasi peccatũ oriolandi. Eant nũc qui se faciunt religioſiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum ecce arioli & idolatræ facti sunt.

In ser. 3. de resurrect dom. qui incipit. Sicut in corporis medicinæ.

De

De tepiditate.

CAP. XV.

Inser. 5. de ascensio. Hodie sedenti.

PErnicioſa tepiditas: quia periculoſa eſt: quia moleſtiſsima eſt: plena miſeriæ & doloris: & inferno planè proxima, vmbra mortis iure cenſetur. Sanè inuenire eſt homines puſillanimes & remiſſos: deficientes ſub onere: virga & calcaribus indigentes: quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt: quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio: quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circunſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione: quos denique vt videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix diſciplina coërcet. Huiuſmodi autē ſi diu ita permanſerint ſub onere, aut opprimuntur, aut ſuccumbunt, aut quodá modo in inferno ſunt: vt nunquam ad plenum reſpicient in luce miſerationú domini, nec in libertatem ſpiritus, quæ ſola facit ugum ſuaue & onus leue. Inde autem tam pernicioſa tepiditas emanat: quia voluntas eorum nōdum purgata eſt, nec bonum ſic volunt ſicut nouerunt, à propria concupiſcentia abſtracti & illecti. Amant enim in carne ſua terrenas cōſolatiūculas, ſiue

Vbi ſuprà ſermo. 3.

ſiue in verbo, ſiue in ſigno, ſiue in facto, ſiue in aliquo alio: etſi hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde eſt, quòd raro affectiones ſuas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continuā ſed horaria eſt. Impleri autem viſitationibus domini anima, quæ his diſtractionibus ſubiacet, non poteſt: & quantò magis illis euacuabitur, tātò amplius iſtis implebitur: ſi multum, multum: ſi parum, parum: vel fortè ſi magis probas, nunquā iſte illis miſceri poterunt in æternum. Non enim ſpiritus & caro, ignis & tepiditas, in vno domicilio commorantur: præſertim cùm tepiditas ipſi domino ſoleat vomitum prouocare.

De puſillanimitate.

CAP. XVI.

DAmnādis & reprobis tribulatio parit puſillanimitatē, puſillanimitas perturbationē, perturbatio deſperationē, & illa interimit. Oportet autē puſillanimitatē & triſtitiā in omnibus, quæ agēda ſunt vel toleranda caueri: quòd hylarē datorem diligat Deus. Ne turbetur quis puſillanimitate ſpiritus: hoc enim quantum poteſt laborat aduerſari⁹ noſter: vt holocau

In epiſ. ad abb. ſancti Nic. Rem.

In quibuſ. ſententijs.

In. 3. de x

stum nostrum deuotionis pinguedine vacuetur: vt & minus acceptum sit Deo, & conscientia nostra in spiritali gaudio minus exhilaretur: sicque de pusillanimitate tolerantiæ, etiam conscientiæ pusillanimi-
In ser. 13. Sup. psal. Qui habi. tas generetur. Verè bestia, veræ rationis expers, qui tam pusillanimis est, vt solo timore cedat, qui futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non tælo se tu-
Super cãt. ser. 10. ba prosternitur. Duabus autẽ de causis mihi videtur animi ægritudo, & diffidentia solere contingere: aut de nouitate videlicet conuersionis, aut certè de conuersationis tempore: etiam si in conuersione longum tempus habuerit: vtrunque profecto deiicit & humiliat conscientiam & inquietam facit: dum siue pro tepore, siue pro tempore antiquas animi passiones necdum in se emortuas sentit: & necesse proinde habens resecandis intẽdere de cordis ortulo spinis iniquitatum, & vrticis cupiditatum, longius à se euagari non finitur. Quid enim? Qui laborat in gemitu suo, poterit ne simul in Dei laudibus exultare? Non est hoc pauperis & inopis, seu pusilli cordis. Quæ enim pusillanimis est, & modicę fidei mẽs, rei suæ familiaris tenuitate constringitur: nec valet præ inopia otiari ad vacandũ diuinis laudibus, seu his quæ laudes pariunt intuen

dis beneficiis. Et si quando certè conatur assurgere, confestim domesticarum necessitatum curis vrgẽtibus reuocatur ad sua, vt in se cõprimi propria egestate compellitur.

De curiositate.

CAP. XVII.

In quibus. dictis.

NEgligẽtia generat curiositatẽ. Dum enim per negligentiam terra cordis inculta spinas & tribulos germinat, quę in seipsa non inuenit requiem, foris cogitur euagari: si curiositas a corde eiicit, cõtra quã dimicat pietas. Pietas enim Dei cultus est, & in corde colitur, qui in corde cognoscitur habitare. Curiositas si nõ vincitur, generat experientiã mali: quia dũ animus euagatur per multa facilè inuenit vbi noxiam experiatur delectationẽ. Hanc impugnat scientia docens, quid tutum experiri sit, quid non. Si verò præualuerit experientia, generat concupiscentiã: vt transeat in affectum cordis. Cæterum spectacula vana, rogo quid corpori præstant, quídue animæ cõferre videntur? Nam nihil in homine, cui curiositas prosit inuenies. Friuola prorsus & inanis ac nugatoria cõsolatio & nescio qd illi durius imprecer, quã vt semper habeat quod requirit, qui iocũdę quie-

tis fugitans curiosa inquietudine delectatur. Effusus siquidem animus damna interiora nō sentit, quia nec intus est, sed in vētre forsitan aut sub ventre. Denique, & animus quorundam in patinis in loculis inuenitur. Quid verò mirum, si propriam minimè sentiat anima læsionem, quæ suiipsius oblita, & penitus absens sibi, in longinquā profecta est regionem? Erit aurem cùm in seipsam reuersa cognoscet, quàm crudeliter miseræ venationis obtentu euiscerauerit semetipsam. Erit autem hic reditus sine dubio, vel post mortem cum vniuersa quibus ad vagandum foras, & inutiliter sese occupandum in eam, quæ præterit huius mundi figuram, egredi consueuerat: hostia corporis clausa erunt: vt necessaria maneat in seipsa, cui nullus iam pateat exitus à seipsa. Quisquis enim ante obitum carnis nō redierit ad seipsum, in seipso maneat necesse est in æternum. Sed in quali seipso? Qualem sese fecerit in hac vita, talem inuenit exiens ab hac vita.

In quibus. senten.

De consuetudine praua.

CAP. XVIII.

In lib. 1. de considera.

NIl tā fixum animo, quod neglectū & tempore nō obsoleſcat. Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur

tur, & eo insanabile quo insensibile fit. Denique, dolor continuus & acerbus, diuturnus esse nō patitur: citum habiturus est exitum: aut sanitatem profecto aut insensibilitatem. Nā si aliunde non extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimuero citò, aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporē. Quid non inuertat consuetudo? Quid non assiduitate duretur? Quid nō vsui cedat? Quātis quod præ amaritudine prius exhorrebant, vsu ipso malæ cōsuetudinis in dulce conuersum est? Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis, si assuescas iudicabis nō adeò graue: paulò pòst & leue senties: paulò pòst etiā delectabit: ita paulatim in cordis duritiā itur, & ex illa in aduersionem.

De duritia cordis.

CAP. XIX.

QVid est cor durū? Solū est cor durum, quod semetipsum nō exhorret: quia nec sentit. Ipsum est, quod nec cōpunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouet precibus: minis nō cedit, flagellis indurat. Ingratū est ad beneficia, ad consilia infidū, ad iudicia sæuū: inuerecundū ad turpia, impauidū ad pericula, inhumanū ad humana, temerariū in di-

In lib. 1. de considera.

uina, præteritorum obliuiscens, præsentiũ negligens, futura nõ prouidens. Ipsum est cui præteritorũ præter solat iniurias nihil omnino non præterit: præsentium nihil nõ perit futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscẽdum prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Hebetati cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectũ auditui: ait quidam. Verum est: sed si nimia non fuerit. Nam si sit nimia, non planè intellectum dat, sed contemptum. Quantos enim videmus humiliatos sed non humiles, percussos sed non dolentes, curatos quidem à domino, sed nec ipsa curatione curatos? Hi sunt, qui sub sentibus esse delicias computant: dissimulantes peccata quæ actitant: lubricum in quo titubant tenebras quibus caligant: laqueos inter quos ambulant: locum afflictionis quem habitãt: corpus mortis quod gestant: iugum graue quod tolerant: grauiorem conscientiam quã occultant: grauissimam sententiam quam expectant. Proinde cauebo, quàm solicitè potero duritiam cordis. Cõsentiam aduersario meo, acquiescam iudici meo, cedam denique vrgenti aculeo, ne bis pungar. Quisquis enim

enim contra stimulum recalcitrat, duplo pungetur: parcetur autem ei qui senserit, & dederit locum irę.

De præsumptione & obstinatione.

CAP. XX.

VIæ dæmonũ, præsumptio & obstinatio. Fuge homo præsumptiões, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his maximè vitiis gaudet: in seipso expertus quàm difficilè possit ab hac tanta voragine respirare. Nolo autem ignorare vos fratres quonam modò descendatur, imò cadatur in illas. Primus enim gradus descensionis huius, dissimulatio est propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis: dum sibi parcẽs sibi blandiens, sibi persuadẽs: homo aliquid se esse cum nihil sit, iam se ipse seducit. Secũdus gradus, ignorantia sui. Vbi enim in primo gradu inutilia sibi exuerit perizomata filiorum, quid supereſt, nisi vt vulnera recta non videat, præsertim qui ad hoc solum texerit, ne videret? Ex hoc tandem fit: vt etiã alio reuelante vulnera non esse contendat: conuersus in verba maliciæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Atq; is quidẽ tertius gradus est cõtiguus præsũptioni. Quid

Sup. psal. qui habit. sermo. 11.

enim male actitare iam vereatur: qui prę-
mit & defensare? Itaque quartus gradus vel
quartum potius præcipitium, contemptus
est. Ex hoc & deinceps magis ac magis su-
per eum vrget puteus os suum, dum videli
cet animam eiusmodi contẽptus tradit im-
pœnitentiæ: impœnitentia obstinatione fir
matur. Hoc iam peccatum, quod neque in
hoc seculo remittitur, neq; in futuro: quia
cor durum & induratũ, nec Deum timet,
In ser. 1. de aduentu. nec hominem reueretur. Qui sic in omni-
bus viis suis adhæret diabolo: manifestè fa
ctus est spiritus vnus cum eo. Nam perseue
rare in malo, diabolicum est. Et digni sunt
perire quicunque in similitudinẽ eius per-
In quibus. sententijs. manẽt in peccato. An vero grauior vlla præ
In ser. 13. sup. psalm. Qui habi. nesis iudicatur, quàm impœnitẽtia cordis,
& peccandi obstinata voluntas? Obstinatio
siquidem est summa quædã religionis sub-
uersio, & verè venenum insanabile. Quid
ad obstinatum incantantis vox, quid sermo
faciat prædicantis? Quicquid moneas, ait
ille. Ego quod possum, possum: & non vltra
quàm possum. Quæ est obstinationis cau-
da? Finis intentionis humanæ, dum hinc
quidem propriè quisque inhæret volũtati,
In ser. 11. super psal. Qui habi. inde finem aliquem meditatur: & figit ani-
mo quod desiderat adipisci. Vnde verò in
præsumptione, nisi ex quodã impetu vehe-
mentis

mentis desiderij prosilimus. Inde enim cor *In. 2. serm. de ieiunio.*
dis duritia. Inde enim obstinatio, quia mẽ-
ditatur quis nõ legem domini, sed propriã
voluntatẽ. Iude tam mordax & amarus ser *In ser. 13.*
mo inuenitur in ore hominis obstinati: *super psal.*
quòd nulla ad eum penetrare queat beni- *Qui habi.*
uolentia monitoris. In ser. de euangelio:
Misereor super turbam. Nequissima pla-
nè & pernicioſissima pestis: quoniam vni-
uersos vnius obstinatio turbat, & fit omni-
bus discordiæ fomes materia scandalorum.

De gulæ luxuria.

CAP. XXI.

VOluptas gutturis quæ tanti hodie *In quibus. sentent.*
æstimatur, vix duorũ obtinet latitu-
dinem digitorũ: & huius tam modicæ par-
tis, tam exigua delectatio, quanta paratur
solicitudine: quantam deinde molestiã pa-
rit? Hinc monstruosius dilatantur renes &
humeri. Hinc tumentes vteri, non tam im-
prægnãtur à ruina: & dum carnis onus ossa
non sustinent, etiam morbi varij generan-
tur. Sic libidinis illecebrosa vorago, quãtis
laboribus & dispendiis interdum & famæ
vel honoris, aut etiam vitæ ipsius periculo
comparatur? Cuius appetitus anxietatis &
vecordiæ, actus abominationis & igno-

miniæ, exitus pœnitudinis & verecundiæ plenus esse dinoscitur. Ardor libidinis pro aliqua praua occasione excitatur: & nisi ilico respuatur & expuatur, subdito totũ corpus occupat & æstuat, vrit & incendit. Primò carnem tactam modicũ titillat: deinde delectatione turpi mentem maculat: ad extremum per consensum prauitatis sibi mentem subiugat. Caro supra modum venatrix est deliciarum, quæ licere putat & expedire, quicquid illud sit, quod eam delectare possit. Gula & libido voluptati carnis deseruiũt. Aër terra, mare, gulositati vix sufficiunt: propter hoc contingit pauperes spoliari: & rapinas fieri: vt fames pauperum transeat in delicias diuitum. Filij hominũ vsquequo graui corde, quia pingui corpore: vt quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illa relinquetis. Hic caro vermibus: illic anima ignibus deputatur: donec rursus in felici collegio colligati tormentis pœnalibus socientur, qui socij fuerũt in vitiis. O delicate, qui deliciis & diuitiis circunfusus atque confusus confusionem expectas & mortem. Non est regnum Dei esca & potus: non purpura & byssus: quia diues ille vtroque circũfluus, in

In medita.

In quibus sint.

in puncto ad inferna descẽdit. Quid ad hęc dicitis vos gulosi & luxuriosi, quorũ Deus venter est, quorum omnis vsus, aut in ventre aut sub ventre est: qui in luxuriis enutristis corda vestra & corpora vestra? Audite audite: quia esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet. Calix dæmoniorum superbia est: detractio & inuidia: crapula & ebrietas. Quæ cùm impleuerint vel mentem, vel ventrem, Christus non inuenit locum. Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non compatiuntur. Vbi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel & fauum, menti propinare non dignatur. Vbi curiosa ciborum diuersitas pascit ventrem, cælestis panis ieiunam deserit mentem.

In epistol. ad Fulcone lingo.

De *detractione.*

CAP. XXII.

PEssima vulpis occultꝰ detractor: sed non minus nequam adulator blandus: cauebit sapiens ab his. Porrò detrahere, an detrahentem audire, quid horũ dãnabilius sit, non facilè dixerim. Sic quippe mors intrat per feneſtras noſtras, cum prurien

Super cãt. sermo. 63.

Super cã. sermo. 24.

pruriẽtes auribus & oribus lethale poculũ detractionis inuicem nobis ministrare cõtendimus. Non veniat anima mea in consilio detrahẽtium: quoniam Deus odit eos. Nec mirum, cùm id præcipuè vitium charitatem, quæ Deus est (& quidem cæteris acrius) impugnare & persequi cognoscatur: quemadmodum vos potestis aduertere. Omnis qui detrahit, primùm quidem prodit seipsum vacuum charitate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is cui detrahitur veniat in odium, vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatẽ in omnibus, qui se audiunt lingua maledica: & (quantum in se est) necat funditus & extinguit. Non solùm aũt, sed & in absentibus vniuersis ad quos volans verbum fortè per eos, qui præsentes sunt peruenire contigerit. Vides quàm facilè & in breui ingentem multitudinem animarũ velociter currens sermo tabe huius malitiæ inficere possit. Vnus est qui loquitur, & vnum tantum verbum profert: & tamen illud vnum verbũ vno in momento multitudinis audientiũ dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle liuoris amarum per linguæ instrumentũ sparge re nisi amara nõ potest. Amittũt vitã detractores, Deo odibiles, odibiles vitæ: fugit vita

In quibus sentent.

vita quos odit: & quos fugit vita, mori necesse est. An non & ipse moritur, qui venenum bibit: quod ei maledica detractoris lingua propinat? Siquidem furrim ei dilectionis vita subtrahitur: & dum nescit paulatim in eo fraterna charitas refrigescit. Auditurus est forsitan ipse quoq;, cui detrahitur: vndiq; enim verba volant, & multorum prius ora pertransiens difficilè fieri potest, quin in singulorũ creuerit linguas: & quasi iam prouectus sermo referatur ad eũ, ad cuius spectat offensam. Itaq; scandalizabitur audiẽs & tabescet: eóq; facilius extinguetur in eo charitas, quo amplius ante viuere videbatur. Si inimicus (ait) meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Et quidẽ cauet sibi prudẽs auditor cauet & ipse si nõ desipit: qui sibi nouerit esse detractum: ille ne veneno inficiatur: iste ne scandalo perturbetur: sed (quod in se est) tamen lingua maledica & illius percutiens cõscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter vtrunq; perimit. Nuuquid nõ vipera est lingua ista? Ferocissima planè. Nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Nunquid non lancea est lingua ista? Profecto etiam acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Gladius equidem anceps, imò & triceps lingua est detractoris.

De

De *hypocrisi*.

CAP. XXIII.

In serm in capite ieiu nij, cuius institū est Hodie dilectissimi.

HYpocrita singularia magis & inusitata sectatur: vt propriæ flagrantiã opinionis respergat. Cuius affectio elongatur à Christo, & vanis fauoribus delectat. Cuius mens non proprię testimonio conscientiæ, sed adulationibus demulcet. Tristitia hypocritarum nõ in corde, sed in facie est. Exterminant enim facies suas, vt appareãt ieiunantes. Hi oues sunt habitu, astu vulpes, actu & credulitate lupi. Hi sunt qui boni videri non esse, mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt. Etenim semper minus malitia palã nocuit nec vnquã bonus, nisi boni simulatione deceptus. Ita ergo in malũ bonorũ, boni apparere student: mali nolunt vt plus liceat malignari. Neq; enim est apud eos virtutes colere, sed colorare vitia quodam quasi virtutum nimio. Serpit hodie putrida tabes hypocrisis per omne corpus ecclesię: & quò latius, eò desperatius, eóq; periculosi', quò interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem eiiciet, aut à quo abcõdet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes

Super cãt. sermo. 66.

Super cãt. sermo. 33.

omnes necessarij & omnes aduersarij: omnes pacifici & domestici, & nulli pacifici omnes Christiani, & omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Olim prædictum est, & nũc tempus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum: amarior post in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, nõ fugere eos potes: ita inualuerunt & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga ecclesiæ. Et ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto à falsis filiis. Vox plangentis in tempore isto: filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerũt me. Spreuerunt & maculauerunt me à turpi vita, à turpi questu, à turpi commercio.

De *instabilitate cordis*.

CAP. XXIIII.

NIhil est in me corde meo fugacius: quod quotiens me deserit, & per prauas cogitationes defluit, totiens Deum offendit. Cor meũ cor vanum, vagum & inscrutabile: dũ suo ducitur arbitrio, diuino

In libr. de medita.

caret

caret consilio. In semetipso non potest consistere, sed omni mobili mobilius per infinita distrahitur: & hac illácq; per innumera discurrit: & dum per diuersa requiē quęrit non inuenit: sed in labore miserum à requie vacuum manet: sibi non concordat à se dissonat: à se resilit: voluntates alternat: consilia mutat: ædificat noua: destruit vetera: destructa reędificat. Eadémq; iterum alio & alio modo mutat & ordinat: quia vult & non vult: & nunquam in eodem statu permanet. Sicut enim molendinū velociter voluitur, & nihil respuit: sed quicquid imponitur, molit: si autem nihil apponitur, seipsum cōsumit: sic cor meum semper est in motu, & nūquam requiescit: sed siue dormiā siue vigilem, somniat & cogitat quicquid illi occurrit. Et sicut molendinū, arena si imponatur, exterminat, pix inquinat; palea occupat: sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Ita cor meum dum futurum non curat gaudium, nec diuinum quærit auxiliū: ab amore cęlestium elōgatur, & in amore terrestriū occupatur. Cúmque illabitur ab illis, & inuoluitur in istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia

cundia, cruciat tristitia: sicq; miseris casibus submergitur omnibus vitiis: quoniam vnum Deum qui ei sufficere poterat, dimisit: per multa dispergitur: & huc illúcque quęrit vbi quiescere possit: & nihil inuenit quod ei sufficiat: donec ad ipsum redeat: à cogitatione in cogitationem ducitur: & per varias affectiones variatur, vt saltem varietate ipsarum rerū impleatur, quarum qualitate satiari non potest: sic labitur cordis miseria, substracta diuina gratia. Cūq; ad se reuertitur & discutit quid cogitauit, nil reperit: quia non opus fuit, sed cogitatio quæ componit multa de nihilo. Sic denique sic decipit imaginatio, quam dęmonum format illusio.

De *leuioribus peccatis.*

CAP. XXV.

IVstus iudex Deus, non modò quid fiat, sed & quo animo fiat, considerat. Ne quis ergo parua reputet, quātumliber parua, si sciēter delinquere cōuincatur. Nemo dicat in corde suo, leuia sunt ista: non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus minimísq; peccatis. Hæc enim est impœnitentia. Hæc blasphemia in spiritum sanctum, blasphemia irremisibilis. Eradicari tamen aut extir-

In ser. 1. de cōuers. san. Pauli.

pari à cordibus nostris, omnino non poterit malitia, donec in mundo fuerimus.

Super cãt. ermo. 68. Quantumlibet profeceris, erras: si vitia putas mortua. Velis nolis, intra fines tuos habitabit Iebuseus. Subiugari potest, sed non

In ser. 6. de aduent. exterminari. Peccatum quod est morbus animæ, & corruptio mentis, auferri non poterit, donec liberemur à corpore. Reprimi quidem debet & potest per gratiam Dei, vt non regnet in nobis, sed nõ eiicitur, nisi in morte, quando sic decerpimur, vt anima separetur à corpore. Affectiones enim animæ dum in hoc pulùere gradimur, ex toto

In cœnã do. ser. 1. mundæ esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati aut curiositati, plus quàm oportet, cedat animus, vel ad horam. In multis enim offendimus omnes: veruntamen nemo contemnat aut paruipendat: impossibile est enim cum eis saluari: impossibile est dilui, nisi per Christum & à Christo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse solicitos: ignoscet facilè, imò & libenter, si modò nos agnoscamus. In huiusmodi nanq; quasi ineuitabilibus, & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus: quia nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Iesu, cõ cupiscentię sensus absque consensu. Et hæc gratia nobis confertur, vt non nobis concupiscentia noceat,

ceat, si tamen à consensu abstineamus. Tamen ad humiliandos nos, ipsam concupiscentiam adhuc patitur viuere in nobis, & grauiter affligere nos, vt sentiamus, quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus. Sic & de minoribus istis peccatis, pia dispensatione agitur: vt non penitus auferantur, sed in illis erudiat nos Deus: & cùm minima cauere non possumus, certi simus, quòd non nostris viribus maiora superemus: sempérque timorati & omnino soliciti simus, quomodo eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.

De *contentione vitiorum.*

CAP. XXVI.

QVid si eorum laborem & dolorem *De colloq. Simonis et Iesu.* considereres, qui variis seruiunt vitiis morum? Erit profectò inuenire iam homines, qui multò magis in labore hominum non sunt, sed longè amplius aliena ab homine flagella sustineant. Cõtendunt ambitio & elatio cordis: altera nidum, altera foueam parat, volare altera iubet: reppere monet altera, cùm neutrum profectò sit hominis. Quis enim es tu (ait hæc) quis

verò ille vel ille est, aut quæ domus patris eorũ vt eis si aliquo cedas, vt reuereatis eos vt eis aliquatenꝰ blãdiaris? At bonus sermo bonũ inuenit locũ, ait ambitio, & interdũ quoq; qui prodesse non potest, põt obesse. Dissimula primũ, vinũ pone, donec veniat hora tua. Auaritia quoq; & appetitꝰ laudis sibi inuicẽ aduersantur: & quod hæc cõgregat, hic dispergit. Nec minus cõtraria sunt, quæ simulatio & pusillanimitas suggerunt impudentiæ impatientiæq; clamoribus: & vtraq;, labor & dolor, & afflictio spiritus sunt. An nõ sæpe gula aliud exigit, ad aliud pruritus auriũ vocat? Sic & odoratus & tactus diuersa interdũ imperãt, forsitan & aduersa, dũ vterq; sibi cõmunẽ gestit præripere seruum, & trahit quenq; sua voluptas.

De *desperatione.*

CAP. XXVII.

Super cãt. serm. 37. OMnis peccati cõsummationẽ parit desperatio: de Dei ignorãtia venit desperatio. Si nos Dei ignorãtia tenet quomodo speramus in eũ, quẽ ignoramus? Scimꝰ aũt desperatis partẽ nõ esse vel societatẽ in sorte sanctorũ. Sed quonã modo Dei ignorãtia desperationẽ parturit, dicamꝰ. Fortè aliquis reuersus in se, & displicẽs sibi in omnibꝰ malis quę fecit, cogitãsq; resipiscere

Vbi supra. sermo. 38.

resipiscere & redire ab omni via mala, & carnali conuersatione sua, si ignorat quàm bonus sit Deus, quã suauis & mitis, & quã multus ad ignoscendũ, nonne sua carnalis cogitatio arguet eũ & dicet: quid facis? & vitam istam vis perdere & futurã? peccata tua maxima sunt, & nimiũ multa, nequaquã pro tot & tantis, nec si te excories, sufficis satisfacere: cõplexio tenera est: vita extitit delicata: cõsuetudinẽ difficilè vinces. Pro his & similibus desperatus resilit miser ignorãs, quàm facilè omnipotẽtis bonitas (quæ neminẽ vult perire) cuncta ista dissolueret: sequitúrq; impœnitẽtia, quæ est delictũ maximũ, & blasphemia irremissibilis. Ipse verò aut cõturbatus nimia tristitia absorbetur, & fertur in profundũ: minimè iã vt cõsolationẽ recipiat, emersurꝰ: aut certè dissimulans, & sibi qualiscunq; verisimili blãdiẽs ratione: reuocat se irreuocabiliter ad seculũ, ad perfruendũ, ad deficiendũ in omnibus bonis eius quod licuerit. Cùm autem dixerit pax & securitas, tunc subitaneus superueniet ei interitus tanquã in vtero habenti, & nõ effugiet. Ita ergo de ignorantia Dei vniuersæ malitiæ consummatio venit, quæ est desperatio. Apostolus dicit, quòd ignorantiã Dei quidam habent. Ego autem dico, omnes ignorare Deũ, qui no-

lunt conuerti ad eum. Neq; enim ob aliud proculdubio renuũt, nisi quia grauẽ & seuerum imaginãtur, qui pius est: durũ & implacabilẽ, qui misericors est: ferum & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi, idolũ pro eo quod non est ipse.

De miserià hominis.

CAP. XXVIII.

In lib. 2. de cõsiderat. COnsulo consideres, maximè quid es: hominẽ videlicet ꝙ & natus es. Nec modò quid natus, sed & qualis natus, attendas. Nudè nudum consideres: quia nudus egressus es de vtero matris tuæ. Consideranti quid sis, occurret tibi homo nudus: & pauper & miser, & miserabilis: homo dolẽs quòd homo sit: erubescens quòd nudus sit: plorans quòd natus sit: murmurãs quòd sit homo natus ad laborẽ nõ ad honorẽ: homo natus de muliere: & ob hoc cũ reatu, breui viuens tempore: ideoq; cum metu, repletus multis miseriis: & propterea cum fletu. Et verè multis & multiplicibus, quia miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis dum dormit, miseriis dum vigilat: miseriis quaquã versum se vertat. Quid enim calamitate vacat nascenti in peccato, fragili corpore, & mẽte sterili? Verè ergo repletꝰ, cui

cui infirmitas corporis & fatuitas cordis cumulatur traducæ sordis: mortis addictione.

In quibusdã sentẽ. Nemo quippe ex omnibus filiis Adæ sine labore hîc viuit: nemo sine dolore: homo (inquit) natus ad laborem. Nam ad doloré natum se dubitet, qui natus non est in dolore. Sed dolorem parturientis clamor, dolorem prolis fletus indicat, & vagitus: labor in actionibus, dolor in passionibus est. Est qui declinat aliquos, sed incidit proculdubio grauiores. In labore (inquit) hominum non sunt, & cum hominibus nõ flagellabuntur. Non tamen continuò sine labore sunt, aut minimè flagellantur. Denique propterea (inquit) tenuit eos superbia: grauis equidem labor: operti sunt iniquitate & impietate sua: grauibꝰ planè flagellis. Sudat siquidem pauper in opere fortis, sed nunquid minus anxiè diues intus in ipsa sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione. aperit ille in ructatione: & interdum grauius ille fastidio, quàm iste inedia cruciatur. Postremò velint nolint homines, & faciunt & patiuntur quod prouidentia summa disponit.

In serm. de pass. dom. Alioquin vnde graue iugum super omnes & totos filios Adam: idq; à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium? In sordibus

generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres: in exitu more vipereo laceramus: mirum quòd non ipsi pariter lacerarmur. Primam vocē plorationis edimus: merito quidem vtpote vallem plorationis ingressi. Vbi malitiæ plurimum, sapiētiæ modicum: vbi viscosa omnia, omnia lubrica: operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: vbi peticlitantur animæ: vbi spiritus affliguntur, ibi tantum vanitas & afflictio spiritus est. Quid non graue miseris, quibus & viuere labor est: quibus & quod pauci videntur aduertere, sentire penitus nemo? Ipse quoque sensualitatis vsus inuenitur oneri, adeò vt nequeat sustineri, nisi alterna requie foueamur. Non in nobis libera ratio, sed vndique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis, visco quidam captiua tenetur: & à summis indigna repellitur: vt neque ab his sine dolore possit auelli, neq; ad illa sine magno gemitu, vel rarò queat admitti.

De ascensione ser. 5.

In 2. ser. de Ixu.

De vilitate conditionis humanæ.

CAP. XXIX.

In meditationibus.

ANima insignita Dei imagine, decorata similitudine, despōsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cū angelis,

gelis, capax beatitudinis hæres bonitatis, rationis particeps. Quid tibi cum carne, vnde ista pateris? Propter carnē aliena peccata tibi imputantur, & tuæ iustitiæ quasi pannus menstruatæ reputātur: atque tuipsa ad nihilū es redacta, & quasi inane reputata. Nihil aliud est caro, cum qua tibi tanta societas, nisi spuma caro facta fragili vestita decore. Sed erit, quòd erit cadauer miserum, & putridum, & cibus vermium. Nam quantūcunque excolatur, semper caro est. Si diligēter cōsideres quid per os & nares, ceteróque corporis meatus egrediatur, vilius sterquiliniū nunquam vidisti. Si singulas eius miserias enumerare velis, quàm sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens cō cupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper ad malum, & in omne vitium procliuis, plenam omni confusione & ignominia inuenies. Propter carnem homo vanitati similis factus est: quia ex illa concupiscentiæ vitium trahit, quo captiuus tenetur & incuruatur: vt diligat vanitatem, & iniquitatem operetur. Attende homo, quid fuisti ante ortum: & quid es ab ortu, vsque ad occasum: atque quid eris post hanc vitam: profectò fuisti quod non eras: postea de vili materia in vilissimo panno inuolutus menstruali sanguine in

vtero materno fuisti nutritus. Tunica fuit pellis secundina: sic indutus & ornatus venisti ad nos, nec memores quàm sit vilis origo tui forma, fauor populi: feruor iuuenilis, opésque sutripuère tibi, noscere quid sit homo. Nihil enim aliud est homo, quàm sperma fœtidum, saccus sterçorũ, & cibus vermium. Post hominem vermis, post vermen fœtor & horror. Sic in non hominem vertitur omnis homo. Cur ergo superbis, non attendés quòd fuisti vile semen, & sanguis coagulatus in vtero: deinde miseriis huius vitæ expositus & peccato: postea vermis & cibus vermium factus in tumulo? Quid superbis puluis & cinis, cuius conceptus culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia? Cur carnem tuam preciosis rebus impinguas & adornas, quam post paucos dies vermes deoraturi sunt in sepulchro: animam verò tuam non ornas bonis operibus, quæ Deo & angelis eius præsentanda est in cælis? Quare animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominã ancillari, & ancillã dominari, magna abusio est. Totus si quidẽ iste mundus ad vnius animæ pretium æstimari non potest. Non enim Deus animam suam pro toto mundo dare voluit, quam pro humana anima dedit. Sublimius est ergo animæ pretiũ, quæ non

non nisi sanguine Christi redimi potuit. Vnde ergo hæc tanta pusillanimitas, & abiectio tam miserabilis, vt egregia creatura capax æternæ beatitudinis & glorię magni Dei, vtpote cuius sit inspiratione condita, similitudine insignita, cruore redẽpta, fide dotata, spiritu adoptata: miseram non erubescat, sub putredine hac corporeorum sen suum gerere seruitutem. Insanus planè labor omittere curam cordis, & curam carnis agere in desiderio, impinguare & fouere cadauer putridũ, quod paulò pòst vermiũ esca futurum nullatenus dubitatur.

De *breuitate præsentis vitæ.*

CAP. XXX.

VEtè breue est omnino tẽpus. Infelix proinde, qui in huius vitæ lubrico fidens perituram insumit operam, nec aduertit quoniam vapor est, & ad modicũ parẽs & vanitas vanitatum. Vera omnino sententia: quoniã tentatio est vita hominis super terram. Siquidem fallax est, nec simpliciter fallere cõsueuit. Vtenim multipliciter illudat hominibus, mutat faciem, mutat vocem: modò ait, modò negat nec erubescit. De ipsa quãtitate sua diuersis diuersa loquitur: imò & eidem diuerso tempore, cõtraria *In quibusdã dictis.*

ria quoq; suggerit & aduersa. Modò enim breuẽ se esse causatur, modò simulat longiorem. Dum peccare delectat adhuc, gemit altius pro breuitate sua. nec breuitas falsa, sed gemitus fallax: quòd id memoret cum mœrore, vnde magis oportuerat gratulari. Siquidem ipsa vitæ memoria, breuioris remedium magis quàm incentiuum debuerat esse peccati.

In meditationibus. per diuersa loca.

Cur ergo vitam istam tanto tempore desideramus, in qua quãtò amplius viuimus, tantò plus peccamus: quãtò est vita lõgior, tantò culpa maior? Quotidie nanque crescunt mala, & subtrahuntur bona. Assiduè variatur homo per prospera & aduersa, & ignorat quando moriatur. Sicut enim stella in cælo coruscans velociter currit, & repente deficit: & sicut scintilla ignis subitò extinguitur & in cinerem redigitur: sic citò finitam datur istam cernere vitã. Dum enim libenter ac iocundissimè moratur homo in hoc mundo, diúque se victurum arbitratur, ac multa longo tempore disponit agenda, subitò rapitur in morte: & ex improuiso aufertur à corpore. Dies enim hominis sicut vmbra super terram: & tunc prope est, nihil cum stare videtur. Cur ergo thesaurizat in terra, cùm sine dilatione transeat: & illud quod colligitur, & ipse qui colligit? Et tu homo,

homo, quem fructum spectas in mundo, cuius fructus ruina est, cuius finis mors est? Vtinam saperes & intelligeres, ac nouissima prouideres. Dic mihi vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt, vel quid fuerunt. Homines fuerunt sicut tu. Comederunt & biberunt, riserunt, duxerunt in nobis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus: & illic ignibus anima deputatur, donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis inuoluantur incendiis, qui socij fuerunt in vitiis. Vna nanque pœna implicat, quos vnus amor in crimine ligat. Quid profuit illis inanis gloria, breuis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ diuitiæ, magna familia, & mala concupiscentia? Vbi risus, vbi iocus, vbi iactantia, vbi arrogantia? De tanta lætitia, quanta tristitia? post tantam voluptatem tam grauis miseria. De illa exultatione ceciderũt in grandem ruinam, & magna tormenta. Quicquid illis accidit, tibi accidere potest: quia homo es: homo de humo, limus de limo. De terra es, & de terra viuis, & in terrã reuerteris: quando veniet dies vltima, quæ subito veniet, & forsitan hodie erit.

De

De vita vitiosa.

CAP. XXXI.

In quibus. sentent. NOn est via lata via. Rectitudo quippe ad viam, latitudo ad planiciem pertinet: solitudo in via, lata est via: & vbi nulla est via, totum est via. Sic est vita exposita vitiis, latissimos habens hincinde terminos: quia nullos terminos habens. Ipsa est spacioſa via, cuius latitudinis spatium, nullis clauditur metis, vbi nec lex est nec præuaricatio. Nec vita sanè dicenda est: quia nimirum soli viuitur morti. At qualis vita, *Super cāt. sermo. 81.* in qua satius foret non nasci, quàm non ab ea mori? Mors potius est: & ideo grauior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peccatorum pessima. Ita ergo quæ secundum carnē viuit anima, viuens mortua est: *In quibus. sentent.* quippe qui bonum erat omnino nō viuere, quàm sic viuere. Expedit enim ei qui semper anima moritur, vt citius corpore moiatur. Magis autem ei bonum erat, si natus non fuisset homo ille. Vera animæ vita *Sermo. 10. super psal. Qui habi.* Deus est: inter hęc solū separat peccatum. Quod sua quidem anima animam priuat, quod separat inter se & Deū vt coregnante tanquam corpus sine anima: sic sit anima sine Deo, planè mortua in semetipsa. Non viuit, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus: quoniam non est hoc viuere, sed vitam cōfundere & appropinquare vsq; ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto & malapati, & bona facere. Dicitur vulgò, quia qui bene se pascit, bene viuit: sed mentita est iniquitas sibi: quia non bene viuit, nisi qui bonum facit.

De morte corporali.

CAP. XXXII.

Super cāt. serm. 74. Super ps. Qui habi. sermo. 10. QVid mors, nisi priuatio vitæ? Vnde enim nisi ex separatione animę & corporis mors procedit? Inde est, quòd mortuum corpus exanime nominatur. Vnde autē separatio hæc, nisi ex flagellis præsentibus, ex qualibet doloris vehemētia, ex ipsius corporis corruptione, ex pœna peccati? Merito proinde timet & odit flagellum caro nostra: quo nimirū ab ipsius animæ tam delectabili honorabilisque consortio, amarum nimis diuortium patiatur.

In quibus. sentent. Quid verò in rebus humanis certius morte: quid hora mortis incertius inuenitur? Non misereturin opiam, non diuitias reueretur, non generi cuiuslibet, nō moribus, non

non ipsi denique parcet ætati, nisi quòd senibus quidem in ianuis, adolescentibus autem in insidiis est. Veniet quidem mors, sed somnus erit dilectio domini: erit ianua vitæ, erit initium refrigerij, erit sancti illius montis scala & ingressus in locum tabernaculi admirabiliss quod fixit Deus & non homo. Iustus mortem etsi cauet, tamen non pauet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & iustus sed securè: quippe cuius mors vt præsentis est exitus vitę, ita introitus melioris. Bona mors iusti, propter requiem: melior propter nouitatem: optima propter securitatem. Contrà, mors peccatorum pessima, Mala siquidem in amissione mundi, prior in separatione carnis, pessima in vermis igniscq; duplici contritione.

In quibus. dictis.

In epist. ad Romanũ, Romanæ curia subdiaconum.

Studeamus fratres viuere vita iustorum, sed morte eorũ mori multò magis desideremus. Sapientia enim iustorum nouissima præfert: ibi nos iudicans vbi inuenerit. Omnino necesse est vitæ præsentis finem, futuræ cohærere principio: nec ibi tolerabilis dissimilitudo, quantũlibet enim spiritualis extiterit cõuersatio, si carnalis fuerat consummatio nostra: vitæ illi spirituali penitus non cohæret.

In festo apostolorũ Petri & Pauli sermo. 2.

Do

De horrore iudicij.

CAP. XXXIII.

QVid tam pauendum, quid tam plenũ anxietatis & vehementissimæ solicitudinis excogitari potest, quàm iudicandum adstare illi tam terrifico tribunali: & incertam adhuc sub tam districto iudice expectare sententiam? In quibusdam dictis. Vbi iudex teste non indiget. vbi veritas discutit intentiones: vbi inquisitio culparum pertingit ad abdita cordis? Vbi denique secretissimos recessus mentium diuinus ille inuestigat intuitus, & ad subitum illum solis flugorem animarum expansi sinus, cuncta siue bona siue mala euomunt quæ cælabant: ibi facientes & cõsẽscientes pari pœna punientur: ibi fures & socij furum similem sunt exceptur sententiam: ibi par subibunt iudicium: & qui lactãt & qui lactantur peccatorum. Vnde veniet qui malè iudicata reiudicabit: illicite iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus. Veniet inquam, veniet' dies iudicij, vbi plus valebũt pura corda quàm afluta verba: & conscientia bona quàm marsupia plena, quando quidem iudex ille non falletur verbis, nec flectetur donis. Verẽdum valde, cùm ad hoc ventum fuerit: ne in tam subtili examine,

Superpsa. Qui hab. sermon. 8.

In epist. ad Robertũ monachũ.

Super cãt. sermo. 55.

multæ noſtræ iuſtitiæ (vt putantur) pecca ta appareant. Vnũ eſt tamen, ſi noſmetipſos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur. Bonum iudicium quod me illic diſtricto di uinóque iudicio ſubducit & abſcondit. Volo vultui iræ iudicatus præſentari, nõ iudicãdus. Erit enim tunc nõ miſericordiæ ſed judicij tẽpus: nec vlla omnino credenda eſt erga inpios futura illic miſeratio vbi nulla ſperanda eſt correptio. Iudicemur interim fratres, & terribilem illam expectationem ſtudeamus præſenti declinare iudicio. Qucuinque enim iudicati diſſimulant eo iudicio, quod nunc eſt, in quo princeps huius mundi eiicietur foras, iudicem expectent, vel magis timeant à quo cum ipſo principe ſuo foris eiicientur & ipſi. Attamen prius benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum ignis deiiciãtur æterni: quo videlicet acrius doleant videntes quid amiſerint. Hoc planè grauè eis tormentum, & magnus quidem cumulus malorum erit. Sic iuſti quoque videbunt & lætabuntur, conſiderantes quid euaſerint. In illa ergo tanta ſeparatione erit electis conſideratio reproborum, immenſa quædam materia gratiarum actionis & laudis. Non ſolum autem ſed & ſecuritas perfecta iuſtorum erit viſa retributio peccatorum: qua videlicet

Super pſa. Qui hab. ſermo. 8.

De aduẽ. dominiſe. 4.

Superpſa. Qui habi. ſermo. 8.

delicet nec humanam aliquando, nec diabolicam vltra vereri malitiam poſſint.

De pœnis inferni.

CAP. XXXIIII.

QVi ſputas tunc mœror erit: quis luctus quæ triſtitia, cùm ſeparabuntur impij à conſortio iuſtorum, & à viſione Dei, & traditi in poteſtate dæmonum: ibunt cum ipſis in ignem æternum: ibíque erunt ſine fine in luctu & gemitu. Procul quippe exiliati à beati paradiſi patria cruciabuntur in gehenna perpetua nunquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi ſed milia milium in inferno cruciandi nec vnquam inde liberãdi, vbi nec qui troquet fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur. Sic enim ignis conſumit ibi, vt ſempe reſeruet: ſic tormenta aguntur, vt ſemper renouẽtur. Iuxta verò qualitatem culpæ, pœnam ſuſtinebit vnuſquiſque gehennæ, & ſimilis culpæ rei, ſuis ſimilibus iungẽtur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur, niſi fletus & planctus, gemitus & vlulatus: mœrores atque ſtridores dentium. Nihilque ibi videbitur, niſi vermes & larnales faci s tortorum, atque teterrima monſtra dæmoniorum. Vermes crudeles mordebunt intima cordis. Hinc dolor, inde pauor, gemitus, ſtupor &

In medi.

dolor horrens. Ardebũt miseri in igne eterno, & in æternũ, & vltra. In carne cruciabuntur per ignẽ. In spiritu, per cõsciẽtiæ vermẽ. Ibi erit dolor intolerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis & animæ sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, vt semper viuant: & sic viuent, vt semper moriantur. Horrendum gehennæ supplicium, in quo sunt tenebræ exteriores, vbi nulla cõfessio, vnde nemini datur exire. Cruciatus illos & tormẽta nullus terminus finit, nullus animus sufficit cogitare. O quàm malè mali omnes locati sunt. Videntur vt confundantur, & nõ videntur ne consolentur. A quo vel à quibus videntur? Ab omni videtẽ, vt pro multitudine intuẽtium, fit confusio multa. Atque nullus de tanta numerositate spectantium molestior oculus cuiusque suo. Non est aspectus siue in cælo, siue in terra: quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ, vel seipsas se vident quæ aliud non vident: Opera tenebrarum sequuntur illas. Non est quo se abscondant ab illis. Hic est vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel iniectus vel potius humatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps auellendus. Nec cessat rodere conscientiam cáque

In quod dã sermo.

In quibus sententiis.

In 5. li. de consídera.

cáque pastus esca vtique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc secunda mors quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Vbi nimirũ peccati ipsius & carnis quodammodo similis videbitur esse conditio, vt quemadmodum culpa semper puniri poterit, nec vnquam poterit expiari: sic nec in corpore aliquando tormenta finiri, nec corpus ipsum exinaniri valeat in tormentis. Merito quidem vltio sempiterna desæuiet, quod nunquam posit culpa deleri: nec substantia carnis deficiet, ne similis cognatur etiam afflictio carnis terminari. Hęc fratres mei qui pauet, cauet: qui negligit, incidit.

In quibus sententiis.

Libri sexti finis.

CAPITVLA LIBRI SEPTIMI.

De ascensione & descensione domini 1
De descensione & ascensione nostra 2
De duplici morte hominis. 3

De morte & vita Christi. 4
Quòd Christus quia homo fuit, mori potuit: quia iustus, mors eius nos liberauit 5
De infirmitate & maiestate Christi. 6
De duobus considerandis in opere nostræ redemptionis 7
De duobus rebus quæ consolantur ecclesiam præsentem 8
De duplici dilectione, spiritali & carnali. 9
De vita & sensu animæ 10
De duobus gradibus in vita spiritus 11
De duabus alis animarum 12
De duabus operationibus ser. domini. 13
De duplici lingua Dei & animæ 14
De vigore & languore amoris 15
De duplici charitate actuali & affectuali 16
Quòd alius sit ordo charitatis actualis, alius effectualis 17
De duplici humilitate 18
De humilitate & humiliatione 19
De intellectu & affectu 20
De cognitione & amore 21
De meditatione & oratione 22
De duplici confessione. 23
De duabus speciebus superbiæ 24
De duabus speciebus humilitatis 25
De duobus quibus sibi causa contemptor humanæ laudis 26
De duobus, in consiliis necessariis 27
De duobus in quæ diuiditur monasterialis obseruatio 28
De duobus in monasteriis obseruandis 29
De autoritate præcipientium, & qualitate præceptorum 30
De neglectu & contemptu mãdatorum 31
De gemina specie vitiorum 32
De veteri & nouo homine 33
De duplici timore 34
De duabus filiabus ignorantiæ 35
De duplici malo, innato & seminato 36
De duplici corruptione animæ scilicet & corporis 37
De duplici malicia diaboli 38
De duplici scientia mala 39
De duabus sanguisugæ filiabus 40
De duobus generibus hostium nobis aduersantium 41
De duobus lateribus scalæ 42
Quòd duobus modis debet vnusquisque irreprehensibilem se exhibere coram Deo & hominibus 43
De duplici conuersione, scilicet exteriori, & interiori 44
Quòd duobus modis à corde vita procedit 45
De vitiis & virtutibus pariter confligentibus 46

De voluntate & opere. 47
De timore & iustificatione 48
De duplici abysso 49
De gemino argumento amoris Dei erga nos 50
De duplici cõsilio, bonorũ scilicet & malorũ 51
De profectu & defectu 52
De duplici consideratione sui 53
De duplici pudore 54
De lege & gratia 55
De duplici genere præceptorum 56
De duplici ira Dei. 57
De duobus diebus 58
Quod ob duplicem causam, nobis Deus ministrat temporalia 59
De prosperitate & aduersitate 60
De gemina vnitate bonorum 61
De duplici generatione 62
De fide & specie 93
De duobus quæ in intentione necessaria sunt 64
De gratia & libero arbitrio 65
De voluntario consensu & naturali appetitu 66
Quid habeamus ex gratia, quid ex libero arbitrio 67
De præsentia nostra cum Deo, & peregrinatione nostra ab ipso 68
De virtute & sapientia 69

De

De actiua vita & contemplatiua 70
De duobus generibus parcadi spiritalis matrimonio. 71
De duplici excessu 72
De duplici promissione Dei 73
De duplici sessione corporis, scilicet & animæ in futuro 74
De gaudio domini & expectatione animarum sanctarum 75
De duplici glutino, quo sibi cohærent beati spiritus in cælo 76

LIBER SEPTIMVS

De ascensione & descensione domini.

CAP. I.

In quibus sententiis.

DOminus noster Iesus Christus volens nos docere, quomodo in cælum ascenderemus, fecit ipse quod docuit: ascendit in cælum. Et quoniam ascendere non poterat, nisi prius descendisset, descendere autem eum vel ascendere non patiebatur diuinitatis suæ simplicitas: quippe

quę nec minui potest nec augeri: aut aliquo modo variari: assumpsit in vnitate suæ personæ naturā nostrā, id est, humanam: in qua descēderet & ascenderet, viámque nobis, qua & nos ascenderemus, ostenderet. Manens itaque, quod erat in natura sua, descendit & ascendit propter nos in nostra: attingens nimirum à fine vsque ad finem fortiter: & disponens omnia suauiter. Descendit siquidem, quo inferius non decuit. Ascēdit, quo celsius non potuit. Ipsumque descensum egit fortiter: quia virtus erat. Ascensum disposuit suauiter: quia sapientia erat. Sunt autem gradus in descendēdo, sunt & in ascendēdo. In descendendo primus quidem gradus est à summo cælo vsque ad carnem, secundus vsque ad crucem: tertius vsque ad mortem. Ecce quousque descēdit. Vidimus descensum videamus & ascensum. Sed & ille quoque triplex est. Et eius primus gradus, gloria resurrectionis: secundus potestas iudicij: tertius consessus ad dexteram patris. Et de morte quidem meruit resurrectionem: de cruce iudicis potestatem: vt quoniam in illa iniustè iudicatus est, de illa iustam obtineret iudicis cēsuram. Ipsam verò serui formam, id est carnem in qua passus est resuscitatam euexit super omnes cælos, & super omnes angelorū choros vsq; ad

ad dexteram patris. Quid hac dispositione suauius, vbi mors absorbetur in victoria, vbi ignominia crucis vertitur in gloriam, vbi & ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transit ad patrem? Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil gloriosius dici potest, aut excogitari. Sic per incarnationis suæ mysterium descendit & ascendit dominus, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.

De descensione & ascensione nostra.

CAP. II.

DEscendamus per viam humilitatis: Ponatúrque nobis primus gradus eius, id est, primus profectus, nolle dominari: secundus velle subiici: tertius in ipsa subiectione quaslibet contumelias & iniurias ilatas æquanimiter pati. Diabolus & homo vterque ascendere præposterè voluit: hic ad scientiam, ille ad potentiam, ambo ad superbiam. Non sic ascendere velimus. Primus gradus ascendendi est innocentia operis? secundus mundicie cordis: tertius fructus ædificationis, quos gradus mirò modo inuenimus in superioribus gradibus descēsionis. Ibi quippe fuerat tertius gradus, tolerantia iniuriarum. Ipsa est quæ probat huius ascensionis præmium, id est, inno

In quibus dā ampl.

innocentiam operis. Ibi secundus fuerat patientia subiectionis, & ipsam operatur mundicia cordis, quę est secundus gradus ascensionis. Ad hoc enim doctores prælatos habemus, vt cor mundemus. Ibi etiam primus gradus fuerat contemptus dominationis: hic tertius est fructus ædificationis. Quisquis autē dominari non appetit, is profecto fructuosè præest cæteris instituendis.

De duplici morte hominis.

CAP. III.

PEccatum præcesit, vt sequeretur mors: quod sanè si cauisset homo mortē non gustasset inæternum. Peccando itaq; vitam amisit, & mortem inuenit. Quoniam quidem & Deus ita prædixerat, & iustum profecto erat, vt si peccaret homo, moreretur. Quid nanq; iustius poterat, quàm recipere talionem? Vita siquidē animæ Deus est, ipsa corporis. Peccando voluntariè volens, perdidit viuere: nolens, perdat & viuificare. Sponte repulit vitā, cùm noluit viuere: non valeat eā dare, cui vel quatenus voluerit. Noluit regi à Deo, non valeat regere corpus. Si non paret superiori, cui inferiori imperet? Inuenit conditor suam sibi rebellem creaturam, inueniet anima suā sibi rebellem pedissequam. Non potuit diuidi à

In libr. de lau. denuæ militiæ, ca. 11.

Deo anima, nisi peccādo, nec corpus ab ipsa nisi moriendo. Nil profecto congruentius, quàm vt mors operata sit mortē, spiritalis corporalē, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam. Cùm ergo hac gemina morte secundum naturam, vtraque fuisset dānatus homo: altera quidem spiritali & voluntaria: altera corporali & necessāria. Vtrique Deus homo vna sua corporali ac voluntaria benignè & potenter occurrit. Illáque vna sua nostram vtranque damnauit: merito quidem: nam ex duabus mortibus nostris cum altera nobis in culpæ meritum: altera in pœnæ debitum reputaretur suscipiens pœnam, & nesciens culpam dum sponte & tantum in corpore moritur, & vitam nobis & iustitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non soluisset. Si non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem si (vt dictum est) mortis meritum est peccatum, & peccati debitum mors:

Christo remittente peccatum & moriente pro peccatoribus, profectò iam nullum est meritum, & solutum est debitum.

De

De morte & vitæ Christi.

CAP. IIII.

In eodem. vbi supra c. 10.

AMplius quid mouet ad pietatẽ mortis Christi, quàm vitæ recordatio? Puto, quod illa austerior, hæc dulcior videatur: magisque infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quàm labor conuersationis: mortis securitas, quàm vitæ rectitudo. Vita Christi viuendi mihi regula extitit: mors à morte redemptio. Illa vitam instruxit: mortem ista destruxit: vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa: vtraque verò admodũ necessaria. Quid enim Christo prodesse poterat, siue mors nequiter viuenti, siue vita damnabiliter morienti? Nunquid denique aut mors Christi etiam nunc malè vsque ad mortem viuentis à morte æterna liberat, aut mortuos ante Christum sanctos patres vitę sanctitas liberauit? Nunc ergo quia vtrunque nobis necessariũ erat & piè viuere & securè mori: viuendo viuere docuit, & mortem moriendo securam reddidit. Quandoquidem resurrecturus occubuit, & spem fecit morientibus resurgendi.

Quòd

Quòd Christus, quia homo fuit, mori potuit, quia iustus, mors eius, nos liberare potuit.

CAP. V.

VNde confidimus, quòd Christus mortem abstulit? Hinc planè quòd eam ipse qui non meruit, pertulit. Qui enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iam soluit, qui peccati meritum tulit, suam nobis donando iustitiam. Ipse mortis debitum soluit, & reddidit vitam. Sic nanque mortua morte reuertitur vita: quemadmodum ablato peccato rediit iustitia. Porrò, mors in Christi morte fugatur & Christi nobis iustitia imputatur. Verum quomodo mori potuit, qui Deus erat? Quoniam nimirum & homo erat. Sed quo pacto mors illius hominis pro altero valuit: quia & iustus erat? Profectò nanque cùm homo esset, mori potuit: cùm iustus, debuit nõ gratis. Non quidem peccator mortis sufficit soluere debitum pro altero peccatore: cùm quisque moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet, nunquid pro alio frustra debet? Quantò sanè indignius moritur, qui mortem non meruit, tanto is iustius pro quo moritur, viuit. Sed quæ inquis, *vbi supra c. 11.*

quis, iustitia est, vt innocens pro impio moriatur? Nonest iustitia, sed misericordia. Si iustitia esset, iam non gratis, sed ex debito moreretur. Si ex debito quidem ipse moreretur, is pro quo moreretur, non viueret. Atverò si iustitia non est, non tamen contra iustitiam est. Alioquin & iustus & misericors simul esse non posset. Christus igitur & mori potuit, cùm sit homo: & mortis moriendo soluere debitum: quia iustus.

De *infirmitate & maiestate Christi.* CAP. VI.

Vbisuprà. TOtum nobis de Christo valuit, totum salutiferum, totúmque necessariũ fuit nec minus profuit infirmitas, quam & maiestas. Quia etsi ex diuinitatis potentia peccati iugum iubendo summouit, ex carnis tamen infirmitate mortis iura concussit moriendo. Sed & illa eius iustia per quam ei placuit saluũ facere mundum, vt mundi confutaret sapientiã, & confudaret sapientes, quòd videlicet cùm in forma Dei esset Deo æqualis, semeipsum exinaniuit formã serui accipiens: quod cũ diues esset, propter nos egenus factus est: de magno paruus: de excelso humilis: infirmus de potente: quod esurit, quòd sitit, quòd fatigatus est in itinere

itinere: & cætera quæ passus est voluntariè non necessitate. Hæc igitur quædam ipsius stultitia, nonne fuit nobis via prudentiæ, iustitiæ forma, sanctitatis exemplum? Mors igitur à morte, vita ab errore, à peccato gratia liberauit. Et quidem mors per iustitiam suam peregit victoriam: quia iustus persoluendo quæ non rapuit, iure omnino quod amiserat, recepit. Vita verò quantum ad se pertinuit, per sapientiam adimpleuit: quæ nobis vitæ & disciplinæ exemplum & documentum ac speculum extitit. Porrò, gratia ex potestate peccata remisit: quia omnia quæcunque voluit, fecit. Mors itaq; Christi mors est meę mortis: quia ille mortuus est, vt ego viuerẽ. Quo pacto enim iam non viuat, prius qui moritur vita? Si ergo lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit nos à lege peccati & mortis, vt quid adhuc morimur, & non statim immortalitate vestimur? Sanè vt Dei veritas impleatur, quia enim misericordiam & veritatem diligit Deus, necesse est quidem mori hominem, quippe quod prædixerat Deus, sed à morte tamen resurgere ne obliuiscatur misereri Deus. Ita ergo mors etsi non perpetuò dominatur, manet tamen propter veritatem Dei, vel ad tempus in nobis.

C

De duobus considerandis in opere nostræ redemptionis.

CAP. VII.

Super cãt sermo. 11 QVoniam bona quæ largiri mortalibus non cessat misericors & miserator dominus, recolere & recolligere omnia omni homini impossibile est. In salutem quod præcipuum est & maximum opus, videlicet nostræ redemptionis à memoria redemptorum aliquatenꝰ non recedat. Id quo opere, duo potissimum indicare curabo. Duo illa sunt modus & fructus. Modus siquidem Dei exinanitio est: fructus verò de illo nostri repletio, hoc meditari sanctæ spei seminarium est. Illud summi amoris incentiuum. Vtrunq; profectibus nostris necessarium est, ne aut spes mercennaria sit, si amorem non comitetur, aut amor tepescat, si infructuosus putetur. Porrò, fructꝰ quem expectamus à Deo, non erit nisi ex Deo. Erit inquit Deus omnia in omnibus. Vt de corpore taceam, in anima tria intueor, rationem, voluntatem, memoriam. Et hæc tria ipsam animã esse. Quantum cuiq; horum in præsenti seculo desit de integritate sua & perfectione sua sentit omnis, qui ambulat in spiritu. Quare hoc? Nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est, quòd

quòd ratio sæpissimè in iudiciis fallitur: volũtas perturbatione iactatur: & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est non volens. In spe tamen: nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis: ipse volũtati multitudo pacis: ipse memoriæ continuatio æternitatis: vt sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem: volũtate pacem imperturbabilẽ consequente: memoria fonti indificienti æternaliter inhærente. Hæc de redemptionis fructu. In modo quoque, quem Dei esse exinanitionem diffinimus, tria item præcipuè intuenda commendo. Non enim simplex aut modica illa exinanitio fuit, sed semetipsum exinaniuit vsq; ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis dignè pensẽt, quantæ fuerit humilitatis, mãsuetudinis, dignationis dominum maiestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis. Non valuit opus suũ reparare creator absq; ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sui, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commonerétque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus deuotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo

creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo autoris grauamine vel labore. Si quidem dixit & factus sum, quẽ admodum & vniuersa. Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat: vnde amoris causam habere debuerat. Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo pro te ô homo dispendium fecit. De domino seruus, de diuite pauper, caro de verbo, & de Dei filio, hominis fieri filius non despexit. Memento iam te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. Apuero per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit sustinens carnis necessitates, hostis tentationes. Nonne sibi aggrauauit crucis ignominiam, & mortis cumulauit horrorem?

De duabus rebus, quæ consolantur Ecclesiam præsentem.

CAP. VIII.

Super cãt. serm, 62.

ECclesiam tẽpore & loco peregrationis suæ duæ res cõsolantur. De præterito quidẽ memoria passionis Christi: de futuro autẽ quòd se in sortẽ sanctorũ cogitat & con

& confidit recipiendam. Ambo hæc, veluti antè & retrò, oculata insatiabili desiderio contuetur: & vterque illi intuitus admodum gratus, & vterque est illi refugium à tribulatione malorum & dolore. Integra consolatio, cùm non solùm quid sibi expectandum, sed & vnde sit præsumendum noverit expectatio læta: nec dubia quæ Christi morte firmata est. Cur pauet ad præmij magnitudinem, quæ pretij dignitatem consideraat? quàm libens mente inuisit foramina, per quæ sibi sacro sancti sanguinis pretium fluxit. Quàm libens perambulat diuersoria, & mansiones quæ sunt in domo patris multæ atque diuersæ: in quibus habet collocare filios suos, pro quorũcunque diuersitate meritorũ. Et nũc quidem quòd solum interim potest, sola in his memoria requiescit: cæleste habitaculũ quod de sursum est, iam animo induens. Erit autem cùm implebit ruinas: cùm cauernas & corpore inhabitabit & mente: cùm vacua domicilia quæ antiqui reliquerant habitatores, ipsa suæ vniuersitatis illustrabit præsentia: felici de cætero perfectione sua atque integritate gaudente.

De duplici dilectione spirituali, & carnali.

CAP. IX.

Super cāt. serm. 75.

VErè & propriè ad solam pertinet animam illa dilectio, qua aliquid spiritaliter diligit, verbi gratia, Deum, angelum, animam, sed etiā diligere iustitiam, veritatem, pietatem, sapientiam, virtutésq; alias huiusmodi. Nam cū secūdū carnē quippiā diligit, vel potius appetit anima, verbi gratia, cibū, vestimentū, dominiū, & quæ istiusmodi sunt, corporalia siue terrena, carnis potius quàm animæ amor dicendus est.

De vita & sensu animæ.

CAP. X.

In quibus dā senten.

MAgna est, & nimirum & inexcusabilis negligentia nostra, qui cogitationibus otiosis vacantes tempus amittimus, quibus nimirum nec penetrandæ nubes, nec maria tranfrætanda, vt salubres inueniamus cogitationes, sed infinitas in nobismetipsis vtilium cogitationum occasiones, & seminaria possumus inuenire. Denique si tam inerudita & negligens fuerit anima, vt nec interiora sua sufficiat perscrutari, attendat ea quæ foris agit palam, & in

& in manifesto: & in ipsis quoq; si diligenter quæsierit, inueniet sapiētiā. Ecce enim consideres ô anima, quid impendas corpori tuo, & inuenies sine dubio, quòd vitā ei sensúmque ministras: & vitam quidem toto in corpore inuenies vni formem: verbi gratia. Neq; enim aliter viuit oculus quàm articulus: sensus verò non ita. Quære ergo, vt tibi quoq; anima tua, quæ est Deus tuus, similia largiatur. Neque enim viuere dicenda est anima, quæ veritatis nō habet cognitionē, sed adhuc mortua est in semetipsa: quemadmodum & ea sine sensu, que necdum habet dilectionem. Est ergo animæ vita veritas: sēsus, charitas, Nec mireris, quòd interdum animæ impiorum notitiā habent veritatis, quę tamen expertes sunt charitatis: quando & in corporibus nonnullis vitā reperies sine sensu: vt sunt arbores, cæteráque similia animata quidem: sed animatione & non anima: quemadmodum & animæ iniquorū veritatis habēt notitiam naturali ratione, quę tamen interdum adiuuatur à gratia, cùm nullatenus sanè animetur ab ea. In his autem quibus & cognitionē veritatis & dilectionem anima spiritualis infundit, nō exteriore quolibet modo, sed tanquam anima ipsorū, cui adhærens vnus spiritus fiunt cum ea. In his inquam, indiuisa est cognitio

veritatis, secundum quo dictum est de vita corporis. Eadē enim cognitione & minima & maxima comprehendis. Porrò dilectionem quidem, si diligenter aduertas, etiam fortassè secúdum quinque corporis sensus, quinque partitā poteris inuenire. Est enim amor pius, quo parētes diligimus: est amor iocundus, quo socios diligimus: est & erga omnes homines amor iust': erga inimicos amor violentus: erga Deum sanctus siue deuotus. In his omnibus, si diligenter attendis, propriam erga singulos, & omnino diuersum ab aliis modum inuenies.

De duobus gradibus in via spiritus.

CAP. XI.

In quibusdam dictis.

SVnt qui in carne ambulant, qui omnem solicitudinem in hoc ponant, quomodo molestias carnis euitent. Hi sunt qui licet virtutes probent, tamen dum molestias carnis omnino euitare volunt, concupiscentiis eius prauis nequeunt resistere. Talibus dicit apostolus, Spiritu ambulate, id est, solicitudinem vestram quomodo molestias carnis euitetis deponite. In hac via spirit' duo gradus sunt, superior & inferior. In inferiori gradu homo in suo spiritu ambulat: in

superiori gradu in spiritu Dei. In inferiori gradu ambulat homo, quando reuersus ad cor circa affectiones suas solicitus in se reprehendit quod virtuti contrariū esse cognoscit. In hoc gradu sacrificium Deo tribulati spiritus & cordis humiliati per compunctionem offert. De hoc gradu ad superiorem adscendens, incipit cogitare beneficia Dei: & conuersus ad gratiarum actiones offert Deo per deuotionem sacrificium laudis. In vtroque gradu videt Christum in primo crucifixum: in secundo gloria & honore coronatum.

De duabus alis animarum.

CAP. XII.

In quibusdam dictis

HAbent feruentes animæ alas, quibus volant: spem & timorem: quia volantis est aliquando alta petere, aliquādo ima. Per spem alta petunt: quia in cælestibus habitant. Per timorem ima: condescendendo enim infirmis instruunt eos: considerantes seipsos, ne & ipsi tententur. Sed quia his duobus modis offenditur, scilicet nimio rigore infirmos deiiciendo: ac nimia lænitate eorum vitiis cōsentiendo: contra nimium rigorem est consideratio propriæ fragilitatis: contra nimiam lænitatem zelus rectitudinis

De duabus operationibus sermonis Dei.

CAP. XIII.

Vbi supra SErmo Dei duo operari debet, animas vitiosas sanare, & bonas admonere, vitiosas dico, non omnes quibus inest vitiũ, sed quę vitio ex voluntate consentiunt, nec resistunt quantum possunt. Bonas dico animas nõ solùm perfectas, sed etiam insipientes, quæ licet vitiũ habeant, non tamen consentiunt sed repugnant. Sed tales animæ licet ex infirmitate vel ignorantia sæpe cadant, tamen per voluntatem quam habent bonam, resurgunt. Hæc est enim quæ bonam facit animã, quia cùm multa sint animæ bona naturaliter insita, sicut ingenium bonum, memoria capax, vigil ratio, & cætera animæ bona, sola tamen voluntas, si fuerit bona, bonam facit animam, si fuerit vitiosa, vitiosam. Sed quia sicut Iob ait, homo nũquam in eodem statu permanet, aut enim deficit, aut proficit, proficiendum est in hac voluntate, quia ipsa est via, de qua ait propheta. Hæc est via, ambulate in ea. Primus huius viæ gradus est recta volũtas, secũdus valida, tertius deuota, quartus plena voluntas. In primo gradu anima mente legi

legi Dei consentit: sed carne repugnãte, bonum perficere nõ inuenit: sed sæpe malum quod odit, per infirmitatem facit. In hoc tamen recta est eius volũtas: quòd aduersario suo consentiens in se odit, quod ille reprehendit. In secundo gradu anima non solùm malum quod odit, non agit, sed etiam bonum quod diligit: licet cum grauedine, fortiter tamen perficit. In tertio gradu iam dilatato corde, currit viam mãdatorum Dei, & delectatur in eis, sicut in omnibus diuitiis. In quarto gradu sunt angeli, qui ea facilitate qua semper volunt, bonum plenariè perficiũt. Hunc gradum desiderare quidem potest anima: ascendere non potest corpore ob hoc quòd corpore aggrauatur. Qui non dum rectã habet voluntatem, sciat quia impedit eum carnalis intentio. Qui habet rectam & nõ validam, sciat quia impedit eum praua cõsuetudo. Qui habet deuotã & non dum plenam, sciat quia impedit eum terrena inhabitatio. Cuius adhuc vitiosa voluntas est, oret & dicat: fiat voluntas tua sicut in cælo & in ter. se intelligens terram, illud autem qui rectam habet voluntatem cælum: quia quantum cælum distat à terra, tantum distat recta voluntas à vitiosa. Ita oret, qui rectam habet voluntatem, se intelligens: terram illum autem, qui in valida est,

est, cælum. Ita de cæteris, vt semper attendat anima proficere: quia sicut condemnatus est, qui in vitiosa permanet voluntate: ita reprehensibilis est, qui in aliis non studet proficere.

De duplici lingua Dei & animæ.

CAP. XIIII.

Super cãt. sermo. 45. SPiritus est verbum, spiritúsque anima: habéntque linguas suas, quibus se alter utrum alloquantur, præsentésque indicent. Et verbi quidem lingua fauor dignationis eius, animæ verò feruor deuotionis est. Elinguis est anima atque infans, quæ hanc non habet: & non potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum verbo: ergo huiuscemodi linguam suam cum verbo mouet: volénsque ad animam loqui, non potest anima non sentire. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & petrenabilior omni gladio ancipiti: pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Et rursum, cùm suam linguam anima mouet, verbum latere multò minus poterit: non solùm quia vbique est præsens, sed propter hoc magis, quod nisi ipso stimulante deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur. Verbo igitur dicere animæ pulchra es: & appellare amicã, infundere est vnde & amet: & se præsumat amari

amari. Ipsi verò verbum vicissim nominare dilectum & fateri pulchrum: quod amat & quod amatur, sine fictione & fraude aseri bere illi: & mirari dignationem, & stupere ad gratiam. Itaque locutio verbi, infusio doni, responsio animæ, cum gratiarũ actione admiratio.

De vigore & languore amoris.

CAP. XV.

Super cãt. sermo. 51. CVm præsto est, quod amatur, viget amor, languet cùm abest. Quod non est aliud, quàm tædiũ quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente, quem amat: dum totus in expectatione quantãlibet festinationem reputat tarditatem. Subtractio nempe rei quam amas, augmentatio desiderij est: & quod ardentius desideras, cares egrius.

De duplici charitate.

CAP. XVI.

Super cãt. sermo. 50. ESt charitas in actu, est & in affectu. Et de illa quidem quæ operis est, puto esse datam legem hominibus, mandatúmque formatum. Nam in affectu quis ita habeat, vt mãdatur? Ergo illa mãdatur ad meritum, ista in præmiũ datur. Cuius initium quidem

quidem profectúmque vitam quoque præsentem experiri diuina posse gratia nõ negamus, sed plané consummationẽ defendimus futuræ felicitati. Quomodo ergo ibenda fuit quę implenda nullo modo erat? Aut si placet tibi magis de affectuali datũ fuisse mandatũ non inde cõtendo: dummodo acquiescas & tu mihi: quod minimè in vita ista ab aliquo hominum possit vel potuerit adimpleri. Nec latuit præceptorẽ pręcepti pondus hominum vires excedere, sed iudicauit vtile ex hoc ipso sue illos insufficientiæ admonere: & vt sciret sanè ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit sed humiles: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mãdatum, & sentientes defectum, clamabimus in cælum, & miserebitur nostri Deus. Atque hoc dixerim, siquidem consenserimus affectualem legẽ fuisse mandatam. Sed actuali potius id conuenire inde vel maximè apparere videtur: quòd cùm dixisset dominus: diligite inimicos vestros: mox de operibus infert, benefacite his, qui oderunt vos. Superuacuè autem de opere monuisset, si in affectione iam fuisset

set dilectio. Neque hoc dico, vt sine affectione simus, & corde arido solas moueamus manus ad opera. Sed affectio est, quam caro gignit: & est quam ratio regit: & est quam condit sapientia. Prima est, quam apostolus legi Dei dicit non esse subiectam, nec esse posse. Secunda est, quam perhibet è regione consentientem legi Dei: quoniam bona est. Nec dubium distare à se cõtentiosam ei consentaneam. Longè verò tertia ab vtraq; distat, quæ & gustat & sapit, quoniam suauis est dominus: primam eliminans, secundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, sed turpis: secunda sicca, sed fortis: vltima pinguis & suauis est. Igitur per secundam operam fiunt, & in ipsa charitas sedet. Non illa affectualis quæ sale sapientię cõdita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis domini: sed quædam potius actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore suauiter reficit: ardore tamen amoris ipsius vehementer accendit.

Quòd sit alius ordo charitatis actualis, alius affectualis.

CAP. XVII.

ACtualis charitas inferiora præsertim affectualis superiora. Etenim in bene affecta mente non dubium verbi causa, quin *Super cãt. serm.* 50.

dilect

dilectioni hominis Dei dilectio præponatur: & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus: cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione sępe aut semper ordo oppositus inuenitur. Nam & circa proximi curam, & plus vrgemur & pluries occupamur: & infirmioribus fratribus diligentiori assistimus sedulitate, & paci terræ, magis quàm cæli gloriæ iure humanitatis: & ipsa necessitate intendimus, & temporaliũ in quietudine curarum vix aliquid sentire de ęternis permittimur, & languoribus nostri corporis postposita animæ cura, pœnæ cõtinuè in seruimus. Orantem deniq; hominem Deo loqui quis dubitet? Quotiens tamen charitate iubente inde abducimur & auellimur, propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela? Quotiens piè cedit negotio rum tumultibus pia quies? Quotiens pro administrandis terrenis iustissimè ipsis supersedemus celebrandis missarum solenniis? Ordo prępostерus, sed necessitas non habet legem. Agit ergo suum actualis charitas ordinem, iuxta patrissamilias iussionem: incipiens à nouissimis. Pia certè & iuxta quæ non sit acceptrix personarum, nec pretia consideret rerum: sed homi

à primis ipsa ducit ordinem. Est enim sapientia, per quam vtique res sapiunt quæque prout sunt, vt verbi gratia. Quæ pluris natura habet, pluris quoque ipsa affectio sentiat, minora minus, minima minimè. Et illum quidẽ ordinem charitatis veritas facit: hunc autem veritatis charitas vendicat sibi. Nam & vera in hoc est charitas, vt qui indigent amplius, accipiant prius: & rursum in eo chara apparet veritas, si ordinẽ teneamus affectu potius quàm illa ratione.

De *duplici humilitate.*

CAP. XVIII.

EST humilitas, quam nobis veritas pa *Super cãt.* rit, & non habet calorẽ. Et est humi- *serm.* 42. litas, quã charitas format & inflammat: atq; hæc quidẽ in affectu, illa in cognitione cõsistit. Etenim tu si temetipsum intus ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatiõe diiudices, nõ dubito, quin humilieris. Et tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitiõe tui, quamuis necdũ fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de operẽ interim veritatis & minimè adhuc de amoris infusione. Nã si veritatis ipsius quæ

te tibi veraciter atque salubriter demõstrauit, sicut splendore illuminatus ita affectus amore fuisses, voluisses proculdubio quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam: quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sanè quantum in te esse dixerim, quoniam plerunque non expedit innotescere omnibus omnia, quæ nos scimus de nobis: atq; ipsa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur palàm fieri velle, quod noceat agnoscenti. Alioquin si priuato amore tui tentus, detines, pariter intra te iudiciũ veritatis incluſum: cui dubium est minus te veritatem diligere: cui proprium præfers vel cõmodum vel honorem. Vides igitur non esse idipsum, hominem de seipso non alta iam sapere veritatis lumine redargutum, & humilibus sponte cõsentire munere charitatis adiutum. Illud enim necessitatis est, hoc voluntatis. Sed si apud teipsum humiliatus es, necessaria illa humilitate quam veritas sensibus ingerit, vigilantis adhibe voluntatem, & fac de necessitate virtutem: quoniam nulla est virtus, nisi motus adsit bonæ volũtatis. Sic autem fiet istud, si nolis alter apparere foris, quàm te inuenis intus.

De

De humilitate & humiliatione.

CAP. XIX.

HVmilitas iustificat nos: humilitas dixi, non humiliatio. Quãti humilitati qui humiles non sunt? Alij cũ rancore humiliãtur, alij patiẽter, alij libenter. Primi rei sunt, sequẽtes innoxij, vltimi iusti. Quanquã & innocentia portio iustitiæ est, sed cosummatio eius apud humilẽ. Qui autẽ dicere potest, bonum mihi, quia humiliasti me: is verè humilis est. Non potest dicere qui inuitus tolerat, minus qui murmurat. Neutri illorũ promittimus gratiam, quòd humiliatur: etsi sanè longè hi duo à se differant: & alter quidẽ in patiẽtia sua possideat animã suam: alter in suo murmure pereat. Sed enim si vnus iram, neuter tamen gratiam promeretur: quoniam non humiliatis sed humilibus Deus dat gratiã. Etenim solam gratiam quam præfert, meretur læta & absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, etsi vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiã tamen gratiam nõ habet. Humilitas ad quam vtique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem: sicut patientia

Super cãt. serm. 34.

In quibus. dictis.

ad pacem: sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam nō refugias humiliationis. Nam si non pateris humiliari, non potetis ad humilitatem prouehi.

De *intellectu & affectu.*

CAP. XX.

In serm. 3. de ascens. Hodie caelorū Rex.

DVo sunt, quæ in nobis purganda sunt: intellectus & affectus. Intellectus vt nouerit: affectus vt velit. Hi sæpius sibi inuicem aduersantur, vt alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quantus verò is dolor, quàm grauis animæ cruciatus: dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur à seipsa. Intellectus verò tunc deprimitur, cùm multa cogitat, cùm nō colligit se circa vnam & vnicam meditationē, quæ concipitur de ciuitate illa, cuius participatio eius in idipsum. Huiusmodi intellectum oportet deprimi & distrahi per multa multis, & multiplicibus modis. Affectiones verò quæ corrupto corpore diuersis passionibus afficiūtur, mitigari nunquā possunt: ne dicā sanari, donec volūtas vnū quærat & tendat ad vnum. Intellectus noster turbatus erat: ne dicam cæcatus. Affectus & inquinatus erat, & multum inquinatus, sed Christus intellectū illuminat, spiritus

ritus sanctus affectum purgat. Venit enim filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, vt non immerito intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus euacuauerit, vt semper cogitemus, & nunquam cogitare sufficiamus: quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatiandum intelligentię campos relinquit, & torrens istarum cogitationū profundissimus est. Quis enim cogitare sufficit, qualiter rerum dominus præuenerit nos, venerit ad nos, subuenerit nobis, & singularis illa maiestas voluerit mori, vt viueremus: seruire vt negaremus: exultare vt repatriaremus: & vsq; ad seruilissima opera inclinari, vt constitueret nos super omnia opera sua? Vnde autem nobis in his tenebris veritas? Vnde charitas in hoc seculo nequā, in hoc mundo qui positus est in maligno? Putas erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit si conuertamur ad Christum, & velamen de cordibus auferatur.

De *cognitione & amore.*

CAP. XXI.

DVæ pennæ agnitio & deuotio. Leua quippe agnitionis ala, sed sola nō sufficit. Ruit citius, qui vna tantùm ala vola- *In 1. parte ser. de adu.*

re cõtendit: & quo magis attollitur, pœnis alliditur, zelus absque scientia quo vehementius irruit, in eo corruit grauius. Vbi verò intelligentiam charitas agnitionem deuotio comitatur: volet securè, qui eiusmodi est: volet sine fine: quia volat in æternitatẽ adhærẽdo ei, qui semper & beatè est, semper & nos esse, & esse beatè poteramus. Adhærendo autẽ dixerim, non solùm per cognitionem, sed per amorem. Nam adhærendo veritati per cognitionem, sed ab illa defluendo per amorem amando pro illa scilicet vanitate, homo vanitati similis factus est. Et quid vanius quàm diligere vanitatem? Et quid iniquius quàm contemnere veritatẽ? Quid verò iustius, quàm cõtemptoribus subtrahi & ipsam cognitionem? Quid inquam iustius, quàm vt iam de eius cognitione gloriari non possit, qui cognitam non glorificauit? Itaque appetitus vanitatis est contemptus veritatis. Contemptus veritatis causa nostræ cæcitatis. Ex hac cæcitate descendit, quòd plerunque pro eo quod est, amamus vel approbamus, quod nõ est: quoniã dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino ab eo qui summè est. Et q d est homo, O Deus, nisi quod innotuisti ei? Itaq; si notitia Dei causa est, vt homo aliquid sit, ignorantia facit, vt nihil

sit. Sed qui vocat ea quæ non sunt tanquã ea quæ sunt, miseratus quodammodo redactos in nihilum, manna illud absconditũ: quia necdum possumus contẽplari per speciem, vel plenè amplecti per amorẽ: dedit interim nobis & sapere per fidem, & quærere per desideriũ. Per quæ vtiq; duo ad esse de non esse secũdo reducti, fieri incipiamus initium altquod creaturæ eius, transituri quandoque in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quod procul dubio erit, cùm fides conuertetur in intellectum: & desideriũ peregrinationis in plenitudinem commutabitur dilectionis. Si enim adhuc absentes initiat fides & desiderium, præsentes profectò consummat intellectus & amor. Sicut enim fides ducit ad plenam cognitionẽ, sic desiderium ad plenam dilectionem. Intellectus igitur est fructus fidei, perfecta charitas desiderij.

De *meditatione & oratione.*

CAP. XXII.

In ser. 1. de sancto Andrea.

NEmo repẽtè fit summus ascẽdẽdo, nõ volãdo apprehẽditur summitas scalæ. Ascẽdamus ergo velut duob⁹ qui *in fi. qui incipit. Celebrantes.* busdam pedibus, meditatione & oratione.

Meditatio siquidē docet quid desit, oratione desit obtinet. Illa viā ostendit, ista deducit. Meditatione deniq; agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus.

De *duplici confessione.*

CAP. XXIII.

In serm. 2. in vig. nato. O Iuda & Hier.

VEra cōfessio, fratres mei, est, si omnia opera vestra opera Dei sunt, & confiteantur ei. Confiteantur autem ei gemina quadam confessione, vt duplicibus vestiamini, id est, confessione peccatorū vestrorum, & confessione laudis diuinæ. Tunc enim veri cōfessores eritis, si omnis vestra vita confiteatur vos peccatores, & dignos multò maioribus pœnis: Deū verò summè bonum, qui pro his leuibus & transitoriis, æterna condonāt, supplicia quæ meruistis. Quisquis enim ardēter nō desiderat pœnitentiā, videtur operibus dicere se nō indigere pœnitētia: & ita suā non cōfitetur culpam: aut nō posse prodesse ei pœnitentiam: & ita diuinam non confitetur bonitatem.

De *duabus speciebus superbiæ.*

CAP. XXIIII.

n. 1. parte epi. ad Hēric. Senon. archi.

SVperbia est appetitus propriæ excellētiæ. Hæc in species duas diuidit, in cæcam

cam & vanam superbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari possunt cōtumacia & vanitas. Quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, & ex ista voluntatis appetitus malè afficitur. Quod melius singularum diffinitionibus demōstrabimus. Cæca superbia seu contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel à se esse quod est: in se non in domino gloriatur. Vana superbia seu vanitas est vitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est: suis magis, quàm Dei laudibus delectatur.

De *duabus speciebus humilitatis.*

CAP. XXV.

HVmilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contēptus opponitur appetitui. Duabus quoque superbiæ speciebus duæ nihilominus humilitatis species opponuntur. Cōrra cæcā, cùm quis de se nouerit sentire humiliter. Contra vanā, nec consentire aliter sentiētibus. Nēpe q de seipso humiliter sentire nouit, in neutro ipsius de se iudicium falli potest: videlicet vt aut maius aliquid putet se esse quàm sit: aut à se *Vbi suprà.*

esse quod sit. Et ideo patienter carẽs quod sibi nouit de esse, humiliter de eo quod certus est ad esse nõ in se, sed in domino gloriatur. Nõ parcit sibi arrogãs, non parcit sibi superbus, nõ cupidus, vanæ gloriæ & iactator arctuum suorũ, qui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur de se quod non est. Solus qui verè humilis est, parcit animæ suæ, qui ne putetur quod non est, semper quantum in se est, vult nesciri quòd est. Grande reuera periculum audire, quenquã de se supra quàm sentit in se.

In epist. ad Ogerii ca nonicũ regularem.

De duobus quibus sibi cauet contemptor laudis humanæ.

CAP. XXVI.

In epist. ad Hen. Can. archiep.

QVi humanas laudes cõsueuit perfectè cõtẽnere, cùm se laudari percipit de eo, quod in se nouit nõ esse nullatenus acquiescens, illud sibi cõmemorat. Qui te beatificant, in errorem te mittunt. Cùm verò laudari se comperit de bono, quod se fortè habere cognoscit, nihilominus quantum in se est, scuto veritatis curat à se repellere iaculum fauoris, dans Deo gloriam & dicens, Gratia Dei sum, id quod sum. Probat ipse opus suum, & sic habet in semetipso gloriam, & non in alte-

ro. Fidelis suimet custos, qui sibi oleum fauoris sine fraude reseruet, ne in aduentu sponsi lampas conscientiæ vacua extinguatur. Non in altero inquam. Nec enim tutum arbitrabatur labiis hominum committere gloriam suam archæ vtique sine claue, & sera. Nõ tutum planè, sed stultum ibi thesaurum tuũ reconderet vnde resumere non valeas cùm volueris. Ponis in os meum iam, non in tua, sed in mea potestate est, cùm vtique pro meo libitu, vel laudare te possim, vel derogare tibi. Sanum vas & inconcussum conscientia & secretis seruandis idoneum, nullis patens insidiis, nulli violentiæ cedens, nulli quippe oculo vel manui accessibilis, excepto duntaxat spiritui, qui scrutatur etiam alta Dei. Quicquid in ea reposuero, securus sum: quia nõ perdam: seruabit viuo, defuncto restituet. Nam quocunque vado ego, ipsa it mecum, secum ferens depositum quod seruandum accepit. Adest viuo, mortuum sequitur. Vbique mihi vel gloria vel confusio inseparabilis pro qualitate depositi.

De

De duobus in consilio necessariis.

CAP. XXVII.

vbi suprà.

AD consiliũ soli eligãtur, qui & prudentes esse videantur & beniuoli. Absq; prudẽtia & beniuolẽtia scio nõ esse perfecta consilia. Væ nostro generi ab imperfectione sua. Vix in multitudine hominum vnũ reperias in vtraque gratia consummatum. Haud facilè siquidem vel prudenti beniuolentiam, vel fideli inesse sapientiam deprehendas. Sine numero autem sunt, quos vtriusque muneris expertes esse constiterit.

De duobus in quæ diuiditur monasterialis obseruatio.

CAP. XXVIII.

In libro de præcepto & dispensatione.

PArtienda est nobis vniuersa obseruatio regularis: in præcepta videlicet & remedia. Præceptis instituit vita contra peccatum: remediis instituitur post peccatũ innocentia. Sic ergo vtraq; ista cõplectitur nostra professio: vt professus quisquis cùm in aliquo fortè regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium æquè regulare confugerit, etsi conuincitur transgressor mandati, non tamen pacti præuaricator. Solùm itaque censuerim fregisse votum

votum, violasse propositum, pactum præuaricasse, qui & præceptum contempserit & remedium. Nam illum sanè dico securum, qui etiam si interdum obedientiæ limitem præterierit, consilium non respuit pœnitentiæ. Regulares nanque terminos etsi sæpe deliquerit, nõ euadit, qui censuræ quæ ex regula est, disciplinam non subterfugit. Pars siquidem regulæ est regularis correptio, & in ea reperitur, non solùm bonæ vitę instructio, sed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ & inobedientiæ remedia: vt ne peccando quidem à regula recedatur. Fateor sanè impossibile cuiuis mortaliũ, vel venialiter interdum nõ delinquere in præceptis obedientię, sed nulla iam de impossibilitate querela: quandoquidem & ex regula, licet id quoque quod criminaliter delinqui contigerit, emendare.

De duobus in monasteriis obseruandis.

CAP. XXIX.

In epist. ad Adã monachũ 2. quæ orditur. Si maneres in charitate.

VT cætera taceã, duo præcipuè in monasteriis conuersantibus obseruanda traduntur. Subiectio abbati, & stabilitas in

in loco. Et ita obseruanda, quòd neutrum impediat alterum: nec alterutrum sibi præiudicent: vt verbi gratia. Sic te stabilem in loco exhibeas, vt abbati subiici non contemnas. Sic obedias abbati subiectus, vt stabilitatem non amittas. Dico ergo abbati per omnia obtemperandum, sed salua professione. Si abbas meus aut etiam angelus de cælo contraria iusserit, liberè recusabo huiusmodi obedientiam: quæ me transgressorem proprij voti, & peierare facit nomen Dei mei.

De *autoritate præcipientium & qualitate præceptorum.*

CAP. XXX.

In libr. de præcepto & dispen.

CVius inter præceprores reuerẽtior nobis imminebit autoritas, ei' grauior formidetur offensa: ac maioris cuiusq; mandati transgressio damnabilior æstimetur. Meli' siquidẽ est obedire Deo, quàm hominibus: & in ipsis melius magistris, quã discipulis. Porrò in magistris melius nostris, quã extraneis. Quibus aũt melius constat obedire, ipsis proculdubio & non obedire detestabilius est. Et de mandatis similiter. Maioribus quippe maior, minoribus

noribus minor opera nostra & cura debetur, de quorum & cõtẽptu iuxta eandem consideratione grauior, leuiórve offensa contrahitur. Porrò, maiora minoráq; mandata dixerim, secundum quòd magis minúsve velle constiterit: ipsum qui præcipit siue hominem siue Deum. Tam ergo qualitas præceptorum, quàm autoritas præcipientium & obedientiæ præfigit metam, & inobedientiæ terminat culpam, quando in prælatis quibusque autoritatis grauioris, & eorum mandatis quibusque maioris vtilitatis, quò diligentior debetur obsequẽdi cura, eò & culpa grauior incurritur de contemptu. His itaque distinctionibus animaduersis & obedientiæ modus, & pondus inobedientiæ facilè reperitur.

De neglectu & contemptu mandatorum.

CAP. XXXI.

Vbi suprà.

HAec generalis regula vniuersorũ præceptorũ, quę per se aut ptopter se nec bona nec mala sunt, aut diuina institutione, aut ꝓpria cuiusq; professione fixa non sunt: vt non iussa quidẽ licitè vtrumlibet vel admittantur, vel omittantur: iussa verò sine culpa non negligantur:

sine

sine crimine non contemnantur. Ex his, verbi gratia, dico vel risum esse interdictum, vel indictum silentium. Hæc siquidem si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt. Accedente mandato, si quo minus iam obseruantur in peccatum reputantur: non tamen in crimen: ita sanè si per surreptionem aut obliuionem, non per contemptum horum transgressio contigerit. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem quòd neglectus quidem langor inertiæ est: contemptus verò superbiæ tumor. Porrò, contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis. & communiter damnabilis est: neglectus autem in fixis grauior: tolerabilior in mobilibus mandatis. Siquidem adulterium quocunque modo, quocunque perpetres animo, turpe flagitium est ac criminale peccatū: cùm tamen leue verbum in tempore vel loco silentij fortè per obliuionem surreptum: risus vel per impetum magis excussus quàm præsumptus contra præceptum: quod vtique cùm negligentis, aut dissoluti spiritus iudicium est, eò facillimè veniam promereatur, quò vix vel peccatū repugnatur. Quid cùm scienter, & cū deliberatione in verba otiosa silentio, licet non in dicto lingua

lingua laxatur? Vnde nimirum ratio exigenda est in futuro iudicio? Heu nobis, quænam poterit reddi ratio de otio? Alioquin otium non est, sed non omnino ratione vacuum est. Et tamen quis nesciat vnum detractionis verbum, quantū etiam innumeris talibus id est, otiosis præponderet ad delictum meritúmq; damnationis? Quid ita: videlicet, quia discretio est in mandatis, consequenter & in culpis: tm maiorum grauior, leuiorq; minorum censeatur transgressio mandatorum.

De gemina specie vitiorum.

CAP. XXXII.

In quibus. sententijs.

EST gemina species vitiorū. Alia enim sunt quæ nocent nobis, alia quę pro eximis. Illa flagitia, ista vocantur facinora. Et hæc omnia dicūtur vallis lachrymarum: quia omni fletus fluuio plangēda est vita peccatorum. De valle flagitiorum ascenditur ad montem castitatis triplici continentia: membrorum sensuum, cogitationum. In prima continentia cohibetur actus in secunda vitatur aspectus: in tertia resecatur affectus. Item de valle facinorū ascenditur in montem innocētiæ. Hic eri-

gitur scala. Quod tibi non vis fieri, alij ne facias. Et ponitur in ea triplex gradus timoris: vel eius scilicet qui patitur, ne reddat talionem: vel superioris potestatis, ne inferat vltionem: vel interni iudicis, qui reddet vnicuique secundum opera sua. De monte innocentiæ confugiendum est ad montem patientiæ: & hic quoque erigitur scala triplicis gradus. Primus est domini passio: secundus martyrũ fortitudo: tertius præmii magnitudo. Mons iste patientiæ secundũ hos gradus est arduus, spinosus, aridus. Arduus propter difficultatem imitãdi passionem domini. Spinosus propter aculeos tentationum, quæ multiplices sunt, damno scilicet rerum, contumeliis verborum, cruciatibus corporum: in quibus omnes sancti martyres examinantur. Aridus propter retributiones præmiorum, quæ nõ in hoc seculo sperantur sed in futuro.

De veteri & nouo homine.

CAP. XXXIII.

In quibus sententiis.

DVo homines sunt vetus & nouus. Adã vetus, & Christus nouus. Ille terrenus, iste cælestis. Illius imago vetustas: istius imago nouitas. Est autẽ triplex vetustas: & ecõtrariò triplex nouitas. Est

Est enim vetustas in corde, in ore, in opere. In quibus tribus modis peccamus: cogitatione, locutione, & opere. In corde sunt carnalia desideria & secularia, id est amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Ité gemina in opere flagitia & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis: & hæc omnia renouãda sunt in nobis. Renouetur ergo cor à carnalibus desideriis & secularibus, vt exclusis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cælestis. Recedant ab ore arrogantia & derogatio: & succedant pro his vera peccatorum confessio, & bona de proximis æstimatio, pro flagitiis & facinoribus quæ vetustas est operis, assumatur continentia & innocentia: vt scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur.

De duplici timore.

CAP. XXXIIII.

In epist. ad Ogerium cano. reg.

EST timor inutilis, tristis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non consequitur. Est & timor pius, humilis & fructuosus, qui cuilibet, quantumlibet etiam peccatori, facilè veniam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & seruat humilita-

tem: sed manſuetudinẽ, ſed patientiam, ſed longanimitatem. Quem non delectet tam inclita proles? Alterius verò miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus, & deſperatio.

De *duabus filiabus ignorantiæ.*

CAP. XXXV.

Super cãt. ſerm. 17.

PEſsimæ matris ignorantiæ, peſsimę filiæ duæ ſunt, falſitas & dubietas. Illa miſerior, iſta miſerabilior: pernicioſior illa, iſta moleſtior. Cùm loquitur ſpiritus cedit vtraque: & eſt non ſolùm veritas, ſed & certa veritas. Eſt quippe veritatis ille ſpiritus, cui contraria falſitas eſt. Eſt & ſapientiæ quæ cùm ſit candor vitæ æternæ, & vbique attingat propter munditiã ſuam obſcurum ambigui non admittit. Cauẽda ſanè, cùm ſpiritus iſte non loquitur: etſi non moleſta dubietas, certè falſitas execranda. Aliud eſt enim ſub incerto: hoc vel illud opinando ſentire, aliud temerè affirmare quod neſcias. Aliud eſt dubitare de veritate, quod patiaris neceſſe eſt: cùm ſpiritus minimè ſpirat, & aliud ſapere falſitatem: quod facilè caues, ſi eandem tuam ignorantiam non ignoras. Aut ergo loquatur ſemper ſpiritus, quod noſtri quidem

dem minimè arbitrij eſt: aut quando ſilere placet, hoc ipſum indicet, & loquatur ſaltem ſuum ſilentium, ne ipſum nobis falsò præire putantes noſtrum pro ipſo malè ſecuri ſequamur errorem. Et ſi ſuſpendit ambiguo, non relinquat mendacio. Eſt qui dubiè profert mendacium, nec mentitur: & eſt qui veritatem, quam affirmat, neſcit, & mentitur. Nam & ille non quidẽ quod non eſt eſſe, ſed ſe quod credit credere dicit, & verum dicit: etiamſi hoc verum non ſit quod credit: & is cùm certum ſe vnde certus non eſt, dicit, verum non dicit, etiamſi verum ſit, de quo aſſerit.

De *duplici malo innato & ſeminato.*

CAP. XXXVI.

CVm mala in corde verſamus, noſtra cogitatio eſt, ſi bona, Dei ſermo eſt. Illa cor noſtrum dicit, hæc audit. Pacem, pietatem, iuſtitiã, Deus in nobis loquitur: nec talia cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus. Cæterùm homicidia, adulteria, furta, blaſphemiæ, & ſimilia his de corde exeũt: nec audimus ea, ſed dicimus. Sed eſt præterea quod corde quidẽ ſentitur, nõ tamen cordis eſt verbum: neq; enim de corde exit ſicut noſtra cogitatio: ſed neque illud eſt,

Super cãt. ſerm. 32.

quod ad cor fieri diximus, verbum videlicet Dei: cùm sit malũ. Immittitur autem à contrariis potestatibus, sicut fiunt immissiões per angelos malos, quale verbi causa fuit quod legitur immisisse in cor diabol': vt traderet dominum Iudas Symonis scariothis. Verùm quis ita vigilet, & diligens sit obseruator motionum internarum suarum, siue in se, siue ex se factarum, vt liquidò ad quæq; illicita sensa cordis sui discernat inter morbum mentis & morsum serpentis? Ego nulli mortalium hoc possibile puto, nisi qui illuminatus à spiritu sancto speciale accepit donum illud, quod apostolus nominat discretionẽ spirituum. Quantumlibet enim quis secũdum Salomonem omni custodia seruet cor suũ, & omnia quę intra se mouentur, vigilantissima intentione obseruet: etiamsi diuturnum fortè in his habuerit exercitium & frequẽs experimẽtum, non poterit tamen ad purum in se dinoscere, discernere, vel ab inuicem malum innatum & malum seminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multùm refert nostra scire, vnde nobis ineſt malum, dummodo ineſſe sciamus. Vigilandum potius & orãdum, vndecunque sit, ne cõsentiamus. Nõ possum tradere vobis quòd nõ accepi. Non autem accepi fateor, vnde assignẽ certam

tam notionem inter partum cordis, & seminarium hostis. Quippe vtrunque malum, vtrunque à malo: vtrunq; in corde, sed non vtrunq; de corde: Hoc totũ certum mihi in me, etsi incertum quid cordi, quid hosti tribuam: & id quidem absq; periculo. Sed sanè est vbi periculosè, imò damnabiliter erratur, atq; ibi merito nobis certa præfigitur regula: ne quod Dei est in nobis demus nobis, putantes Dei visitationem nostrã esse cogitationem. Ergo quãtum distat bonum à malo, tantum ista duo à se: quoniã nec de Deo malum, nec de corde exiet bonũ, nisi quod prius fotte de Deo conceperit.

De duplici corruptione animæ, scilicet & corporis.

CAP. XXXVII.

HAbet anima corruptionẽ suam: habet & corpus suum. Corruptio animę tripartita est: corporis est quadripartita. Corpus siquidẽ cõstat exquatuor elementis. Anima verò in triplici vi subsistit. Est enim rationalis, cõcupiscibilis, irascibilis. Rationem cuius est cognitio veritatis corrumpit superbia: corrupta autem fallitur duobus modis: in cognitione sui & cognitione Dei. Concupiscentiam corrumpit vana gloria, memoriam peruersa *In quibus sententijs.*

cogitationes. Corruptio corporis dicitur abominatio: & fit quatuor modis, secúdum quatuor elementa, ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt: curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autẽ quatuor partes corporis, in quibus singulis maximè vigẽt singula elementa. Nam in oculis est ignis: in lingua quę vocem formataër: in manibus quarum propriè tactus est terra: in genitalibus aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadriparitia pestis. Oculos scilicet curiositas, linguam loquacitas, manus crudelitas, genitalia voluptas: sic fiunt homines corrupti & abominabiles: corrupti in anima, abominabiles in corpore: corrupti corã Deo, abominabiles coram hominibus.

De duplici malicia diaboli.

CAP. XXXVIII.

In ser. 1 de S Andrea.

HAbet nequissimus ille inimicus laqueos, habet & iacula: vtpote calidissimus venator hominum solum sitiens sanguinem animarũ. Alios telis appetit malitiosæ cuiuslibet suggestionis: & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, & in his concludit multitudinem copiosam eorum,

rum, qui in terra repunt, ac volitant iuxta eam. Sit ergo gaudium in tribulatione, & iam non habet malignus vnde illiciat: non habet vnde deiiciat. Nunquam proficiet inimicus in eo quem crux Christi delectat. si carnalem suggerit delectationẽ & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animum eius quãlibet immittere tentauerit amaritudinem. Non curat delicias, qui ieiunio pascitur: multò minus pro eo murmurare potest, in quo etiam delectatur. Planè altissimum posuit refugium suum, vbi nec muscipula inimici timenda sit, nec sagitta.

De duplici scientia mala.

CAP. XXXIX.

In quibus dictis.

ALia est scientia mundi, quæ docet vanitatem: & alia est scientia carnis, quę docet voluptatem. Illa tanquam pater, ista tanquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem: & omnem prorsus laborem claudit à filio suo: sic caro incrassata, impinguata, dilatata, nec minimis saltem digitis patitur se contingi. Et sicut pater filium suum vult huc illúcque discurrere, vt addiscat aliquando vnde magnificetur. Sic & mundus vult ho-

minem multis laboribus intricari, vt habeat vnde superbiat, vnde infletur & decipiat de vanitate in idipsum.

De duabus sanguisugæ filiabus.

CAP. XL.

De colloq. Symonis & Iesu.

SAnguisugæ duæ sunt filiæ, id est, propriæ voluntatis, quæ quasi radix est. Duę filiæ sunt, vanitas, & voluptas: clamantes affer, affer. Hæ nunquam satiantur: nunquam dicunt sufficit. Si quidē nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquādo satiantur: fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti: hæc enim omnia trahit ad se. Pone hanc, & iugum tam importabile, quàm multiplex abiecisti. Inquietū malum quod spiritui sempet incumbēs, inexcogitabilia meditatur. Nullum mihi onus importabilius: nulla grauior sarcina est. Sanè felices liquet esse, qui exonerati sunt, & sequūtur dominum expediti, arctissimum enim foramen expectat, si quem sequimur, consequi volumus, per angustam contendamus ingredi portā, necesse est. Quid tu camele gibbum: quid tu pecunioſe proditoris loculos tollis? Non impiè sic ingredieris foramen acus, si huiusmodi sacrinas non admittis. Vtinam saperes miser, & intelligeres

res cum thesauro pecunię thesaurū iræ pariter cumulari: vtinam nouissima prouideres, animaduerteres facilè per foramē acus transituros nō diuitiarum cumulos, sed delictorum. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre poterimus quicquam. Sanè argentum & aurum nihil est, sibi vtrunq; retinet mundus: inexortabilem cōstituit ianitorem, foramē angustum est: nihil ex omnibus asportare licebit. Nam peccatum quia nihil est, nulla potest foraminis angustia retineri. Solum hoc sequitur te, quocunque ieris: quocunq; intraueris, pellem hanc nō depones. Quę autem parasti insipiens cuius erunt?

De duobus generibus hostium nobis aduersantium.

CAP. LXI.

In sermo. qui ordinatur. Paupercs quidē. res prima sercum sit nobis vtraque contraria, erit si volucrimus, vtraque pro nobis, vt hæc quidem ab illa liberet. Item aduersus istam solatorij iuuet illa, nec parum. Ecce enim cōpungi-

DVo nobis aduersantur hostium genera: malum videlicet duplex quod facimus, & quo patimur Hæc autem sunt, vt apertius dixerim, culpa & pœna. Itaque *latur. Con-* *ad fratres.*

mur

mur in cordibus nostris: & in cubili conscientię super delictis pręteritis: sed delinit conscientiam, & corrodentium dentes peccatorum conterens, reducit ad spem veniæ pœnitentia ista: & voluntaria pœna quam patimur, non solùm autem præterita, sed & futura repellit. Nam & tentatia propulsat vitia, & nonnulla sic perimit, vt aut rarò aut nunquam venenatum possint erigere caput. Sic pœna pro nobis facit aduersus culpam, vt vel omnino non sit, vel sit minor. Culpa verò nihilominus agit, vt aut non sit, aut minor sit pœna. Non quidem vt omnino non sit, aut à quantitate sua minuatur, quod nullatenus expediret: sed vt non sit pœna, aut minor sit: videlicet aut non sit, aut minus sit onerosa. Quisquis enim perfectè senserit onus peccati, & animæ læsionem: aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam: nec reputabit laborem, quo peccata nouerit deleri præterita, futura caueri.

In. 2. serm. Aduq. incipit Labor iste. vbi supra. Nunquid ad laborem creati sumus? Absit. Nam licet homo ad laborem sit natus, sed minimè ad laborem creatus est. Natiuitas in culpa est: ideo & in pœna. Aliena ab vtrisque est prima creatio: quia sicut non culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Itaque laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta

intenta sit operi & non vacet. Causam laboris cogitet in labore: vt ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur, repræsentet. Dum videt vulnerum ligaturã, ipsa sub pannis vulnera medicetur. Huiusmodi siquidem cogitatione, humiliamur, sub potenti manu Dei: & dulci quadam pietate mens plena miserabilem se exhibet in oculis eius.

De duobus lateribus scalæ.

CAP. XLII.

OPortet nos domare carnem, calcare mundum, vt voluptatem corporis declinãtes, caueamus nihil hominus seculi vanitatem. Totum nimirum quòd à via vitæ & disciplinę deterret filios huius seculi, totum quod exercet, interim seruus Dei in his duobus est. Hæc ergo sint latera scalæ: vtilitas, & asperitas, quibus deinceps internæ virtutis & gratiæ gradus firmiter inserantur. Est enim videre homines mundi spernentes gloriã, fauores calcantes populi, nõ desiderãtes humanum diem, sed non adeò fortes in tolerãtia corporalis molestiæ: non adeò reiicientes mollia, nõ adeò carnis illecebras superantes: quid istos dixerim, nisi

In libro de colloquio Symonis & Iesu.

latus

latur alterũ non tenere? Porrò vni tantùm lateri innitenti, periculosus nimis ascensus & proximus est ruinæ. Quod si periclitatur, quocirca carnẽ videtur plus quàm oportet infirmari, licet mundi respuat gloriã, nec contumeliis moueatur: profectò longè horribilius est periculum, & multò magis inexcusabile, si quis fortè licet castigans viriliter corpus suum, & non parcens eius afflictioni, inueniatur tamen minus resistens gloriæ desiderio: minus patiẽs iniuriarum: minus puritatis & solidæ humilitatis habens: minus immunis à seculi vanitate. Sanè vbi stabilieris & firmaueris in corde tuo & asperitatem corporalis abstinentię ac laboris amplecti, & omni vtilitate & extremitate esse contentus, bona sunt latera. Securè iam insere gradus exercitij spiritalis, vt totum quod carni & mundo subtrahis, studio pietatis impendas. Oblitus quæ retro sunt, extensus in anteriora: vt ascensionibus dispositis, de virtute proficias in virtutem: vt videre Deum Deorum in Syon mereatis.

Quòd duobus modis se debet vnusquisque irreprehensibilem exhibere coram Deo & hominibus.

CAP.

CAP. XLIII.

In quibus sententijs.

DEbet vnusquisque quantum potest, ir reprehensibilem se exhibere. Primùm quidem coram Deo, sed deinde hominib⁹. Et notandum quòd tribus modis prouidẽtur bona coram hominibus, id est habitu, actione, sermone. Habitu, ne sit notabilis: actione, ne sit reprehensibilis: sermone, ne sit cõtemptibilis. Tribus etiã modis coram Deo, cogitatione, affectione, intentione. Nam & cogitatio debet esse sancta, & affectio pura, & intentio recta. Sunt autem tria ista, cogitatio, affectio, intentio in anima: sed in ea quoque singula, locis propriis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria, affectio in volũtate, intentio in ratione cõsistit. In anima si peccatũ suggeritur memoriæ per cogitationẽ, nullũ tamẽ præbuerit, aut volũtas affectũ aut deliberatio ipsa consensum, fateor quidem deformitas est. Cæterùm etsi venus est, sed non morbus. Quòd si voluntas quoque ipsa iam delectationis sensu afficitur, resistit tamẽ adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidẽ, sed nec dum moritur anima. Tunc enim mori dicitur, quãdo ipsa ratio ad peccatũ per intentionem curuatur. In cęteris siquidem, id est memoria, voluntate: nõ ita est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam

cogit

cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc verò grauissimum est, imò omnino damnosum, si vnquam ratio perdiderit intentionis rectitudinem.

De duplici conuersione scilicet interiori, & exteriori.

CAP. XLIIII.

In serm. de ieiunio. s. Conuertimini ad me.

COrporis conuersio si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidē cōuersionis est, nō veritas. Vacuam virtute, gerēs speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorū suorum putās se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Exteriorem quippe superficiem intuens, salua sibi omnia sutpicatur: nō sentiens vermē occultū, qui interna corrodit.

De assumptione Mariæ. s. 2.

Videas enim interdum sic palliatum hominem, vt seducat etiā semetipsum. Solas mouet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus consuetudine quadam. In corde enim seruus est propriæ voluntatis, cultor auaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia aut singula quæque vitia intus fouens, & mentitur iniquitas sibi: sed Deus non irridetur.

In. 2. ser. de ieiun.

Attende solerter quid diligas, quid metuas,

tuas, vnde gaudeas, aut contristeris, & sub habitu religionis secularem animum sub pannis conuersionis inuenies cor peruersum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est: & de eis accipiendum puto quod dicitur, vt in toto corde tuo cōuertaris ad dominū. Cōuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas, nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Conuertatur etiā ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eū, aut non propter eum. Sic enim & gaudium tuum & tristitia æquè conuertantur ad ipsum: hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas aut læteris. Quid enim peruersum magis quàm lætari cùm malefeceris & in rebus pessimis exultare? Sed & ea quoq; quæ secundū carnem est, tristitia mortem operatur. Si pro tuo siue proximi peccato doleas, benefacis: & hæc tristitia est ad salutem. Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium sanctum est, & securum gaudium in spiritu sancto. Debes & in dilectione Christi fraternis cōgaudere prosperitatibus, aduersitatibus condolere. Vetùm ne ipsa quidem corporalis est parui pendenda conuersio: quia spiritalis huius adminiculum nocitur esse non paruum.

Quòd duobus modis à corde vita procedit.

CAP. XLV.

DVobus modis à corde vita procedit. Aut quia corde creditur ad iustitiam, & iustus ex fide viuit: & mũdo corde Deus videtur. Aut quia Christus vita nostra, qui nunc per fidem habitat in cordibus nostris: & erit cùm apparebit & nos cũ ipso in gloria. Et qui nunc latet in corde, tunc à corde ad corpus procedet configurandũ corpori claritatis suæ. Vulgò dicitur. Bonũ castrum custodit, qui corpus suũ custodit. Nos autem non sic: sed vile sterquiliniũ custodit, qui corpus suum custodit. Quoniam qui seminat in carne, de carne metet & corruptionem: qui verò in spiritu, de spiritu metet benedictionem. Aeſi dicat. Colendũ & custodiẽdum magis est animæ castrũ: quoniam ab ipso vita procedit. Sed castrũ hoc in terra inimicorum situm, vndique impugnatur. Et ideo est omni custodia cõseruandum, id est, omni ex parte muniendum: inferius, superius, ante, & retrò: à dextris & à sinistris. Inferius impugnat concupiscentia carnis: quia caro concupiscit aduersus spiritum. Superius imminet iudicium Dei. Horrendum enim est incidere in manus

nus Dei viuentis. Retrò mortifera delectatio ex recordatione præteritorum delictorum: antè instantia tẽtationum. A sinistris arrogantium fratrũ inquietudo. A dextris obedientium fratrum feruor & deuotio. Et hoc duobus modis: aut bonis actibus eorũ inuidendo aut singularem eorum gratiam æmulando. Ergo contra carnem rigor vigilet disciplinæ contra iudicium Dei, iudicium confessionis. Et hoc fit duplex. Manifestum de manifestis, occultum de occultis: quia si nosmetipsos iudicauerimus, non vtique iudicabimur. Cõtra delectationem ex memoria peccatorum, frequẽtia lectionis, contra tentationes orationis instantia. Aduersus fratrum obedientium feruorem, congratulatio & discretio. Congratulatio enim expellit inuidiam: discretio nimiam æmulationem.

De vitiis & virtutibus pariter confligentibus.

CAP. XLVI.

SApientia vincit maliciam. Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter: in cæ- *Inferm. de spir. duos spir. tuos.*
lo deiciendo superbum, in mundo superando malignum, in inferno spoliando auarum. Disponit omnia suauiter, in cæ-

lo ſtantes angelos confirmando, in mundo detractos redimendo, in inferno liberando captiuos. Vel aliter. Conſurgit timor contra negligentiam, qui enim timet Deum, nihil negligit. Si autem negligentia præualuerit, parit curioſitatem: qui enim in ſeipſo non quieſcit, foras cogitur euagari. Hæc ergo hominem à corde ſuo eiicit contra quam pugnat pietas quę eſt cultus Dei: & in corde colitur, qui in corde creditur habitare. Curioſitas ſi ſuperet, parit experientiã mali: dum enim euagatur per multa, facilè animus inuenit vbi adhæreat, vbi noxiam experiatur dulcedinem. Cõtra hãc pugnat ſcientia, docens quid ſic experiri tutum ſit, quid non. Si verò præualeat experientia, generat concupiſcentiam, vt tranſeat in affectum cordis. Tranſiit autem in affectum cordis, qui legem ſpernit: tranſiuit honeſtatẽ, qui nec ratione regitur, nec inhibetur pudore. Timorem autem domini penitus dereliquit, & eſt apud eum pro lege voluptas. Solo vehitur appetitu, ſequitur concupiſcentiam ſolam. Aduerſus hanc concupiſcentiam congreditur fortitudo: quia in illa iam vt in manu forti liberatio eſt. Caſtigandum ergo corpus, extenuanda adeps, de qua procedit iniquitas, & peccandi occaſiones auferẽdæ: alioquin ſi concupi

cupiſcentia extincta non fuerit, naſcitur de ea conſuetudo, vt ſæpe ſine omni æſtu deſiderij ad illicita pertrahatur. Ex hoc iam melius eſt ingenium quàm vires: & opus eſt ſpiritu conſilij, ne fortè dum perſequimur concupiſcentiam, ſubſtantiã deſtruamus. Conſuetudo ſi victa non fuerit, parit contemptum. Aduerſus iſtum procedat neceſſe eſt ſpiritus intelligentiæ, illuminans tenebras noſtras, & lucem oſtendens miſerationum Dei. Intelligentia enim eſt de inuiſibilibus & abditis, quæ nec experientia cognoſcit, nec ratio comprehendit. Quale eſt? vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundauit & gratia. Quòd ſi non præualuerit intelligentia reducere animũ ad ſpem, contemptus deiicit in maliciam, vbi deſperat de venia, quam poſt conſolationem quærit deinceps in hac vita. Iam non eſt liberari, niſi contra maliciam congrediatur ſapientia: vt clauus clauum expellat, & dulcedinem pernicioſam amaram reddat dulcedo ſpiritalis immiſſa. Sic ſapientia vincit maliciam, attingit à fine vſque ad finem: à timore vſque ad ſapientiam, fortiter eradicans vitia ſingula & ſuauiter diſponit omnia: ſingulas inſerendo virtutes. Expellit enim negligentiã & timorem immittit: expellit curioſitatem,

& immittit pietatem: & sic de aliis: & tandem expulsa malicia, sapiētia regnat. Ergo quem negligentia obdormitescit, curiositas peius excitat: attraxit experientia, tenuit concupiscentia, ligauit consuetudo, cō temptus misit in carcerem, malicia iugulauit. Econtrà, vincente sapientia timor excitat, demulcet pietas: scientia dum suggerit quid & quomodo factū sit, apponit dolorē: fortitudo erigit, soluit cōsiliū, intellectus de tenebris reducit ad lucem: sapiētia cibat, & salutaribus reficit alimentis.

De voluntate & opere.

CAP. XLVII.

In serm. de beato Stephan. Ioā. et Inn. qui incip. Benedict. qui.

COnsiderent hi qui de volūtate & opere cōtentiosis solent disputationibus corrixari: considerent & aduertant neutrū negligi oportere, vbi nō videtur deesse facultas, præsertim cùm vtrunque sine altero: vbi tamen facultas deest, salutem conferre possit. Hoc quoque firmiter teneant prodesse quidam opus sine voluntate, non autem contra volūtatem, vt vnde saluātur infantes, inde magis damnentur fictè accedentes. Nihilominus in quibusdam voluntas sine opere sufficiens est, non autem contra voluntatem opus: verbi causa. Rapitur quis

quis in bona voluntate, sed necdum perfecta, nondum idonea martyrium sustinere. Quis illi audeat pro hac imperfectione negare salutem? Fortè enim propterea non finitur in illam grauem tentationem venire, ne deficiat & damnetur. Nimirum, si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam quæ super ipsum est tentationem, nec voluntas roboraretur: quis illum dubitet defecturum & negaturum, etsi in eo mori cōtigerit, etiam damnandum? In ea igitur imperfecta voluntate in qua saluatur vbi deest facultas operis, iam non posset saluari propter defectum operis vel opus defectionis. Idem verò & in ignorantia posset accidere. Agamus proinde gratias benignissimo & largissimo saluatori, qui salutis humanæ occasiones tā copiosa charitate perquirit: vt in his voluntatem & opus, in his sine opere voluntatem, in his etiam sine voluntate opus salutis inuenire lætetur.

De timore & iustificatione.

CAP. XLVIII.

PRecedit timor vt sequaē iustificatio. Forsan ergo timore vocamur, amore iustificamur. Audiat itaq; in suivocatione peccator qđ timeat, & sic accedēs ad solē iustitiæ videat illuminatus quod dili-

In epist. ad Thom. præpositum de Bernela.

gat. Quid nãque est illud? Misericordia domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum. Ab æterno propter prædestinationem: in æternũ propter beatificationem. Altera carens principio, altera nesciẽs finem. Siquidem quos ab æterno prædestinat, in æternum beatificat, intercedẽte sanè media vocatione vna cum iustificatione, duntaxat in adultis. Sic ad ortum solis iustitiæ sacramentum absconditum à seculo de prædestinatis & beatificãdis emergere' quodammodo incipit ex abysso æternitatis, dum quisq; vocatus per timorem, iustificatus per amorem præsumit se quoque de numero esse beatorum, sciens nimirum, quia quos iustificauit, illos & magnificauit, quid enim? Audit se vocari cũ timore concutitur: sentit & iustificari, cùm amore perfunditur, & de magnificatione diffidet? Initiatur, prouehitur, de sola consummatione desperabit? Nempe si initium sapientiæ timor domini, in quo dicta est esse nostra vocatio, quid nisi proue ctus in sapientia est timor domini: is duntaxat qui interim ex fide est, ex quo & nostra iustificatio fit? Quid item nisi consummatio in sapientia est, ipsa quam in fine speramus, de diuina illa & deifica visione glorificatio?

De

De duplici abysso.

CAP. XLIX.

SIc abyssus abyssum inuocat in voce catharactarum tuarum: cùm in terrore iudiciorum suorum immensa illa æternitas, & æterna illa immensitas, cuius sapientiæ non est numerus: cor hominis prauum & inscrutabile mira sua bonitate & potentia educit in admirabile lumen suum, verbi gratia. Ponamus hominem in seculo seculi adhuc, & suæ carnis amore retentũ, & cùm terrestris hominis imaginem portet, incubantem terrenis, nil de cælestibus cogitantem: quis hunc nõ videat horrendis circunfusum tenebris, nisi qui in eadẽ vmbra sedet, quippe cui nullum adhuc suæ signum salutis illuxerit: cui necdũ in aliquo interna testetur inspiratio, an de se boni quippiã æterna teneat prædestinatio? At verò si superna eum miseratio dignanter quandoq; respexerit, immiseritque spiritum compunctionis, quatenus ingemiscat & resipiscat, mutet vitam, domet carnem, amet proximum, clamet ad Deum: proponátq; de cætero viuere Deo non seculo: ex qua deinde superni luminis gratuita visitatione & subita mutatione dexteræ excelsi agnoscat se merito quidem iam non iræ sed gratiæ fi- *vbi suprà.*

lium: quippe qui paternum erga se merito diuinæ bonitatis experitur affectum: quod se vtiq; hactenus intantum latuerat, vt non solùm non nesciret vtrum an dignus amore an odio foret. Verùm etiam odium magis & non amorem propria conuersatio testaretur. Erant enim adhuc tenebræ super faciem abyssi. Nonne is tibi videtur quasi de abysso profundissima ac tenebrosissima horrendæ ignorãtiæ in aliã quandam quoque trahi abyssum è regione amœnã & lucidam claritatis æternę? Et tunc demũ quasi diuidit lucem à tenebris, cùm peccator sole illucescẽte iustitiæ abiectis operibus tenebrarum induitur arma lucis, & is quem prior vita ac propria conscientia tanquam reuera filium gehẽnæ deputauerat ardoribus sempiternis: ad tantã visitantis se orientis ex alto dignationem respirans: gloriari incipit præter spem in spe gloriæ filiorum Dei: quam iam nimirũ è vicino reuelata facie, exultans nouo in lumine speculatur.

De gemino argumento amoris Dei erga nos.

CAP. I.

vbi supra. NEmo se amari diffidat, qui iã amat. Libẽter Dei amor nostrũ, quẽ præuenit

uenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amauit, & necdũ amantes se? Amauit inquam amauit. Habes enim dilectionis pignus spiritum: habes & fidelem testem Iesum & hunc crucifixum. O geminum ipsumque firmissimum erga nos Dei amoris argumentum. Christus moritur & meretur amari. Spiritus afficit, & facit amare. Ille facit cur ametur: iste vt ametur. Ille multam suam dilectionem commẽdat in nobis: iste & dat. In illo cernimus quod amemus: ab isto sumimus vnde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio ex isto affectio. Quanta confusio Dei filium ingratis oculis cernere morientẽ? Quod quidem facilè contingit, si desit spiritus. Nunc autem quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est in nobis, amati amamus, amantes amplius meremur amari. Cũ ergo teneamus geminum nostræ salutis iudicium, geminam sanguinis & spiritus effusionẽ, neutra sine altera prodest. Nam nec spiritus datur, nisi credentibus in crucifixum: nec fides valet, si non operatur ex dilectione: dilectio autem donum spiritus est.

De dup

De duplici consilio bonorum scilicet & malorum.

CAP. LI.

In epistola ad Thomã præpositũ de Berne.

CVm mors animæ peccatũ sit, vita eius sine dubio iustitia est: quoniam iustus ex fide viuit. Iustus autem quis est, nisi qui amanti se Deo vicé repẽdit amoris? Quod non sit, nisi reuelante spiritu per fidem homini in æternũ Dei propositum, super sua salute futura. Quæ sanè reuelatio non est aliud, quàm infusio gratiæ spiritalis, per quam dum carnis facta mortificantur, homo ad regnum præparatur, simul accipiẽs in vno spiritu, & vnde se præsumat amarum, & vnde redamet, ne gratis amatus sit. Hoc vtiq; est illuc sacrum secretumq; consilium, quòd à patre filius in spiritu sancto accipiens, suis quos nouit per eundem spiritum iustificando eos communicat: & cõmunicando eos iustificat, quãdo id quisq; accipit in sui iustificatione: vt incipiat & ipse cognoscere, sicut & cognitus est, cùm videlicet datur & ipsi presentire aliquid de suipsius futura beatitudine: quemadmodum ab æterno latuit in præd estinante plenius appariturum in beatificante, de qua iam percepta suimet ex parte notitia, interim

terim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate. Quàm miserãdi, qui ad tam iocundum iustorum consilium nullũ adhuc tenẽt suæ vocationis testimonium? Sed habetis & vos ô infelices amatores seculi malè securi, vestrum seorsum à iustis consilium. Squama squamæ coniungitur, & non est spiraculum in vobis. Habetis inquam, & vos ô impij, communicatum adinuicem cõsilium, sed planè aduersum dominũ & aduersus Christũ eius. Etenim si dicente scriptura, pietas est cultus Dei: profecto quisquis amat plus mundum quàm Deũ, impius atq; idololatra esse conuincitur: colens & seruiens creaturæ potius quã creatori. Habẽtibus autem (vt dictum est) sanctis atque impiis suum ad se quibusque consilium: magnum proculdubio inter vtrosque chaos firmatum est. Nam quomodo iustus longè se facit à consilio, & consilio malignantium, ita nec impij resurgunt omnino in iudicio: neque peccatores in consilio iustorum.

De profectu & defectu.

CAP. LII.

PErfectus non habet, quo proficiat. Et qui proficit, eoipso quo proficit, perfectus non esse cõuincitur. Porrò, vera virtus *In epist. ad Garinũ abbatem.*

finem

finem nescit, tempore non clauditur. Nec vnquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est: sed semper esurit, sitítq; iustitiam: ita vt si semper viueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribꝰ conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus instar mercennarij, sed inæternum diuino se mancipat famulatui. Proinde iustitia eius manet non aliquanto tempore, sed in seculum seculi. Sempiterna itaque iusti esuries, sempiternam meretur refectionem. Et licet in breui consumetur pro tempore, iudicatur tamen expleſſe tempora multa pro virtutis perpetuitate. Quæ deniq; poterit temporum breuitas bonorum præiudicare deuotioni, quæ pertinacem reproborum maliciam excusare non sufficit? Ob hoc enim proculdubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum: licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore, vel opere, longum esse cõstat in pertinaci voluntate: ita vt si nunquã moreretur, nunquam velle peccare desineret imò semper viuere vellet vt semp peccare posset. Itaq; indefessum proficiẽdi studiũ, & iugis conatus ad perfectionẽ perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni esse perfe

perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est. Nõ est stare omnino, neq; in incerto huius mortalis vitæ quicquam in eodem statu permanet: aut ascendas necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult: & vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere non nisi deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit: sed vel ascendere vel descendere videbantur vniuersi: quatenus palam daretur intelligi inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri: sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè, aut crescere constat, aut decrescere: sic necesse sit & spiritum, aut proficere, aut deficere.

De *duplici consideratione sui.*

CAP. LIII.

NOnnunquam de anima mea cogitãs, videor mihi in ea fateor velut duo quædam contraria inuenire: si ipsam prout in se est, & ex se iuxta rei veritatẽ intueor. Etiam nihil de ea verius sentire possum, quàm ad nihilum esse redactã. Quid modò necesse est singulas eius miserias numerare, quàm sit

In ferm. de dedicatione. qui incipit Etiam hodie.

sit onerata peccatis, offusa renebris, irretita illecebris, pruriens cõcupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper in malum, in vitium omne procliuis, postremò totius confusionis & ignominiæ plena? Facilè est cuiq; nostrum, si sua plenius vniuersa & sine dissimulatione vestiget & iudicet, sine acceptione personę attestari per omnia apostolicæ veritati, & liberè proclamare. Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo, quia magnificas eum, ait fidelis & deuota confessio: aut quid apponis erga eum cor tuum? Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor diuinum? Respiremus fratres etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei põt aliquid latere de nobis. O pater misericordiarum. O miserorum pater. Quid apponis erga eum cor tuum? Scio scio vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te: & tanquam nihilum & inane reputatæ sunt. Sic quidem ante te, sed non sic intra te: sic in iudicio veritatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et non sunt ergo, quia quæ non sunt vocas, & sunt quia vocas. Licet enim non sint quantum ad se, apud te tamen sunt: vtiq; iuxta apostolum, nõ ex operibus, sed ex vocante. Sic nimirum sic consolaris in pietate tua, quem in veritate tua humiliasti, vt magnificè dilatetur in tuis, qui meritò angustiatur in visceribus suis. Quid est inquit homo, quia magnificas eum? Magnus itaq;, sed in illo siquidem magnificatus ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna est cura de eo? Propterea sanè geminam illam considerationem, alteram quidem iudicij & veritatis, alteram verò non incongruè vocari credimus fidei & pietatis. Nec mirabere in humanis qualitatibus tam dissimilia reperiri, si solerter aduertas quanta & in ipsa eius substantia cõuenisse videtur diuersitas naturarum. Quid enim vita sublimius, quid verò humilius limo terræ? Quam profectò tam discohærentiũ in homine cohærentiam rerũ ipsos quoq; sapientes seculi huius arbitror nõ latuisse, cùm hominem diffinirent animal rationale mortale? Mirabilis siquidem copula rationis & mortis. Mira societas discretionis

& corruptionis. Sic nimirum, sic in cordibus, sic in affectionibus, sic in studiis hominum, non minor fortè & amplior contrarietas inuenitur, vt si totam prauitatem seorsum intuearis, ac rursum quicquid boni videtur inesse consideres, figillatim plenum censeas esse miraculo, quòd tam aduersa conueniant. Iam si in vtraq; consideratione diligenter inspexerimus nos quid sumus, imò in vna quàm nihilari, in altera quàm magnificari, quippe pro quibus etiã solicitudinem gerat tanta maiestas, & cor suum apponat erga nos, puto temperata videtur gloriatio nostra: sed forte aucta est, solidata tamen: vt non in nobis sed in domino gloriemur.

De *duplici pudore.*

CAP. LIIII.

In libro de laude nouæ militiæ cap. 12.

EST pudor adducens peccatum, & est pudor adducens gloriam. Bonus pudor, quo peccasse, aut certè peccare cõfunderis. Et licet omnis humanꝰ arbiter fortè absit, diuinum tamen quàm humanũ tanto verecundius reuereris aspectum, quantò & verius Deum quàm hominem cogitas puriorem. Tantóq; eũ grauius offendi à peccante quantò constat longius ab illo esse omne

omne peccatũ. Huiusce modi proculdubio pudor fugat peccatum opprobrij: parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certè admissum & pœnitendo punit, & confitẽdo expellit. Si tamen etiam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quod si quispiam cõfiteri confunditur, id quoq; vnde compungitur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quãdo malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere: pudor ineptus obstruso labiorum ostio, non permittit exire. O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris & honestatis. Ita ne verecundum est homini vinci à Deo, & probro ducitur humiliari sub potenti manu altissimi? Summum victoriæ genus diuinæ cedere maiestati & autoritati matris ecclesiæ non reluctari: sumus honor & gloria. O peruersitas. Non pudet inquinari, & ablui pudet. Est pudor iuxta sapientem adducens gloriam, si videlicet peccare pudeat, si non pudeat vel peccasse. Et illa vel sera gloria nota carebit, reducente nimirum pudore quam culpa fugauerat.

In quibus. dictis.

De lege & gratia.

CAP. LV.

Super cãt. Serm. 30.

NOn sicut gratia, ita & lex. Quàm dissimili vultu ad omnẽ conscientiam se offerunt suauitas huius & austeritas illius? Quis sanè ex æquo respiciat condẽnantẽ & consolantem, reposcentem & ignoscentem, plectentem & amplectentẽ: non pari profecto amplexabitur voto vmbra & lux, ira & pax, iudicium & misericordia, figura & veritas, virga & hæreditas, frenũ & osculũ? Graues deniq; Moysi manus testibus Aaron & Hur. Graue legis iugum testibus ipsis apostolis, quod & sibi & fratribus importabile clamitãt. Graue iugum & vile præmium: nam terra est in promissione. Verũ tu mater ecclesia promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ, facilè in duplici gratia obtines ab vniuersis te recipi, & propter iugum suaue: & propter regnum sublime pulsa de ciuitate, ab vniuersitate exciperis, dum prouocat sic quod promittis, vt quod imponis non terreat.

De dup

De duplici genere præceptorum.

CAP. LVI.

DVplex in lege veteri præceptorum genus inuenio. Sunt enim moralia quæ *sententijs.* dam: vt est, Non concupisces, non adulteraberis, honora patrem & matrem, & his similia: Sunt etiam figuratiua & vmbratilia quædam, vt est taurorũ immolatio, & sanguis hircorum. Veruntamen carnalis ille populus nec illa implere poterat, nec in his obtinere salutem. Quæ enim consequẽtia rationis, vt homine peccante aries immolaretur? Nouerat dominus Iudæorum corda carnalia: vnde & carnalia eis tradidit sacramenta, quæ non possent iuxta conscientiam perfectum facere seruientem in iustitiis carnis. Venit proinde plenus gratia & veritate Christus domin' noster, vt ex hoc iam mortalia quidem impleantur per gratiam. Quæ verò vmbratilia & mistica fuerant reuelata veritate, deinceps non ad literam obseruẽtur, sed secundũ spiritum spiritualiter intelligantur: propterea iam non aries vel taurus homine peccãte mactautr, sed viua corporis hostia: rationabile & acceptabile sacrificium in ieiuniis & laboribus veniam pariter merentur & gratiam.

De duplici ira Dei.

CAP. LVII.

Super cãt. sermo 42. SIzelus domini te deseruit & amor, nec eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Tunc enim magis irascitur Deus, cũ non irascitur. Misereamur impio (inquit) & non discet facere iustitiam. Misericordiã hãc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista, sapiens iustitiæ mihi vias. Volo mihi irascaris pater misericordiarum, sed illa ira qua corrigis deuium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animaduersio parit: hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non cùm ego nescio, sed cùm sentio te iratum, tũc maximè confido propitium. Etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

De *duobus diebus.*

CAP. LVIII.

In ser. de vigilanata. domi. qui incip. Hodie sctetis. SEcundum æstimationem meam duo sunt dies. Primus, qui à primi hominis lapsu labitur vsque ad finem mundi. Dies cui sancti sæpius maledixisse noscuntur, ab illa enim lucidissima die in qua conditus fuerat Adam, deiectus est: & in has rerum cõtrusus angustias, diẽ tenebrarum incur

incurrit, penè à lumine veritatis extinctus. In hac die nascimur vniuersi, si tamen dies debet, & nõ potius nox nominari: nisi quòd lumen rationis quasi quãdã scintillam nobis insuperabilis illa misericordia reliquit.

Propterea huic diei maledicere sancti, breuem optantes, & citò verti in tenebras, eò quòd sit contradictionis & contentionis dies, dum non cesset in ea caro concupiscere aduersus spiritum, legíque mentis membrorum contraria lex rebellione in fatigabili contradicat. Extunc deinceps quis est homo qui viuet & non videbit mortem? dicat pro ira, quis ego non minus pro misericordia dictum putem, ne electos suos propter quos omnia fiunt, diu fatiget molesta contradictio, qua captiui ducuntur, & ipsi in lege peccati quæ est in membris ipsorum: horrent nimirum, ægerrimèque ferunt turpem captiuitatem & tristem contentionem. *In quibus. dictis.*

Secunda verò dies erit in splendoribus sanctorum in perpetuas æternitates, cùm inclaruerit illud serenissimum manè cui est misericordia repromissa, & absorpta erit nox in victoria cum dimotis vmbris ac tenebris splendor veræ lucis sursum & deorsum interius & exterius cuncta pariter occupabit.

Quod ob duplicem causam nobis Deus ministrat temporalia.

CAP. LIX.

Sup. psal. Qui habitat. ser. 5.

TEmporalia nobis pater noster cęlestis benignissima pietate ministrat ob duplicę scilicet causam, ne vel omnino crederem' infensum, si ista frustra negaret, & sic desperaremus, vel illorum nimia solicitudo spiritualis exercitij fieret detrimentū. Sine his enim, neque viuere, neque Deo seruire est. Cæterùm quantò strictius, tantò melius. Omnino militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est, carnem magnam, vt ita dixerim, sterilitatē atque penuriam rerum temporalium donat: nec vult eos illarum multitudine prægrauari. In superioribus verò ampliorem latitudinem & abundantiam gratiæ spiritalis.

De prosperitate & aduersitate.

CAP. LX.

In ramis palmarū. sermo. 3.

VT temperantię est præconia populi & seculi huius prospera declinare, sic interdum iustitia est certa quidem dispensatione admittere ea. Persecutio quoq; & tęporalis omnis aduersitas pro loco & tępore prudenter aliquando fugienda erit: cùm autem necesse fuerit viriliter toleranda Et in his

his quidem duobus prosperitatem & aduersitatē loquor, humana omnis via versatur.

Vbi suprà. serm. 2.

Istis enim mistum est præsens seculum non secularibus tantùm, sed etiam spiritualibus viris. Nam & secularibus aliquando quæ placent, quandoque quæ displicent videmus accidere: & ipsis nihilominus spiritualibus non semper tristia, nō semper lęta succedunt: sed vespere & mane dies vnus. Verum hæc interim dum præsens seculum manet vel magis manat & fluit. Cæterùm post hoc seculū duo futura secula sunt valde diuisa & diuersa: ita vt in altero non sit nisi fletus & stridor dentiū: in altero solùm gratiarum actio & vox laudis. Interim sicut amatores mundi multa patiūtur aduersa, ita nec ipsis seruis dei omnia in hoc mūdo optata succedunt. In die ergo malorum memores sint bonorum, ne pusillanimes fiant & impatientes. In die quoque bonorum non immemores sint malorum, ne extollantur & dicant in abundantia sua, non mouebimur inæternum. Sicut enim secularium rerum prosperitas occidit stultum secularem, sic potest & abundātia spiritualis prosperitatis occidere indoctum spiritualem, atque ideo non spiritualem: spiritualis quippe diiudicat omnia. Licet enim multos frangat aduersitas, tamen multos

plures extollit prosperitas. Denique, quia vtrobique periculum est, orat sapiens & dicit, Diuitias & paupertates ne dederis mihi, ne forte aut diuitiæ extollerent in superbiã, aut paupertas deiiceret in impatiẽtiam.

In 2. libro de consideratione.

Quàm rarus semper extitit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxarit à sui custodia & disciplina: quando hæc non fuit incautis ad disciplinam, quòd ignis ad cæram, quòd solis radius ad niuem vel glaciem? Sapiens Dauid, sapientior Salomon erat: sed blandientibus nimis prosperis & secundis rebus: alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in aduersa, non excidit, vel parum à sapientia: nec minor cui præsens prosperitas si arrisit non irrisit: quanquam facilius inueneris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quàm qui propria nõ perdiderunt. Præferendus etiam ille, & magnus est cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit.

De gemina vnitate bonorum.

De assumptione beatæ Mariæ. sermo. 5.

CAP. LXI.

VNitas bonorum gemina est. Alia est enim quæ iustificat, alia quæ glorificat

ficat. Illa meritum, ista præmium est. Vnitas quæ iustificat, nunc potissimùm necessaria est. Ipsa est enim decus suauitatis, quã dulcedine sacra insonat psalmista. Ecce quàm bonum, & quàm iocũdum, habitare fratres in vnũ. Ipsa est vnitas quam summa diligentia obseruandam tradidit Apostolus, dicens. Soliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis. Seruatur autem hoc vnitatis bonum duobus modis ab his, qui curam gerunt seruandi. Debet quisque perfectus vnitatem habere ad seipsum: debet & ad proximum. Ad seipsum per integritatem, ad proximum per confirmitatem. Omnis quippe creatura & maximè rationalis, debet suum principium imitari. Cùm igitur Deus noster sit vnus & idẽ, atque in seipso perfectus, nec vllo indigẽs, inest ei tamẽ benignitas erga nos, & amor ex beniuolentia in nos veniens. Debemus & nos quisque sibi vnus esse per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis. Sed hanc vnitatem quam quenque sibiipsi diximus debere habere, tria sunt quæ impedire solent. Nimietas, pusillanimitas, leuitas. Et nimij quidem sunt, qui putant se posse quæ non possunt: & quæ nò acceperunt præsumunt. Pusillanimes contrarij sunt nimis. Leues

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& inconstantes sunt, qui circunferuntur omni vento doctrinæ, quibus quod ante placuit nunc displicet: & quod nunc eligunt, pòst paululum reprobant. Sed quid prodest hæc vitia enumerasse, nisi etiam doceamus quibus remediis ea possit in seipso quisquis curare? Igitur contra nimietatem opponenda est consideratio propriæ fragilitatis. Ipsa est enim quæ odiosam præsumptionem potissimum deiecit. Contra pusillanimitatem habēda est diuinæ potestatis fiducia, vt quibus viribus te non posse putas, ex illius adiutorio possis. Contra leuitatem adhibenda est consultatio senioris, ne scilicet doctrinis variis & peregrinis abducaris. Vnitas etiam illa quam habet quisque ad proximum, duob⁹ modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum, & alterius quoq; vicissim in nobis recipimus affectum. Et hoc etiam duobus modis impeditur, obstinatione & susceptione. Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi: suspicio patitur credere nos ab aliis amari. Ita fit, vt dum nec nos alium obstinati diligimus, nec ab aliis diligi nos suspicioſi putamus: & sic vnitas quæ cum proximis habenda est, impediatur: verùm huic duplici morbo duplex charitas medetur. Illa scilicet quæ non sua quærit, & iterum illa

illa quæ omnia credit. Habeat obstinatus charitatem, non quærentem quæ sua sunt, & alios diligat. Habeat suspicioſus charitatem omnia credentem, & ab aliis se diligi sine dubio credat.

De duplici generatione.

CAP. LXII.

In sermo. de diligendo Deo.

QVandiu stare præsens cernitur secu lum, in quo generatio aduenit: & generatio præterit, non deerit electis cōsolatio de memoria Dei, quibus non dū de præsentia plena refectio indulgetur. Iustū quippe est, vt quos præsentia nō delectant, præsto eis sit memoria futurorum: & qui de rerū fluentiū qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium dominum, quærentium non quæ sua sunt, sed faciem Dei Iacob. Dei ergo quærentibus & suspirantibus præsentiam præsto interim & dulcis memoria est: non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant vnde satientur. Væ tibi generatio praua atque peruersa. Væ tibi populе stulte & insipiens, qui & memoriam fastidis, & præsentiam expaueſcis. Merito quidem. Nec enim

enim modo liberari vis de laqueo venantium. Siquidem qui diuites volunt fieri in hoc seculo, incidunt in laqueum diaboli: nec tunc à verbo aspero liberari poteris. O verbum asperum. O sermo durus. Ite maledicti in ignem. Atverò generatio rectorum benedicetur, qui vtique cum apostolo siue absentes siue præsentes contẽdunt placere Deo. Tunc illa generatio quæ non direxit cor suum, & nõ est creditus cum Deo spiritus eius. sed magis sperans in incerto diuitiarum: serò quidem experietur, quàm in illius cõparatione doloris iugũ Christi suaue & onus leue fuerit: cui tanquam graui & aspero, duram ceruicem superbè subduxit. Non potestis ô miseri, seruire mammonæ: simul post aurum abire, & probare quàm suauis est dominus. Proinde quem suauem in memoria non sentitis, asperum procul dubio in præsentia sentietis. Cæterùm, fidelis anima, & suspirat præsentiam ardenter, & in memoria requiescit suauiter.

De fide & specie.

CAP. LXIII.

Super cãt. serm. 31. VIuimus in vmbra Christi, qui per fidem ambulamus: & carne ipsius pascimur vt viuamus. Caro enim Christi verè est

est cibus: at illud sanũ donec viuimus inter gentes. Nam inter angelos aliter, quando iam indifferẽte omnino felicitate cum ipsis videbimus eum sicuti est, hoc est in forma Dei, & non in vmbra. Quomodo enim non est distinctio eius, qui per fidem ambulat, & illius qui per speciem? Ergo iustus ex fide viuit: beatus exultat in specie. Et ideo sanctus homo interim viuit in vmbra Christi: sanctus angelus in splendore vultus gloriæ gloriatur. Et bona fidei vmbra quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum prępărat luci. Quicquid sanè est illud quòd videt angelus, hoc mihi fidei vmbra seruat fideli sinu repositum. in tempore reuelandum. An non expedit tenere vel inuolutũ, quod nudum non capis?

Vmbra Christi caro eius. Vmbra eius fides. Quomodo mihi non vmbrat caro, qui in mysterio mãduco eam? In vmbra sumus, quandiu per fidem ambulamus, & non per speciem: & ideo iustus in vmbra qui ex fide viuit. At qui viuit ex intellectu beatus est: quia non in vmbra sed in lumine: Prius venire ad vmbram, & ita ad id cuius vmbra est pertransire. Vide ergo vt viuas in vmbra eius, vt quãdoq; regnes in lumine eius. Nec enim tantùm habet vmbram, habet & lucem. Ipse per carnem vmbra est fidei: *Super cãt. ser. 48.*

ipse

ipse est intelligentiæ lumen per spiritum, & caro enim est & spiritus. Caro in carne manẽtibus, spiritus in futuro. Nos verò interim Christi carne pascamur, mysteria veneremur, exempla sectemur, fidem seruemus, & viuimus profectò in vmbra.

De *duobus quæ in intentione necessaria sunt.*

CAP. LXIIII.

In quibus. dicis. PVra erit intentio, si in omni actione nostra, aut honorẽ Dei, aut ædificationẽ proximi, aut bonã conscientiã quæramus. Duo quidẽ in intentione necessaria requiruntur. Res & causã, id est, quid intẽdas, & propter quid. Ex his sanè duob⁹, animæ vel decus vel deformitas iudicatur, verbi causa: Si intendat quis animũ inquirendæ veritati, atq; id solo veritatis amore, nõne is tibi videtur & rem & causam habere honestã? Quid si minimè quidẽ veritatis desiderio, sed aut inanis gloriæ, aut alteri⁹ qualiscunq; cõmodi temporalis obtẽtu in veritatẽ intẽderit? Iam etsi vnã partem bipartitæ intentionis videatur habere formosam, non tamen, vt arbitror, dubitabis iudicare vel ex parte deformem, cuius alteram partem causæ turpitudo fœdauerit. Si autem

tem vides hominem nullis honestis studiis intendentem, sed carnis irretitum illecebris ventri & luxuriæ deditum, quid istum, nonne ex vtraque parte fœdissimum iudicabis, in cuius vtique intentione, & res, & causa reproba inuenitur? Ergo intẽdere nõ in Deũ, sed in seculũ, secularis animæ est: nec vllam prorsus partem speciosam habentis. Intendere autem quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritę planè animę est: cuius etsi vna pars decora videtur quodad Deum quacunque intentione respiciat, ipsa tamen simulatio omnein ea decorum exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel solum vel maximè ob vitæ præsentis necessaria, ad Deum conuertetit intẽtionem, non quidẽ fœdæ hypocrisis putridam pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram & minus acceptam. Porrò, intendere in aliud quã in Deum, tamen propter Deum non ocium Mariæ, sed Marthæ negotium est, Absit autem, vt quę huiusmodi est, quicquam illam dixerim habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmauerim peruenisse decoris, quippe quę adhuc solicita est, & turbatur erga plurima: & nõ potest terrenorum actuum vel tenui puluere non respergi. Ergo solum Deum inquirere propter ipsum solum, hoc planè est vtramque

bipartitæ intentionis partem habere, pulcherrimam, atque id proprium ac speciale sponsæ Christi.

De gratia & libero arbitrio.
CAP. LXV.

In libr. de gratia & libero arbitrio.

LIberum arbitrium saluatur. Tolle liberum arbitrium, non erit qui saluetur. Tolle gratiam, nō erit vnde saluetur. Opus hoc sine duobus fieri non potest: vno à quo fit, altero cui vel in quo fit. Deus author salutis est. Liberum arbitrium tantum capax est. Nec dare illam nisi Deus, nec capere valet, nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absque cōsensu esse nō potest accipientis, quā absque gratia dantis. Et ita gratia operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitriū dum consentit, hoc est dum saluatur. Cōsentire enim saluari est. Proinde, pecoris spiritus salutē huiuscemodi minime capit, quòd illi voluntarius consensus desit, quo saluāti videlicet Deo placidè obtemperet: siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddenti gratias agendo.

De

De voluntario consensu & naturali appetitu.
CAP. LXVI.

ALiud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus. Posterior quippe nobis communis est cum irrationabilibus, nec valet consentire spiritui carnis irretitus illecebris. Hunc communem habentes cum bestiis, consensus voluntarius nos discernit. Etenim habitus animi liber sui: siquidem non cogitur nec extorquetur. Est quippe voluntatis non necessitatis: nec negat se, nec præbet se cuiquam, nisi ex voluntate. Alioquin si compelli valet inuitus violentus est non voluntarius. Vbi autem voluntas non est, nec consensus. Non enim est consensus nisi voluntarius. vbi ergo consensus, ibi voluntas. Porrò, vbi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium. *vbi suprà*

Quid habeamus ex gratia, quid ex libero arbitrio.
CAP. LXVII.

VElle inest nobis ex libero arbitrio, nō etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum aut velle malum, sed velle tantum. Velle etenim bonum, profectus est. vel

le malum, defectus. Velle verò simpliciter ipsum est, quod vel proficit vel deficit. Porrò ipsum vt esset, creans gratia fecit: vt proficiat, saluans gratia fecit: vt deficiat, ipsum se deiecit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beniuolos. Ex ipso est nobis velle, & ex ipsa bonum velle. Quemadmodum nanq; aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum, & aliud amare, & aliud amare Deum. Timere quippe & amare simpliciter quidem prolata, affectiones cum additamento autem virtutes significant. Ita quoq; aliud est velle, aliud velle bonũ. Simplices nanque affectiones insunt naturaliter nobis tanquam ex nobis additamẽta ex gratia. Nec aliud profecto est, nisi quod gratia ordinat, quas donauit creatio: vt nil aliud sint virtutes nisi ordinatæ affectiones. A Deo igitur velle quomodo & timere quomodo & amare accepimus in cõditione naturę: vt essemus aliqua creatura. Velle autem bonum quomodo & timere Deum, quomodo & amare Deum accipimus in visitatione gratiæ. vt simus Dei creatura.

De

De præsentia nostra cum Deo, & peregrinatione nostra ab ipso.

CAP. LXVIII.

In lib. de præcep. & dispẽsatio

INquantum cognoscimus tanquam præsentia contemplantes, iam cum domino sumus. Inquantum adhuc tanquã de futuris prophetamus credentes, quæ non intelligimus sperantes quæ non videmus, à domino peregrinamur & incorpore. Vel aliter. Habemus & vnde corpori, & vnde domino inheræmus: illud viuificando & sanctificando: illum credendo & diligendo: neq; enim præsentior spiritus noster est vbi animat, quàm vbi amat: nisi fortè magis esse putetur vbi inuitus & ex necessitate tenetur, quàm quo sponte & alacri fertur voluntate. Denique vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. Item si Deum amãs, anima ex ipso viuit, vt corpus ex ipsa, quo pacto quæso presentior esse contenditur, vbi dat quàm vnde accipit vitam? Fons siquidẽ vitæ charitas est: nec viuere animam dixerim, quæ ex illo non hauserit. Haurire portò quomodo potest, nisi fuerit presens illi fonti, qui charitas est, quæ Deus est? Presens igitur Deo est, quid Deum amat, in quam amat, in quo enim minus amat, absens profecto est. In eo autem mi-

nus Deum amare conuincitur, quod carnis adhuc necessitatib' occupatur. Illa verò circa corpus occupatio, quid est nisi a Deo quę dã absentatio? Et absentatio quid, nisi peregrinatio? Et peregrinamur ergo à domino, & in corpore peregrinamur, cuius nostra nimirum & intentio prępeditur: erũnis & curis charitas fatigatur.

De virtute & sapientia

CAP. LXIX.

super cãt. sermo. 85. DOnum Dei est virtus deputanda in datis optimis. Cognata virtus sapientiæ est. Vnum tamen in anima effectum nõ habent, sed ad illius varias & diuersas necessitates veluti diuersa sese participanda accõmodant. Iuxta quã rationem aliud est animo virtute agi, & aliud sapientia regi, aliud dominari in virtute, aliud in suauitate deliciari. Vigor nanque virtutem, sapientiam placiditas animi, cum spiritali quadam suauitate demõstrat. Igitur stare, resistere, vim vi repellere, quæ vtique in partibus virtutis deputantur, honor quidẽ, sed labor est. Nõ est enim idipsum honorẽ laborioſe defendere, & quietè possidere. Non est idem virtute agi & virtute frui. Quicquid virtus elaborat, sapientia fruitur: & quicquid sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virt' exequitur

tur. Sapientiam scribe in ocio, ait sapiens. Ergo sapientiæ ocia negotia sunt: & quò ocioſior sapientia, eò exercitatior in genere suo. E regione virtus exercitata clarior est: eóq; probatior, quò officioſior. Et si quis sapientiam virtutis amorem definierit, non mihi avero deuiare videtur. Vbi autẽ amor est, labor nõ est, sed sapor. Et fortè sapientia à sapore denominatur. Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Ex quo cordis nõstri palatum sensu carnis prędalente fluxit virus serpentis antiqui: cœpit animæ desipere bonũ ac sapor noxius subintrare. Insipientia mulieris saporem boni exclusit: quia serpentis malicia mulieris insipiẽciam circunuenit. Sed nunc assiduè sapientia vincit malicia in mentibus, ad quas intrauerit, saporem mali quem illa inuexit saporẽ exterminans meliori. Intrãs sapientia, dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum: cordis palatum sanat & reparat. Sano palato iam sapit, bonũ, sapit ipsa sapientia qua in bonis nullum melius. Quàm multa fiunt bona, & non sapiunt facientibus: siquidem non sapore boni ad illa, sed aut ratione aut quacunque occasione seu necessitate impelluntur. Et ecõtrario multis qua-

faciunt non sapiunt mala, sed ad hoc inducuntur aut metu aut cupiditate rei cuiuspiã potius quàm sapore mali. Qui autem transierũt in affectum cordis aut sapientes sunt: & ipso delectãtur sapore boni, aut, maligni sunt: & in ipsa sibi cõplacent malicia, etiam nulla spe alterius commodi blandiente. Malicia verò quid nisi sapor est mali? Beata mens, quam sibi totam vendicauit, sapor boni & odium mali. Hoc est sapientiæ victoriam feliciter experiri. Nã sapientia vincere maliciam comprobatur, cùm excluso sapore mali qui non aliud quàm ipsa malicia est, boni quidam intimus sapor, mentis intima occupare tota suauitate sentitur. Itaque ad virtutem spectat tribulationes fortiter sustinere: ad sapientiam gaudere in tribulationibus. Confortare cor tuum & sustinere dominũ virtutis est: gustare & videre quàm suauis est dominus, sapientiæ est. Modestia animi probat sapientem: constantia virum virtutis ostendit. In virtute stabilitas, in sapientia maturitas.

De actiua vita & contemplatiua.

CAP. LXX.

Super cant. ser. 46.

FOrte appetis contemplationis quietem, & benefacis: ergo cura virtutum exercitio

tio sanctum ocium præuenire. Alioquin delicato satis ocio dormitare voles, si nõ exercitatus quiescere appetis: & Lyę fœcũditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed etiam præposterus ordo est ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum. Non igitur putes de proprio amore quietis sanctæ obedientiæ actibus seniorũ, vel traditionibus præiudicium vllatenus faciendum: alioquin nõ approbat dominus tuæ contẽplationis inane sanè ocium, propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatúsquenõ veniet: nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, vt mori quàm non obedire maluerit. Ex bonis operibus recipiet consolationem mens assueta quietis, quoties sibi lux, vt assolet, contemplationis subtrahitur. Quis enim non dico continuè, sed vel diu dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur? At quoties corruit à contemplatiua, toties in actiuam se recipit. Inde nimirum tanquam è vicino familiarius reditura in idipsum: quoniam sunt inuicem contubernales hæ duæ, & cohabitant pariter. Est quippe soror Marię Martha. Neque enim & si à contemplatonis lumine aliquis quouismodo cadat, decidereué possit, patitur tamen vllatenus se incidente tene

Super cãt. sermo. 51.

bras peccati, seu ignauiam ocij sanè in luce bonæ operationis se retinens. Loquor vobis experimentum meum quod expertus sum. Si quando sanè comperi profeciſſe aliquos vestrum ex meis monitis, tunc nō me piguit fateor curā prætuliſſe sermonis proprio ocio & quieti. Parienter auellor ab infœcūdæ Rachelis amplexibus, vt mihi exuberēt fructus profectuum vestrorum. Charitas enim non quærit quæ sua sunt: id mihi iam dudum facile persuasit, nil secundum desiderabilium meorum vestris præferre vtilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, etsi qua sunt talia spiritualis studij lucra: hæc arbitratus sum propter vos detrimenta. Hoc si quidem vera & casta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne vehementer acenderit, tanto repleat zelo & desiderio acquirēdi Deo, qui eum simpliciter diligant, vt ocium contemplationis pro studio prædicationis libentiſsimè intermittant. Et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tantò ardētius redeat in idipsum quantò fructuoſius intermiſisse meminerit. Et item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. Cæterum inter has viciſsitudines plerumque mens fluctuat, meruens & vehementer exestuās, ne fortè alteri horum dum

super cāt. sermo. 57.

dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus iusto inhæreat, & sic in vtrolibet vel ad modicum à diuina deuiet voluntate. Vnicum quippe in huiusmodi remedium vel refugium oratio est: & frequens gemitus ad Deum: vt quid, quando, & quatenus nos facere velit, assiduè nobis demonstrare dignetur.

De duobus generibus pariendi in spirituali matrimonio.

CAP. LXXI.

IN spirituali matrimonio duo sunt genera pariendi: & ex hoc etiam diuersæ soboles sed non aduersæ: cum sanctę matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc vltimo genere interdum exceditur, & seceditur etiam à corporeis sensibus, vt sese non sentiat quæ verbum sentit. Hoc fit cū mens ineffabili verbi illecta dulcedine quodāmodo se sibi furatur imò rapitur atq; illabitur à seipsa, vt verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mēs fructificās verbo, aliter fruēs verbo. Illic solicitat necessitas proximi, hic inuitat suauitas verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus sponsa lętior. Chara pignora filiorū sed oscula plus delectant; bonū est saluare multos, excedere autē & cū verbo esse multò iocun

super cās. serm. 85.

cundius. At quando hoc? Aut quandiu hoc? Dulce commerciũ, sed breue momentum, & experimentum rarum. Hoc quisquis curiosus es scire quid sit, hoc verbo frui para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, docet gratia

De duplici excessu.

CAP. LXXIII.

Supercãt. sermo. 52. INter medios laqueos in hac vita incedi-tur, qui vtiq; toties non timentur, quoties sancta aliqua & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur: si tamen eo vsq; mente secedat & auolet, vt hunc communem transcẽdat vsum & consuetudinem cogitandi. Etenim frustra iacitur rete ante oculos pẽnatorum. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vita, certe vitę sensu nescece est etiam, vt nec vitę tentatio sentiatur. Vtinam hac morte ego frequẽter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sentiam, vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos: ad angores sollicitudinum & molestias curarũ. Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla illam illaqueet iniustitia, nulla oblectet iniquitas.

Bo

Bona mors, quæ vitam nõ aufert, sed transfert in melius: bona qua non corpus cadit, sed anima subleuatur, quæ sensum non sopiat, sed abducat: non vita, sed vitæ eripiat laqueis. Verùm hoc hominum est. Sed moriatur anima mea morte, si dici potest, etiã angelorum, vt presentium memoria excedens, rerum se inferiorum corporearúmq; non modô cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat: sitq; ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis vt opinor excessus, aut tantùm aut maximè cõtẽplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus viuendo non teneri humanæ virtutis est: corporum verò similitudinibus speculando non inuolui, angelicæ puritatis est, vtrunq; tamen diuini muneris est. Vtrunq; excedere, vtrunq; teipsum transcẽdere est, sed longè vnum, & alterum non longè. Transiisti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiscentiis eius: nec tenearis illecebris: profeciisti separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndiq; fantasmata corporearum similitudinum, transuolare mentis puritate præualeas. Huc vsq; noli tibi promittere requiem. Erras, si citra inuenire te æstimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis.

De

De duplici promissione domini, quæ exhibetur seculi contemptoribus.

CAP. LXXIIII.

Super ipsa qui habi. Ser. 4.

GEmina promissio domini scilicet vitæ eius quæ nunc est, & futuræ. Si enim solum promitteret regnum, & in itinere deesset viaticum, omnino conquererentur homines & respõderent. Magnum quidem est quod promittitur: sed perueniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc seculum vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc seculo centuplum prout dētissima pietate promisit. Centuplum consolatio præsentis laboris, vita æterna futuræ felicitatis consummatio est. Sic nimirum & operariis huius seculi, solet cibus in opere, merces in fine dari. Datum optimum & centuplũ hoc de sursum est descendens à patre luminum, manna absconditum est: quod victori promittitur, nomẽ nouum est: quod nemo scit nisi qui accipit. An non omnia possidet, cui omnia cooperãtur in bonum? An non centuplum habet, omnium qui impletur spiritu sancto, qui Christum habet in pectore: nisi quòd longè plus quàm centuplum est visitatio paracliti spiritus & præsentia Christi? Hoc centuplum adop

In quibus dã dictis.

adopptio filiorum est libertas & primitiæ spiritus, delicię charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei: non vtiq; esca vel potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Gaudium sanè non modò in spe glorię, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehemẽter accendi. Hęc virtus ex alto, quæ Andræam fecit desiderare crucem. Laurentium irridere carnificem, Stephanum in morte pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quã Christus suis reliquit, quando dedit & suam. Si quidem donum & pax est electis Dei: pax vtiq; & donum futuræ. Illa superat omnem sensum, & huic quicquid sub sole placet, quicquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hęc gratia, deuotionis, & hæc vnctio quæ docet de omnibus quam expertus nouit, inexpertus ignorat, quam nemo scit, nisi qui accipit. Hoc centuplum est, quod in hoc seculo seculi contemptoribus exhibetur. Nec tibi illud nostro sperueris eloquio commendandum: solus est spiritus qui reuelat sine causa paginam consulis, experientiam magis require. Sapientia est cuius precium nescit homo: de occultis trahitur, nec in terra suauiter viuentium inuenitur ista suauitas. Nimirum suauitas domini est, nisi

gustaue

gustaueris, non videbis. Non illud eruditio, sed vnctio docet: nec scientia, sed con sciencia compræhendit. Manna enim est omnem saporem habens, & odoris delecta tionem: requies est vera & syncera, suauis & salubris. iocunda & sancta. Hæc est promissio vitæ præsentis. Nam promissionem futurę quis explicet? Si expectatio iustorum est lætitia, & tanta lætitia, vt omne quod desideratur in seculo ei non valeat operari, ipsum quod expectatur quid erit? Oculus non vidit, Deus absq; te, quæ præparasti diligentibus te. Pax enim est quæ exuperat omnem sensum, pax super pacem. Indeficiens exultatio, torrens voluptatis diuinæ, flumen lætitiæ, gaudium plenum. Cogita quicquid vis, quicquid potes exopta: excedit cogitatum omnẽ, desiderium omne exuperat illa felicitas: æternitas illa, illa beatitudo.

De duplici sessione siue requie corporis, scilicet & animæ in futuro.

CAP. LXXIIII.

SEdebit corpus immortalitatis & impassibilitatis, gemina quadam felicitate dotatũ: liberũ ab omni necessitate, ab omni corruptione securum: alienũ & immu, ne ab omni concupiscentia, plenum gratia consi

configuratũ deniq; claritati corporis Christi. Sedebit & anima nil metuẽs, nec cupiẽs vltrà, nimirum plena beatitudine, & secura plenitudine fruens nullos iã cogitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nul los affectionum sentiens motus: sed æternæ illi incõmutabilitati prorsus immersa: & sic vnita adhęrens Deo, vt vnus iam spiritus sit facta cum eo. O si vnquã sedebo totus quidem, cuius modo nec minima quidem portio sedet: in quo nihil tranquillum nihil quietum: sedatũ nihil, nihil vnquàm ineodem permanet statu, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant vniuersa: postremò, vbi cõcupiscit adhuc caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ. Quidnam hominis sedere videtur? Nec sola iam concupiscentia pacem turbat, impedit sessionem, vetat esse sedatũ. Sed duplex quoq; secundum corpus miserum hominem vexat cõtritio præsentis: videlicet sensu doloris & mortis metu futuræ: nimirum cum & passibile sit & mortale. Duplex nihilominus animã agitare solicitudo videtur, spei vtiq; & timoris. Inter hæc nempe fluctuat iugiteridum peccati corpus inhabitat: ascendens vsq; ad cælos, & iterum vsq; ad abyssos descendens: tabescens in malis, & ad bona nihilominus inardescens.

De gaudio domini, & expectatione animarum sanctarum.

CAP. LXXV.

In ser. de omnibus sanctis. aduertistis ni fallar.

NEc est planè requies domini nõ intercisa, non circa aliquid certum restricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit & inuenit. Nam & bona ei placẽt in seipsis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum: diligit misericordiam & iudicium. Nec modo in bonorum gloria sibi complacet, sed in ipsis quoq; vt pote iustis suppliciis impiorum. Quid ergo? Poterit ne putas humana anima in hoc gaudium domini sui, & in hanc eius requiem intrare, vt & ipsa quoq; in omnibus delectetur, ne aliqua iam priuata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quendam generalem atq; diuinum? Poterit sine dubio, si fidelis inueniatur super pauca quę accepit militiæ suæ tempore, id est super artus, super sensus, super appetitus suos, quos susceperit regendos, vt in his probetur, quoniam fidelis sit domino suo. Nec dubium quin fidelem in modico seruũ super multa cõstituet dominus liberalis & diues. Tunc

Tunc enim fidelis seruus constituitur super omnia bona domini sui, cùm in gaudium eius meretur intrare: & cùm eo deinceps lætari in vniuersis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim qui adhætet Deo, apostolo teste, vnus spiritus efficitur, & voluntas eius omnino diuinæ adhærens voluntati, fit vna cũ ea: vt iam nihil quod contra eam sit, inueniatur in omnibus creaturis: sed vniuersa fiant vel magis maneant pro eius arbitrio. Hæc est beata spes, quam expectant animæ sanctæ.

De duplici gaudio cognitionis, scilicet & dilectionis, quo sibi cohærent sancti spiritus in cælo.

CAP. LXXVI.

In ser. de dedicatio. Festiuitas hodierna.

DIsiuncta ligna & lapides domum non faciunt, nec in ea habitare quis potest. Sola ergo coniunctio, domum facit. Sic cælestiũ spirituum perfecta vnitas sine vlla diuisione connexa integram & congruam Deo reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria maiestatis. Quis enim sciret vniuersa regum consilia, aut quis omnia eorum dicta vel facta sic nosset, quomodo palatij ligna & lapides, si non deesset illis intelligẽtię sensus?

Itaque cælestis illius curiæ lapides viui ac rationabiles, diuinis interſunt conſiliis, & trinitatis myſteria norunt: audiúntque verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Quantò enim plus vident, plus intelligunt: plus agnoſcunt, tantò plus diligunt: tantò magis laudant, tantò amplius admirantur. Verùm duplici ſibi cohærent lapides illi glutino cognitionis plenę & perfectæ dilectionis. Tantò ſiquidem maiori ad ſe inuicem dilectione copulantur, quantò ipſi dilectioni, quæ Deus eſt, viciniores aſsiſtunt: ſed nec vlla ſeparare eos abinuicem ſuſpicio poteſt, vbi nihil omnino quod in altero ſit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam enim qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo: nihil dubium eſt, quin perfectè adhærentes ei beati ſpiritus cum eo pariter & in eo penetrent vniuerſa.

* *

CAPI

CAPITVLA LIBRI OCTAVI.

De trinitate creata. 1
De triplici verbo. 2
De tribus conſiderandis in myſterio incarnationis dominicæ. 3
D triplici miſtura, quam fecit Deus in aſſumptione noſtræ carnis. 4
De triplici virtute nominis domini noſtri, quod eſt Ieſus. 5
De triplici vtilitate aduentus domini. 6
De tribus quæ in opere noſtræ redemptionis ſibinuicem cooperantur. 7
De triplici benedictione. 8
De triplici gratia. 9
De iuſtificatione, ſanctificatione, & glorificatione. 10
De triplici miniſterio miniſtrorum Chriſti 11
De tribus modis quibus nos dilexit Deus. 12
De triplici modo diligendi Deum. 13
Quid ſit Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute. 14
De triplici libertate quarum vltima ſola liberum arbitrium nominatur. 15
De triplici libertate, quarum prima eſt naturæ, ſecunda gratia, tertia vitæ vel gloriæ. 16
De iudicio, conſilio, & complacito. 17
De triplici voluntate, libera, bona, & mala 18

De triplice bono quod in se habet perfectio honæ voluntatis. 19
De libero arbitrio, consilio, & complacito. 20
De triplici operatione Dei: prima scilicet per quam: secunda contra quam; tertia cum qua operatur. 21
De bona cogitatione, consensu, & opere, qua Deus operatur in nobis. 22
De triplici operatione Dei, quarum prima creatio est: secunda formatio, tertia consummatio. 23
De intentione, affectione & memoria. 24
De triplici fide. 25
De duplici charitate. 26
De triplici solicitudine in dilectione proximi habenda. 27
De triplici vnguento. 28
De triplici modo confessionis. 29
De triplici sapientia, cordis, oris, & operis. 30
De triplici modo reuertendi ad dominum 31
De sobrietate, iustitia, & pietate. 32
De timore, spe, & charitate. 33
De triplici vigilia operum, verborum, & cordium. 34
De iustitia, pace, & gaudio spiritali. 35
De tribus transeuntibus per hoc seculum. 36
De tribus quæ necessaria sunt prælato. 37
De triplici modo subiectionis. 38

De

De tribus metis obedientiæ. 39
De tribus gradibus obedientiæ. 40
De triplici modo culpæ, quæ contrahitur in transgressione. 41
De triplici consideratione, quæ omne opus præuenire debet. 42
De triplici testimonio alterius, nostri, & Dei. 43
De triplici distinctione sapientiæ. 44
De triplici genere paupertatis. 45
De triplici modo viuendi in congregatione. 46
De tribus quæ necessaria sunt ad parandum domum Dei. 47
De triplici apparatu necessario ad custodiam castri dominici. 48
De tribus periculis in domo domini. 49
De veritate, charitate, & fortitudine. 50
De triplici amore. 51
De tribus in quibus consistit summa spiritalis exercitij. 52
De morte, diabolo, & peccato. 53
De charitate, castitate, & humilitate. 54
De tribus impulsoribus hominis. 55
De tribus generibus hominum non habitantium in adiutorio diuino. 56
De tribus malè fructificantibus. 57
De triplici vitio, scilicet arrogantia & duplici ignorantia. 58

De triplici ignorantia. 59
De tribus bonis eminentioribus in homine. 60
De triplici modo sciendi. 61
De tribus occultis. 62
De triplici corde. 63
De tribus petitionibus cordis. 64
De seruo, mercenario, & filio 65
De triplici lege, seruis, mercenarij & filij. 66
De tribus panibus, quibus quilibet reficiendus est. 67
De tribus vinculis, quibus Deo astringimur. 68
De tribus dictis. 69
De oculo, manu, & pede. 70
De triplici aqua. 71
De triplici loco. 72
De tribus in opere mundi considerandis. 73
De triplici genere bonorum, scilicet naturalium spiritalium, æternorum. 74
De triplici distinctione bonorum suprà dictorum. 75
De triplici genere iustorum. 76
De tribus quæ faciunt hominem sanctum 77
De triplici modo contemplationis 78
De tribus quæ impediunt cõtemplationem. 79
De tribus nouissimis metuendis. 80
De triplici malo, quod peccatores passuri sunt in fine. 81
De tribus speciebus cõsiderationis supernæ. 82

De

De tribus modis quibus vestigandus est Deus, & beati spiritus qui cum eo sunt. 83
De tribus quæ faciũt mortem sanctorum preciosam in conspectu domini. 84
De triplici genere sanctorum. 85
De triplici statu sanctorum. 86
De triplici gaudio quod habent sancti, scilicet ante mortem, ante iudicium, post iudicium. 87
De tribus considerandis in festiuitatibus sanctorum. 88
De triplici desiderio proueniente de memoria sanctorum. 89
De triplici plenitudine habenda in futura vita 90
De triplici modo fruendi Deo in aterna vita. 91

LIBER OCTAVVS.

De trinitate creata, & qualiter cecidit suggestione diabolica, delectatione & consensu.

CAP. I.

In quibusdam dictis.

BEATA illa & sempiterna trinitas, pater, & filius, & spiritus sanctus, vnus Deus, scilicet summa potentia, summa sapientia, summa benignitas, creauit quandam trinitatem ad imaginem & similitudinem suam: animam videlicet rationalem, quæ in eo præfert vestigium quoddam illius summæ trinitatis: quod ex memoria, ratione, & voluntate consistit. Sed hæc trinitas creata cecidit per suggestionem, delectationem, consensum ab illa summa & pulchra trinitate, scilicet potentia, sapientia, puritate, in quandam contrariam trinitatem, & fœdam scilicet infirmitatem, cæcitatem, immundiciam. Memoria enim facta est impotens, & infirma ratione imprudẽs & tenebrosa: volũtas impura. Porrò, memoria quę simplicis diuinitatis est, potentiam stans cogitabat: cecidit in

in tres species cogitationum, affectuosas, onerosas, ociosas. Affectuosas voco illas, in quibus ipsa afficitur: vt in curis rerum necessariarũ edendi bibendi, cæterarúmque similium. Onerosas in exterioribus administrationibus & occupationibus duris. Ociosas quibus non afficitur nec oneratur & tamen ab æternorum cõtemplatione per illas distenditur: vt si cogitet (verbi grãtia) equum currentem, aut auem volantem. Rationis quoque triplex est casus. Eius siquidem discernere erat inter bonũ & malum, verum & falsum, commodum & incommodum. In quibus discernendis tanta caligine excæcatur, vt sæpe in contrarium ducat iudicium, recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo & econuerso. Nunquam verò in his falleretur, si nunquam lumine quo creata est, priuaretur. Volũtatis ruina similiter tripartita est. Quæ enim summæ benignitati & puritati inhærere, & eam solam diligere debuit, etiam in hæc infima lapsa per concupiscentiam carnis & oculorum, & ambitionem seculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, vbi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota animæ substantia interimitur?

De

De triplici verbo.
CAP. II.

In quibusdam sententiis.

DIcimus verbum inspiratum, verbum eructuatum, verbum incarnatũ. Primũ fecit cognitionẽ: secũdũ cõuersionem: tertium viuificationem. Primum obfuit: quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Secundum non profuit, quia non data est lex, quæ posset viuificare. Tertium viuit, quia per carnem redemit. Primum totum de foris: secundum foris & intus: tertium totum intus. Et nota, quia quòd eructuatur de plenitudine eructuantis, cum quodam ipsius substantiæ sapore profertur. Et idcirco sapientia incarnata dicitur, habens in se omnem plenitudinẽ, in miraculis cognitionem, in doctrina cõuersionem, in passione viuificationem.

De tribus considerandis in mysterio incarnationis dominicæ.
CAP. III.

In quibusdam dictis.

MYsteriũ incarnatiõis Christi tria in se cõsiderãda continet, scilicet formã humilitatis, pbamẽtũ dilectionis, sacramentum redemptionis. Formam humilitatis demonstrat vagitus paruuli, locus diuersorij, reclinatio in præsepio, pannorum inuolutio. Probamentum dilectionis pia mors: quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sacramentũ redemptionis triplicem ostendit potentiam deitatis, scilicet quòd de nihilo aliquid fecit, inueteratum innouauit, temporalem perpetuauit.

De triplici mistura, quam fecit Deus in assumptione nostræ carnis.
CAP. IIII.

TRia opera tres misturas fecit omni potens illa maiestas in assumptione nostræ carnis: ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia: vt talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt adinuicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Admirabiles istæ misturę, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuersa ad inuicem potuêre coniungi? Contraxit se maiestas, vt quod melius habeat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret, & in persona vna sibi inuicem vnirentur Deus & humus, maiestas & infirmitas, tanta vilitas & sub

In Serm. de vigilia natalis domini. Hodie scietis.

& sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo: & tamẽ tanta dignatione Deus descendit in limum, tantáque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quicquid Deus fecit, limus fecisse credatur: quicquid limus pertulit, Deus in illo protulisse dicatur: tam ineffabili quàm incomprehensibili sacramento. Hæc est prima & superexcellẽs mistura: & hęc prima inter tres. Aduerte homo, quia limus es, & non sis superbus: quia Deo iunctus es, & non sis ingratus. Secunda est virgo & mater, vtique & admirabilis & singularis. A seculo nõ est auditũ, quòd virgo esset quæ peperit, quòd mater esset, quæ virgo permãsit. Nunquam iuxta rerum ordinem virginitas est, vbi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas vbi virginitas honoratur. Sola hæc est, in qua virginitas & fœcunditas obũiauerunt sibi. Ibi semel factum est, quòd factum non fuerat: nec fiet in æternum: quia nec primam similem visa est, nec habere sequẽtem. Tertia est fides & cor humanũ, & hæc quidem prima & secunda inferior: sed non minus forsitan fortis. Mirum enim, quomodo cor humanũ his duob' fidem accommodauit: quomodo credi potuit, quòd Deus homo esset, quòd manserit virgo quæ peperisset. Quomodo hoc potuit persuaderi humano

generi, vniuerso orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter persuasum est, vt mihi hoc credibile faciat credentiũ multitudo. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus elegerũt mille mortibus mori, quàm vel ad momentũ, ab ista fide deficere. Et hęc quidem mistura excellens, sed excellentior secunda. Tertia verò excellentissima est. In prima vide quid: in secunda per quid: in tertia propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Christum per Mariam propter suauitatem. In prima remedium est: quia ex Deo & homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem & commistæ hæ duæ species in vtero virginis tanquam in mortariolo: sancto spiritu tanquam pistillo illas suauiter cõmiscente. Sed quia tu dignus nõ eras cui donaretur: datum est Mariæ, vt per illã acciperes quicquid haberes: quæ per hoc quòd mater est, genuit tibi Deum: per hoc quòd virgo est, exaudita est pro reuerentia sua in causa tua, & totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei, vt saluaretur per filiorum generationem. Si sola virgo sufficeret sibi, vt benedictus fructus ventris eius mundi pretium esset. Cùm ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est: quia nihil nos Deus habere voluit, quod

per Mariæ manus non transiret. In tertia autem meritum habemus & in fide sanitas est: quia qui crediderit saluus erit.

De triplici virtute nominis domini nostri, quod est Iesus.

CAP. V.

Super cât. Iesus. Est inter oleum & nomen Iesu similitudo in triplici quadam qualitate olei, quòd lucet, quòd pascet, quòd & vngit. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux, cibus, & medicina. Vide idem de nomine Iesu. Lucet prædicatum, pascit recogitatum: inuocatum lenit & vngit.

Vnde putas in toto orbe & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Iesu? Nec tantum lux est nomen Iesu, sed & cibus est. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus? Virtutes roborat. Vegetat mores bonos atque honestos. Castas fouet affectiones. Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore: in aure melos: in corde

corde iubilus. Est & medicina. Tristatur aliquis vestrum, veniat in cor eius Iesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen: nubilum omne diffugit, & redit serenũ. Labitur quis in crimẽ, currit insuper ad laqueum mortis desperãdo, nonne si inuocet nomen vitæ confestim respirabit ad vitam? Cui in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen non statim fiduciã præstitit, depulit metũ? Cui in aduersis diffidenti iam iamque deficienti, si nomẽ adiutorij sonuit: defuit fortitudo? Nihil ita iræ impetum cohibet: superbiæ tumorẽ sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxũ, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat prurigine. Siquidem cum nomino Iesum, hominem mihi propono mitẽ & humilẽ corde, benignum, sobriũ, castum, misericordem, & omni denique honestate, & sanctitate conspicuum, eundémque ipsum Deum omnipotentem, qui suomet exemplo sanet & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant cũ insonuerit Iesus. Hoc tibi electuarium habes ô anima mea reconditũ in vasculo vocabuli huius quod est Iesus: salutiferum certè quódque nulli vnquã pesti tuæ inueniatur inefficax, semper tibi in sinu sit. Semper in ma-

In quibus dictis.

nu, quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & actus. Bona & desiderabilis vmbra sub alis Iesu: vbi tutum est fugientibus refugium: gratum fesis refrigerium. Miserere mei domine Iesu, miserere mei: quoniã in te cõfidit anima mea. Veni domine Iesu, & aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, vt regnes tu, qui debes in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem: iactantia cupit dominari mihi: superbia vult mihi esse rex: luxuria mihi dicit: ego regnabo. Ambitio, detractio, inuidia, & iracũdia, certant in meipso de meipso, cuius ego potissimum esse videar. Ego autem quantũ valeo resisto, renitor quantũ iuuor, dominum meum Iesum reclamo: ipsi me defendo: quia ipsius me iuris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi dominum teneo, & dico. Non habeo regem, nisi Iesum. Veni ergo domine & disperge illos in virtute tua: & regnabis in me: quia tu es ipse rex meus, & Deus meus.

De

De triplici vtilitate aduentus domini.

CAP. VI.

NOn modò ad nos, sed & propter nos venit dominus, qui bonorũ nostrorum non eget. Verùm nostrę indigẽtiæ quãtitatem manifestius ipsa dignatio nis eius indicat magnitudo. Nec modò periculũ ægritudinis ex ipso precio medicaminis innotescit, sed & valitudinũ numerus ex multitudine remediorum. Vt quid enim diuisiones gratiarũ sunt, si nõ videtur necessitatũ vlla diuersitas? Et quidem difficile est, vniuersas vno sermone prosequi indigentias quas experimur. Sed occurrunt mihi interim tres communes omnibus, & quodãmodo principales. Nemo enim reperitur in nobis, qui non consilij & auxilij & præsidij indigens videatur. Nimirũ generale est humano generi triplex incõmodum, quotquot degimus in regione vmbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis. Si diligenter aduertimus, triplici incommodo hoc miserabiliter laboramus. Nam & faciles sumus ad seducendũ, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonũ & malum, decipimur. Si tentamus facere bo-

In serm. de aduẽ. dom. Si deus ce lebr. ser. 7.

num deficimus. Si conamur resistere malo, deiicimur & superamur. Necessarius proinde saluatoris aduentus, necessaria sit præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque vtinã sic veniat, vt copiosissima dignatione sua, & in nobis per fidẽ habitans, illuminet cæcitatem nostram, & nobiscum manens infirmitatem nostram adiuuet, & pro nobis stans fragilitatem nostram protegat & propugnet. Fidelis enim cõsiliarius, qui neque falli omnino, neq; fallere queat. Fortis auxiliarius qui non lacesçat. Patronus efficax, qui & ipsum satanam sub pedibus nostris velociter conterat, & omnia machinamenta confringat. Nimirũ ipse est Dei sapientia, cui semper in promptu sit instruere ignorãtes. Ipse Dei virtus, cui facilè sit & deficientes reficere, & eripere periclitãtes, Qui ad hoc ipsum venit in mundum, vt habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, & tenebras nostra silluminaret, & labores leuiaret, & pericula propulsaret.

*

De

De tribus quæ in opere nostræ salutis sibi inuicem cooperantur.

CAP. XVII.

OPus nostræ salutis tres subinuicẽ cooperãtur: Deꝰ, angelus, homo. Et Deus quidem quidni operetur? Ipse verò ac tota volũtate, & vtique per se ipse sufficeret, & absque adminiculo horum. Hi autem sine ipso possunt facere nihil. Ergo quod ex illis adsciuit in opus mysterij huius, nõ sibi solacium, sed profectum quæsiuit illis. Nã hominibus quidem merita locauit in opere: quia vnusquisque secundum propriũ laborem mercedem accipiet, siue qui in fide plantat, siue qui rogat quod plantatum fuerat. Angelorum autem cùm ad salutem generis humani ministerio vtitur, nõne facit vt ab hominibus angeli diligantur? Nam quia ab angelis homines diligantur, inde vel maximè aduerti potest, quòd antiqua suæ ciuitatis damna ex hominibus resarcitum iri angeli non ignorant. Nec aliis profectò regi legibꝰ regnũ charitatis decebat, quã piis, ipsorũ qui pariter regnaturi sunt, mutuisque amoribus, & puris affectionibus in inuicem & in Deum. Est autem in modo operandi differentia multa, pro cul- *Super cãt. serm. 78.*

iusque nimirum operarij dignitate. Deus enim facit quod vult, sola ipsa facilitate volendi sine æstu, sine motu, sine præiudicio loci vel temporis, vel causæ vel personæ. Porrò angelus non absque motu operatur, tam tẽporali quàm locali, sine æstu tamẽ: Homo autẽ nec ab æstu animi, nec à motu corporis animíq; liber est in operando.

De triplici benedictione.

In quibus. dictis.

CAP. VIII.

TRiplex nobis necessaria est benedictio. Præueniens, adiuuans, & consummãs. Prima misericordiæ: secunda gratiæ: tertia gloriæ. Præuenit misericordia conuersionem: adiuuat gratia conuersationem: perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, nõ potest terra nostra dare fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præueniamur, aut agere bonum, donec adiuuemur à gratia: aut consummare bonum possumus, donec gloria repleamur. Verùm in his tribus nõ immeritò dulcius sapit ea quæ non modò immeritos, sed & malè meritos præuenit: vt dũ adhuc filij sumus iræ & operamur operã mortis, ipse cogitat sup nos cogitatiões pacis. Et ne peretib' quidẽ, imò & impetõtibus

tibus: non inuocantibus, sed prouocãtibus: non interpellentibus, sed etiam repellentibus spiritum bonũ, spiritũ vitæ, adoptionis spiritum largiatur. Quid illi animę dulcius sapiat, cui misericordia tanta nõ sapit? Proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ præuenit, quia quæ adiuuat fortitudinis, quæ consummat, plenitudinis est.

De triplici gratia.

CAP. IX.

In homilia, Intrauit Iesus.

TRiplicem gratiam diuinitus accipimus: vnã qua conuertimur: aliam, qua in tentationibus adiuuamur: tertiam, qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: secunda prouehit, qua iustificamur: tertia cõsummat, qua glorificamur. Et prima quidẽ beneplacitũ est: secũda meritum: tertia præmiũ. De prima dictum est. De plenitudine eius nos omnes accepimus. De duabus reliquis dictũ est, & gratiam pro gratia, id est, munera æternę gloriæ pro merito temporalis militiæ.

De iustificatione, sanctificatione, & glorificatione.

CAP. X.

In quibus. à sententia.

CHristus Dei virtus, & Dei sapientia iustificatur, sanctificatur, glorificatur

filiis suis. Dicamus ergo primũ, quomodo sapientia iustificatur a filiis suis. Flagellat Deus omnem filium, quẽ diligit. Sed initio flagelli, dum adhuc sub lege serui Dei est, & nescit quoniam filius Dei erit, murmurat se autẽ innocentẽ, Deum verò crudelẽ pronuntiat. Huic autẽ Christus Dei virtus apparet, sed nondũ sapientia, quia per flagellum potentiam virtutis sentit, sed nondum sapientiæ suauitatem per intellectum capit. Hunc talem sapiẽtia attingit fortiter per flagellũ, & disponit omnia suauiter per intellectum dũ ei inspirat gaudere in tribulationibus scire, quoniam tribulatio patientiã operatur, patiẽtia probationẽ, probatio verò spem. Spes autẽ nõ confundit, & iam se nõ quasi seruũ puniri, sed quasi filiũ per flagella erudiri cognoscit: vt hæreditatẽ capiat se peccatorẽ: Deũ verò iustũ pronuncians iustificat in se matrẽ sapientiam. Sed quid prodest peccata inter flagella cõfiteri, si nõ ab eisdẽ per cõtinentiæ sanctitatẽ abstineas? Qualis pater talis sit filius: & in sanctimonia filiorũ nomẽ patris sanctificetur. Sanctos enim eos dicimus, quos firmos in proposito continentiæ ab huius seculi, non solùm ab illicitis actionibus, sed etiã impudicis locutionibus abstinere videmus. Sed quia sapiens filius gloria est patris, necesse

est

est, vt non solùm sanctificetur ab eo mater sapientia per continentiæ stabilitatem, sed etiam glorificetur per boni operis fructificationẽ. Vnde psalmista filiũ sapientiæ describens ait, Iocundus homo qui miseretur & cõmodat. Et verè breuis & perfecta diffinitio sapientis. Iocundus enim qui inter flagella confitẽdo delictũ, gaudet illud per præsentem tribulationem deleri. Miseretur animæ suæ placens Deo per cõtinẽtiæ decorẽ: cõmodat proximo fructũ bonæ operationis. Et hic est iustus reddẽs cuiq; quod suum est. Deo cõfessionẽ, sibi misericordiã, proximo charitatẽ. Sic autẽ iustificatur sapientia à filiis suis per confessionem peccatorũ, sanctificatur per cõtinentiæ bonũ, glorificatur per boni operis fructificationem.

De triplici ministerio ministrorum Christi.

CAP. XI.

MInisteriũ ministrorum Christi triplex est: seruitutis, charitatis, dignitatis. Ministeriũ seruitutis corporis castigatio: charitatis mẽtis deuotio: dignitatis corporis Christi cõsecratio. Primũ fit in afflictione: secundũ in hilaritate: tertiũ in humilitate. Primũ est sacrificiũ timoris: secundum amoris: tertium laudis. *In quibus dictis.*

De tribus modis quibus nos dilexit Deus.

CAP. XII.

Super cāt. sermo.10. DIlexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulce nempe dixerim, quòd carnem induit: cautum quòd culpam cauit: fortè quòd mortē sustinuit. Nā quos sanè in carne visitauit, carnaliter tamē nequaquā amauit, sed in prudentia spiritus. Itaq; quos in carne quæsiuit, dilexit in spiritu, redemit in virtute. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre Deū hominē hominis conditorem. At dum naturam induit prudenter se legit à culpa: etiā potenter mortem propulit à natura. In carnis assumptione condescendit mihi: in culpæ vitatione contulit sibi, in mortis susceptione satisfecit patri amicus dulcis, consiliarius prudēs, adiutor fortis. Huic securus me credo, qui saluare me velit, nouerit, possit. Ergo nisi amasset dulciter, nō me in carcere requisisset illa maiestas. Sed iunxit affectioni sapientiam, quę tyrannum deciperet: iunxit & patientiam, qua placaret offensum Deum patrem.

De

De triplici modo diligendi Deum.

CAP. XIII.

DIsce Christiane à Christo, quemad modum diligas Christū. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter ne illecti, prudenter ne decepti, fortiter ne oppressi, ab amore domini auertamur. Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapiētia Christus. Ne seducaris spiritu mēdacij & erroris, luceſcat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, cōfortet te virtus Dei Christus: zelum tuum inflammet charitas: informet scientia: firmet constātia. Sit feruidus, sit circunspectus, sit inuictus, nec teporem habeat, nec careat disciplina, nec timidus sit. Dilige dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia & circunspectione: dilige & tota virtute: vt nec mori pro ei⁹ amore pertimescas. Sit suauis & dulcis affectui tuo dñs Iesus contra malè vtique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedinē dulcedo. Sed sit nihilomin⁹ intellectui præuia lux, & dux rationi non solùm ob cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum versutiis custodiendam, verùm vt cautus quoq;

fiat

sis, nimiam & indiscretam vehementiam in tua conuersatione vitare. Sapientia est *In quibus. dictis.* Deus, & vult se amari: non solùm dulciter, sed & sapiẽter. Alioquin facilimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si sapientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quã si efficere possit, vt in ea incautè & non cum ratione ambuletur. *Super cãt. Sermo. 20.* Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens erroribus, nec succumbens laboribus. Ergo amemus affectuosè, circũspectè, & validè.

Quid sit Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute.

CAP. XIIII.

Vbi suprà. NOn abduci blandiciis, nec seduci fallaciis, nec iniuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute, diligere est. Et nota amorẽ cordis quodãmodo esse carnalẽ, q̃ magis erga carnem Christi, & quæ in carne Christus gessit vel iussit, cor humanum afficiat. Hoc repletus amore, facilè ad omnem huiusmodi Dei sermonẽ compungitur. Nihil audit libentius, nihil legit studiosi', nihil frequẽtius recolit, nil suauius meditatur. Adstat orãti hominis Dei sacra imago,

imago aut nascẽtis, aut lactentis, aut docẽtis, aut morientis, aut resurgẽtis, aut ascendentis, & quicquid tale occurrat vel stringat, necesse est animam in amore virtutum vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, noxia desideria lædet. In carnis ergo deuotione interim consoletur, qui viuificantem spiritum nondũ habet, eo duntaxat modo, quo habent illi qui aiunt Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Nam alias quidem nequaquam sine spiritu sancto vel in carne diligitur Christus, etsi non in illa plenitudine. Cuius tamen mensura deuotionis hæc est, vt totum cor illã suauitas occupet, totũ sibi ab amore vniuersæ carnis ac carnalis illecebre vendicet: hoc quippe toto corde diligere est. Vt breuiter dicam, toto corde diligere est omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctę carnis amori postponere. In quo & mundi gloriã æquè comprehendo, quia gloria mundi gloria est carnis: & qui in ea delectantur, carnales esse non dubium est. Bonus iste amor carnalis, per quem vita corporalis excluditur, contemnitur & vincitur mũdus: proficitur autem in eo, cùm fit & rationalis: perficitur cùm efficitur spiritualis. Porrò, rationalis tunc est, cùm in omnibus quæ oportet

tet de Christo sentiri, fidei ratio ita firmè tenetur, vt ab ecclesiastici sensus puritate, nulla verisimilitudine, nulla hæretica, seu diabolica circunuentione, aliquatenus deuietur, itemq; cùm in propria conuersatione illa cautela seruatur vt discretionis meta, nulla superstitione vel leuitate, vel spiritus quasi feruentioris vehementia excedatur. Et hoc est tota anima Deum diligere. Quod si & adiuuantis spiritus vigor tãtus accedat, vt nulla vi laborum vel tormentorum, sed nec mortis metu iustitia vnquam deseratur: in hoc etiam tota virtute diligitur, & est amor spiritualis, quod nimirum nomen huic specialiter amori congruere puto, ob prærogatiuam vtique plenitudinis spiritus, qua præcellit.

De triplici libertate, quarum vltima sola liberum arbitrium nominatur.

CAP. XV.

In libro de gratia & libero arb.

EST enim libertas à peccato. Sed quis in carne peccati, à peccato sibi vendicat libertatem? Hac igitur libertate dictum merito nequaquam opinor liberum arbitrium. Est enim libertas à miseria. Sed nunquid & istã sibi quispiã in hac mortalitate præsu

præsumit? Et ex hac itaque liberum nominari arbitrium non immerito abnuimus. Est verò quàm magis ei congruere arbitror, libertatem, quàm dicere possumus à necessitate, eò quòd necessarium voluntario contrarium esse videtur. Siquidẽ quod ex necessitate fit iam non est ex voluntate, sed econtrario similiter. Verùm libertas à necessitate æquè & indifferenter Deo vniuersęq; tam bene quàm malè rationali cõgruit creaturæ. Nec peccato, miseria amittitur, nec minuitur: nec maior in iusto est quàm in peccatore: nec plenior in angelo quàm in homine. Manet nanq; libertas voluntatis, vbi etiam est captiuitas mentis: tàm plena quidem in malis quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoq; pro suo modo in creatura, quàm in creatore: sed in illo potentior. Quòd autem solent homines conqueri & dicere, volo habere bonam voluntatem & non possum, nequaquam huic præscribit libertati, vt quasi vim aut necessitatẽ in hac parte voluntas patiatur. sed planè illa libertate quę dicit à peccato, se carere testatur, Nam qui vult habere bonam volũtatem, probat se habere voluntatem. Non enim vult habere bonam, nisi per voluntatem. Quòd si voluntatem & libertatem, sed liberta

bertatem à necessitate, non à peccato. Nempe vt non valeat cùm velit habere bonam, sentit quidem deesse libertatem, sed profectò libertatem à peccato, quo vtique dolet premi nō perimi voluntatem. Quanquam iam proculdubio vtrunq; bonam habet, vbi habere vult, bonū quippe est quod vult. Nec posset bonum velle, nisi bona voluntate: sic nec velle malum, nisi mala voluntate. Cùm bonum volumus, bonā est voluntas: cùm malum volumus, mala est voluntas. Vtrobiq; voluntas & vbiq; libertas: cedit siquidem voluntati necessitas. Cùm autem non valemus quod volumus, sentimus quidem ipsam quodammodo libertatem peccato esse captiuam vel miseram: non tamen amissam. Ex hac ergo tantùm libertate, qua liberū est voluntati, seipsam iudicare vel bonā, si bono, vel malam si malo consenserit: quippe quæ in neutro nisi certè volendo consentire se sentit, liberum arbitrium credimus nominari.

De triplici libertate: quarum prima est naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.

CAP. XVI.

In libr. de gratia & libe. arbit.

CVm igitur triplex sit præposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate, hanc

hanc vltimo loco positam, cōtulit nobis in conditione natura. In prima restauramur à gratia: media nobis reseruatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturæ: secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primò, nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris: secunda plurimum & virtutis: nouissima cumulum iocūditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus: in secunda carnem: per tertiam mortem subiicimus.

Quid sit iudicium, quid consilium, quid complacitum.

CAP. XVII.

In lib. vb supra.

IVdicij est discernere, quid liceat, quid nō liceat: consilij probare quid expediat, vel non expediat. Cōplaciti experiri quid libeat, vel non libeat. Vtinam tam liberè nobis consuleremus, quàm liberè de nobis iudicamus: vt sicut liberè per iudicium licita illicitaq; discernimus, ita per cōsilium & licita tanquam commoda nobis eligere, & illicita tanquam noxia respuere liberum haberemus. Iam enim non solùm liberi arbitrij, sed & liberi proculdubio consilij, ac per hoc à peccato liberi essemus. Sed quid

si totum solúmq; quod expediret vel liceret etiam liberet, nonne liberi quoque esse complaciti merito diceremur: quippe qui ab omni proinde quod displicere potest, hoc est, ab omni nos miseria liberos sentiremus? Nunc autem cùm multa per iudicium, vel admitenda vel omittẽda esse decernamus, quæ tamen per cõsilium nequaquam pro iudicij rectitudine, aut eligimus aut contemnimus: rursum quia nõ omnia quæ tanquã recta & cõmoda consultè obseruamus, etiã vt beneplacita libenter amplectimur: sed insuper quasi dura & molesta vix æquanimiter ferre perduramus liquet, qa liberũ nec consiliũ habemus, nec cõplacitũ. Certissimè autẽ habituri sumus, quoniã libertũ à necessitate arbitriũ: quod nunc cunctæ rationali creaturæ cõmune videtur: erit etiã in electis hominibus vti iã in sanctis est angelis & cautũ à peccato, & tutũ à miseria probantibus, tandẽ triplicis libertatis felici experientia, quę sit bona voluntas Dei, ac beneplacẽs & perfecta. Quod quia necdum est sola, interim plena integráq; manet in hominib⁹ libertas arbitrij, Nam libertas consilij ex parte tantũ, & hoc in paucis spiritalibus, qui carnẽ suã crucifixerunt cũ vitiis & cõcupiscẽtiis, quatenus iam non regnet peccatum in eorũ mortali corpo

corpore. Porrò, vt nõ regnet libertas, facit consiliũ. Vt non desit ex integro, captiuitas est liberi arbitrij. Iam de libertate complaciti in hoc seculo, neq; quòd dicemus, vbi vix sufficit diei malicia sua: vbi vita hominis tẽtatio est super terrã: vbi totũ occupare videtur miseria: vbi noctes diésq; in mœrore contineantur: nullũ profectò tẽporis spatium complacito vacuum esse relinquitur. Hi tamen & in hac carne rarò licet raptimq; complaciti libertate fruuntur, qui cùm Maria optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis. Qui enim iam tenent quod auferendum nõ est, experiuntur vtiq;, quod futurũ est: sed quod futurũ est felicitas est. Porrò, felicitas & miseria, eodem tẽpore simul esse nõ possunt. Quoties igitur per spiritum illam participant, toties iftam non sentiunt. Itaq; in hac vita soli contemplatiui possunt vtraq; frui libertate complaciti: & hoc ex parte & parte satis modica, vicéq; rarissima. Porrò, libertate consilij fruuntur etiam quilibet iusti, ex parte quidem, sed non modica. Cæterùm, libertas arbitrij cunctis pariter ratione vtentibus conuenit, non minor quantũ in se est in malis quàm in bonis, tam plena in hoc seculo quàm & in futuro.

De triplici voluntate, libera, mala & bona.

CAP. XVIII.

In lib. de gratia & libero arb.

LIbera voluntas nos facit esse nostros, mala diaboli, bona Dei. Creati quippe quodammodo nostri in liberam voluntatem, quasi Dei efficimur per bonam voluntatem. Porrò bonam facit, qui liberã fecit, & ad hoc bonam, vt simus aliquod initium creaturæ eius, quoniã expedit profectò nobis magis omnino nõ fuisse, quàm nostros permanere. Dum ergo per malã voluntatẽ sumus diaboli, quodámodo interim nõ sumus Dei, sicut & cũ per bonã voluntatẽ effi cimur Dei, desinimus iã esse diaboli. Nemo siquidẽ potest duobus dominis seruire. Cæterùm, siue Dei sumus, siue diaboli, non tamen similiter desinimus esse & nostri. Manet quippe vtrobique libertas arbitrij, per quam manet & causa meriti: quare merito vel puniamur mali, quod tanquã liberi ex propria voluntate efficimur, vel glorificemur boni, quod nisi æquè volũtarij esse nõ possumus. Sanè diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas Deo subiicit eius gratia, non nostra voluntas. Nostra quippe voluntas bona, quod fatendum est à bono Deo creata: perfecta tamen non erit, quousque suo creatori perfecte subiecta sit.

De triplici bono, quod habet in se perfectio bona voluntatis.

CAP. XIX.

In libr. de gratia & libero arb.

VElle malum, defectus quidam est voluntatis: bonum velle, profectus eiusdem: sufficere autem ad omne quod volumus bonum, ipsius perfectio. Vt ergo velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus perfectum habeamus duplici gratiæ munere indigemꝰ: & verò videlicet sapere, quod est voluntatis ad bonum conuersio: & pleno etiam posse, quod est eiusdem in bono confirmatio. Porrò, perfecta conuersio est ad bonum, vt nihil habeat, nisi quod deceat vel liceat. Perfecta in bono confirmatio, vt nil desit iam quod libeat. Tunc demum, perfecta erit voluntas cum plenè fuerit bona & bene plena. Habet siquidem in se duplex bonum ab initio sui. Vnum quidem generale ex sola creatione, quod à bono scilicet Deo non potuit creari nisi bona. Alterum speciale, ex libertate arbitrij, in qua ad imaginem vtique ipsius qui creauit est condita. Quòd si his duobus modis accedat, & tertium conuersio ad creatorem,

reputabitur non immerito perfectè bona. Bona nimirum in vniuersitate, melior in suo genere, optima ex sui ordinatione. Est autem ordinatio omnimoda conuersio voluntatis ad Deum, & ex tota se voluntaria deuotáque & subiecta.

De libero arbitrio, consilio & complacito.

CAP. XX.

Vbi suprà.

AD liberum arbitrium, quantum in se est, non pertinet posse vel sapere sed tantum velle: nec potentē facit creaturam nec sapientē, sed tantū volentē. Nō ergo si potens aut sapiens, sed tantum si volēs esse defierit, liberū arbitrium amisisse putanda erit. Vbi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico, si velle bonum, sed si velle omnino creatura defierit. Fatendū sine contradictione, vbi iam non ex voluntate boni tas, sed ipsa ex toto voluntas perit: etiam liberū deperire arbitriū. Quod si velle tantū bonū nō poterit, signum est, quòd ei desit liberum non arbitriū sed consiliū. Si autē non quidem velle, sed ad id quod iam vult bonū ei posse defuerit, nouerit sibi deesse liberum complacitum, non liberum periisse arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita vbiq; sequitur voluntatem, vt nisi illa penitus esse desinat, isto non careat: voluntas verò sicut in bono, ita etiam & in malo æquè perdurat: æquè profectò & liberum

arbitrium, tam in malo quàm in bono, integrum perseuerat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseria non desinit esse voluntas, sed dicitur & est misera voluntas: sicut & beata voluntas, ita nec liberum arbitrium destruere: siue quantum in se est aliquatenus imminuere poterit quæcunq; aduersitas vel necessitas. Sed licet vbique pariter sine sui diminutione perduret, non tamen pariter sicut de bono potuit per se in malum corruere: ita quoque per se de malo in bonum poterit respirare. Nemo proinde putet ideo dictū liberum arbitrium, quòd æquè inter bonum & malum potestate vel facilitate versetur: cum cadere quidem per se poterit, non autem resurgere, nisi per dominī spiritum. Nunc igitur ex eo potius liberum dicitur arbitriū, quod siue in bono siue in malo æquè liberā facit voluntatem: cum nec bonus quispiā nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali iam ratione non incongruè dicetur, ad bonum se & ad malū habere æqualiter: quòd vtrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas. Hac sanè dignitatis diuinæ perrogatiua, rationalem singulariter creaturam conditor insigniuit, quòd sui quodammodo iuris in hac parte existeret, quatenus

non nisi sua voluntate aut mala fieret & iu ste damnaretur: aut bona maneret & merito saluaretur, non quòd ei propria sufficere posset volũtas ad salutem, sed quòd eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur. Nemo quippe saluatur inuitus.

De triplici operatione Dei: prima scilicet per quam secunda contra quam: tertia cum qua operatur.

CAP. XXI.

In lib. vbi supra.

OPeratur Deus illorũ salutem, quorum nomina sunt in libro vitæ: aliquando per creaturã sine ipsa: aliquando per creaturam, cõtra ipsam: aliquando per creaturam cum ipsa. Multa profecto fiunt hominibus salubria per insensibilem: & item per irrationalem creaturã, quæ idcirco dixerim fieri sine ipsa, quòd nõ queat intellectu carẽs esse vel cõsciẽtia. Multa quoq; multorum saluti vtilia facit Deus, per malos, siue homines, siue angelos: sed quoniam inuitos, ideo contra ipsos. Nam dum nocere cupientes iuuant quantum aliis valet vtilis actio, tãtum ipsis peruersa nocet intentio. Porrò, per quos & cum quibus operatur Deus, boni sunt

ni sunt angeli vel homines, qui quod vult Deus: agunt pariter & volunt. Qui enim bono quod opere complent, voluntate consentiunt: opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis cõmunicat. Videamus secundum Dei triplicem operationẽ quam posuimus, quid creatura neq; pro suo ministerio mereatur. Et illa quidẽ per quã & sine qua fit quòd fit: quid mereri potest? Quid illa cõtra quam fit, nisi iram? Quid & cum qua fit, nisi gratiam? In prima itaq; nulla, in sequenti mala, in vltima bona merita cõquiruntur. Nec enim pecudes cùm per eas bonum aut malũ aliquod fit: boni quicquam merentur. Non habent quippe vnde bono maló ve cõsentiant. Multò minus autem lapides cum nec sentiant. Cæterùm, diabolus vel homo malus cum vigeãt & vigilent ratione iam quidẽ merentur: sed non nisi pœnam pro eo quòd à bono dissentiant. Quicunque autem ex consensu voluntatis obediunt, repositã sibi esse confidunt coronã iustitiæ. Vtitur ergo Deus in salutem suorum irrationali: & item insensibili creatura tanquam iumento aut instrumẽto: quę iam expleto opere nusquam erũt. Vtitur rationali creatura, sed maliuola, quasi virga disciplinæ, quã correpto filio in ignẽ proiiciet tanquam sarmentum inutile. Vtitur angelis &

hominibus bonæ voluntatis tanquam commilitionibus & coadiutoribꝰ suis: quos peracta victoria amplissimè munerabit. Ibi itaque Deus homini merita benignè cõstituit, vbi per ipsum & cum ipso bonum operari quippiam dignanter instituit. Hinc adiutores Dei, cooperatores spirituſſancti. Promeritores regni nos esse præsumimus, quòd per consensum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur.

De bona cogitatione, consensu & opere, quæ tria operatur Deus in nobis.

CAP. XXII.

In libro, vbi suprà. DEus tria hęc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere operatur in nobis. Primum sine nobis: secundum nobiscum: tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationẽ nos præuenit: immutando etiam malam voluntatẽ sibi per consensum iungit ministrando, & cõsensui voluntatem vel facultatem foris per apertum opus nostrum, internus opifex noster innotescit. Sanè ipsi nos præuenire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem nõ præuenit. A Deo ergo sine dubio fit nostræ salutis exordium:

ordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verùm consensus & opus, etsi nõ ex nobis, iam non tamen sine nobis. Nec primũ itaq; in quo nos quippe nil facimus, nec vltimũ quod & plerunque extorquet, aut timor inutilis, aut simulatio damnabilis, sed tãtùm medium reputatur nobis in meritum. Sola igitur interdũ bona voluntas sufficit cætera non prosunt, si sola defuerit Non prosunt, dixerim, sed agenti nó cernẽti. Valet itaq; intentio ad meritum, actio ad exemplum: vtranq; est præueniẽs cogitatio tantummodo ad excitandum. Cùm hæc ergo inuisibiliter intra nos ac nobiscũ actitari sentimus, soli gratiæ attribuamus. Ipsa liberũ excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum: sanat, cùm mutat affectũ: roborat, cùm perducit ad actum: seruat, ne sentiat defectum. Si autem ista cũ libero arbitrio operatur: vt tantum in primo illud præueniat, in cætris comitetur: ad hoc vtique præueniens, vt iã sibi deinceps cooperentur. Ita tamen quod à sola gratia cœptũ est, pariter ab vtroque perficitur: vt mistim non sigillatim: simul non vicissim per singulos profectus operentur. Nam partim gratia, partim liberũ arbitrium, sed totũ singula opere individuo peragũt. Totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo, sic totum ex illa.

De

De tripilci operatione Dei: quarum prima creatio est: secunda formatio: tertia consummatio.

CAP. XXIII.

In libro, vbi supra. CRearis, sanaris, saluaris. Quid horum tibi ex te ô homo? Nec creare qui nõ eras: nec iustificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare: vt cætera prętermittam bona, quæ aut sanandis necessaria sunt, aut saluandis reposita. Quod dicimus de primo, patet, & de vltimo. Sed & de medio nemo dubitat, nisi qui ignorans Dei iustitiam: & suam volens constituere, iustitiæ Dei nõ est subiectus. Quid enim? Agnoscis creantis potentiam: saluantis gloriam: & sanantis ignoras iustitiam? Qui sest qui ignoret Dei iustitiam? Qui seipsum iustificat. Qui merita sibi aliunde præsumit quàm à gratia. Cæterùm qui fecit quod saluaret, etiam dat vnde saluet. Ipse inquàm merita donat qui fecit quibus donaret. Igitur qui rectè sapiunt, triplicem confitentur operationem: non quidem liberi arbitrij, sed diuinæ gratiæ in ipso, siue de ipso. Prima creatio: secunda reformatio: tertia est consummatio. Primo nanque in Christo creati

creati in libertatem voluntatis: secundo reformamur per ipsum in spiritum libertatis cum Christo: deinde consummandi in statum æternitatis. Siquidẽ quod non erat in illo, creari oportuit: qui erat per formam reformari deformem: membra non perfici possunt, nisi cum capite. Cùm igitur consummatio fieri habeat de nobis: siue etiam in nobis, non autem à nobis creatio facta est, sed sine nobis. Sola quæ nobiscum fit quodammodo propter consensum voluntarium nostrum in merita nobis computabitur reformatio.

De intentione & affectione & memoria.

CAP. XXIIII.

In libro, supra. PEr virtutum exercitia constat interiorem hominem nostrum renouari de die in diem: dum & intentio terrenis incuruata curis: de imis paulatim ad superna resurgit: & affectio circa carnis desideria languens: sensim in amorem spiritus conualescit: & memoria veterum operum turpitudine sordens nouis bonisque actibus candida indies hilarescit. In his nempe tribus interior renouatio consistit, rectitudine scilicet intentionis: puritate affectionis: recordatione

datione bonæ operationis: per quam bene sibi cõscia memoria enitescit. Verum etiam hoc cum certum sit diuino in nobis actitari, spiritu Dei sunt munera. Nàm verò cùm nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita. Deus ergo author est meriti, qui & volũtatem applicat operi & opus explicat voluntati. Alioquin si propriè appellentur ea quæ dicimus nostra merita, spei quędã sunt seminaria: charitatis incẽtiua: occultè præ destinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni: nõ causa regnandi. Deniq; quos iustificauit: nõ quos iustos inuenit, hos & magnificauit.

De triplici fide.

CAP. XXV.

In quibus. dictis. DVm venit Dei filius factus est homo qui erat Deus: tanquam bonus medicus dedit præcepta: quibus obseruatis reformaretur salus amissa. Vt verò præceptis faceret fidem, exhibuit signa: vt eorum præceptorum persuaderet vtilitatem promisit beatitudinẽ. Est ergo fides alia præceptorum, alia signorũ, alia promissorum, id est qua credimus in Deũ: qua credimus Deũ: qua credimus Deo. Credere autẽ in Deum: est in eum sperare: & eũ diligere. Per fidẽ signorum credimus Deum qui talia potest: & omnia

& omnia potest. Per fidem permissorũ credimus Deo: qui quicquid promittit, veraciter complet, similiter quoque spes triplex est: & procedit de prędicta triplici fide. Nã de fide præceptorum oritur spes veniæ, de fide signorum spes gratiæ: de fide promissorum spes gloriæ.

De triplici charitate.

CAP. XXVI.

CHaritas ternario numero colligitur de corde puro: & conscientia bona: & fide nõ ficta. Puritatem debemus proximo, cõscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem est quicquid agitur, aut ad vtilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei, Maximè tamen adhibenda est proximo: quia Deo manifesti sumus: proximo autẽ nõ possumus: nisi inquantum illi cor nostrum aperimus, Conscientiam bonam faciũt in nobis duo: pœnitentia & continentia: quando scilicet per pœnitentiam peccata commissa punimus: & per continentiam deinceps puniendo non committimus: & hanc debemus nobis. Post hæc supereſt fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda est: vt nec propter proximum, cui nos impedimus offendamus Deum: nec propter conscientiam quam per pœnitentiam & continentiam

In quibus. dictis.

in

in humilitate custodire volumus: minus exequamur mandatorum Dei obediẽtiam: & hæc est fides non ficta. Non fictè autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei & fictæ. Mortua fides est, quæ sine operibus est. Fides ficta quæ ad tempus credit: & in tempore tentationis recedit. Vnde etiam ficta, id est fragilis dicitur.

In epistola ad Henricum senonensem episcopũ.

Quæ susceptа quidem ex charitate vitæ, moueri inchoat ad bene operandum: sed non perseuerãs deficit & moritur tanquam abortiua. Qualis cuiusque sit fides, tribulatio probat. Si cuius deficit, deficit enim cùm in charitate non perseuerat, ficta esse dinoscitur. Si cuius perseuerat, probata & perfecta censetur.

De triplici solicitudine in dilectione proximi habenda.

In quibusdam dictis.

CAP. XXVII.

VT veritatis discipulos nos esse probemus, diligamus inuicẽ. Et in hac dilectione triplici solicitudine vigilemus: quia Deus charitas est, & omnẽ solicitudinẽ nostram illi debemus, id est, vt nascatur, vt crescat, vt seruetur. Nascitur, si cibaueris inimicum, si potũ dederis ei: quia hæc faciẽs, carbones ignis cõgeres super caput eius. Carbones ignis sunt opera charitatis, quæ cõgeruntur super diabolũ, qui est caput omniũ iniquorũ: vt ablato eo, nascatur eis caput Deus, qui est charitas. Crescit, si necessitatem patienti subueneris: si volenti mutuare præstiteris: si amico animũ tuũ aperueris. Seruatur, si loquendo vel exhibẽdo etiã quæ non videntur necessaria, amicorũ voluntati satisfeceris. Seruatur etiã & augetur bono vultu, dulci sermone, hilari operatione: vt charitatẽ quã vultus & sermo indicant, pia & hilaris operatio cõfirmet. Quia exhibitio operis probatio est dilectionis.

De triplici vnguento.

CAP. XXVIII.

Super cãt. serm. 10.

EST vnguentum contritionis, delicta multa complectens. Et est vnguentũ deuotionis, multa continens beneficia: est & pietatis. Primũ pungitiuũ dolorẽ faciẽs, quia mouet ad cõpunctionẽ, amara recordatio peccatorum. Secundum temperatiuum dolorẽ læniens, diuinæ bonitatis intuitu consolationem dante, & sedante dolorem. Tertium sanatiuum, etiam morbum expellens. Nunc de singulis dissera-

mus. Est ergo vnguentum quod sibi anima cõficit, multis irretita criminibus. Sed cùm incipit cogitare vias suas, congerat conterátq; in mortariolo cõscientiæ multas ac varias species peccatorum suorum: & intra æstuantis pectoris ollam simul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ & doloris. Ecce hoc est vnum vnguentum, quo anima peccatrix suæ conuersionis primordia condire debet, plagisque suis recentibus adhibere. Primum nanque sacrificiũ Deo spiritus contribulatus. Nec est omnino spernenda, nec vilis æstimãda huiuscemodi species vnguẽti, cuius odor angelos ad exultationem inuitat. Sed est vnguentum tantò isto profectò preciosius, quantò de melioribus cõpositum speciebus. Fit enim vnguentum illud de diuinis collatis humano generi beneficiis. Felix qui ipsa sibi studiosè colligere, & ante mentis suæ oculos digna cũ gratiarum actione reducere curat. Profectò cũ fuerint in vasculo pectoris, pistillo crebræ meditationis contusa atque cõtrita deniq; igne sancti desiderij simul decocta omnia, & demũ impinguata oleo lætitiæ, erit vnctio longè preciosior excellentiórq; priore. Sed est vnguentum quod ambobus longè antecellit, & hoc appellauerim pietatis, eò quòd fiat de necessitatibus pauperũ, de anxie

Super cãt. sermo. 12.

anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentiũ: & postremò de omnibus quorumlibet miserorum erumnis, etiam si fuerint inimici. Despicabiles videntur species istæ. Sed est super omnia aromata vnguentũ, quod ex eis conficitur. Sanatiuum est beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequẽtur. Igitur multæ miseriæ collectæ atq; oculo pietatis inspectæ, ipsæ sunt species ex quibus vnguenta optima componuntur.

De triplici modo confessionis.

CAP. XXIX.

OMne quod remordet conscientiã confitere humiliter, pure, fideliter. Nonnunquã audimus aliquos reminisci ac iactitare impudentissimè mala sua præterita, quæ (verbi gratia) aliquando vel fortiter gladiatorio, vel argutè literatorio gessere cõflictu, seu aliud qui secundũ mundi quidẽ vanitatẽ fauorabile: secũdum animę verò salutẽ nociuum, pernicioſum, dãnosum. Nonnulli talia rememorant quasi dolendo & pœnitendo: sed gloriã in intentione captantes commissa sua nõ diluunt, sed seipsos illudunt. Nam Deus non irridetur,

Super cãt. serm. 16.

nec proditur, aut proiicitur vetus fermentum illa cõfessione, sed statuitur. Sed est cõfessio eò periculosius noxia, quò subtilius vana cũ ipsa etiam inhonesta & turpia detegere de nobis nõ veremur, nõ quia humiles sumus, sed vt esse putemur. Appetere autem de humilitate laudẽ, humilitatis non est virtus, sed subuersio. Verus humilis vult vilis reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus quòd laudes contemnit. Quid peruersius, quíd ue indignius, vt humilitatis custos cõfessio superbiæ militet, & tamẽ velis videri melior, & inde videris deterior? Mirabile iactantiæ genus, vt non possis putari sanctus, si non appareas sceleratus. Ac talis cõfessio speciem habens humilitatis nõ virtutem, non solùm veniã non meretur, sed & prouocat iram. Ecce, cur humilem confessionem esse debere dixi? Oportet autem esse & simplicem. Non intentionem fortè, quia latet homines, excusare delectet, si sit rea: nec leuigare culpã quæ grauis est: nec alieno adumbrare suasu, cùm inuitum nemo coẽgerit. Primum illud non confessio est, sed defensio: non placat, sed prouocat. Sequens monstrat ingratitudinem, & quo minus reputatur culpa, eò & minuitur gloria indulcoris. Sed enim minus libẽter beneficiũ datur, quod minus gratè, minúsve necessariè prouenire sentitur. Veniam sibi proinde abiudicat, qui munus largitoris attenuat, quod quidem omnis facit qui reatũ suum verbis alleuiare conatur. Genus excusationis est, cùm argueris tu, alium incusare. Porrò, excusare te velle quando corriperis, non modò minimè fructuosum, sed & pernicioſum. Merito quidem. In animam suam peccat qui se excusat: repellens proinde a se indulgentię medicinam, & sic vitam ore proprio sibi intercludens. Et quænam maior malicia quàm propria armari in salutem, & linguæ tuæ temetipsum mucrone confodere? Sit autem & fidelis confessio, vt confitearis in spe, de indulgentia penitus non diffidens, ne tuo te ore nõ tam iustifices quàm condemnes.

De triplici sapientia cordis, oris, & operis.

CAP. XXX.

In quibus sentent.

SApientia cordis est in pœnitudine peccatorum præteritorum, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Inuenisti planè sapiẽtiã, si prioris vitæ peccata defleas, si huius seculi desideria paruipendas, si æternã

beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inueniſti ſapientiam, ſi tibi horum ſingula ſapiunt prout ſunt. Vt hæc quidē amara & omnino fugienda, iſta quoque velut caduca & tranſitoria cōtemnenda. Illa verò vt perfecta bona totis appetenda deſideriis, intimi quodam animi ſapore diiudices & diſcernas. Sanè in his tribus ore affluis, ſapientia, vel prudentia: ſi ſit in ore confeſsio propriæ iniquitatis, ſit gratiarum actio & vox laudis: ſit etiam ſermo ædificationis. Nimirum corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Atque in principio, quidam ſermonis iuſtus accuſator eſt ſui: nam in medio magnificare Deum: in tertio quoque ſi eatenus affluit ſapientia, ædificare proximum debet. Iam verò & in opere affluendum eſt ſapientia & maximè. Quæramus ergo in opere triplicem affluentiam. Itaque puto ego, quòd ad opus pertinet copioſè ſatis affluere ſapientia, quicunque continenter, patienter, & obedienter conuerſatur. Tantum vt fidelis obedientia propriam mortificet voluntatem: humilis continentia ſecularem pariter & carnalem amputet voluptatem: hilaris patientia vtranque ſimiliter & corporalem, ſcilicet & mundialem viriliter ſuſtineat aduerſitatem.

De

De *triplici modo reuertendi ad dominum.*

CAP. XXXI.

In quibuſ ſententiam.

QVi vult venire poſt me, per me, ad me. Poſt me, quia veritas ſum: per me, quia via ſum: ad me, quia vita ſum. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Tria propoſuit Chriſtus: Dei virtus & Dei ſapientia, angelus magni cōſilij: animæ rationali ad imaginem trinitatis factę: ſcilicet ſeruitutem, vilitatem, aſperitatem. In abnegatione ſui ſeruitus, in tollitione crucis vilitas, in imitatione Chriſti deſignatur aſperitas. Vt quæ per inobedientiam de ſtatu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinæ miſeriæ per obedientiam reſurgat. Ceciderat igitur à ſe, à ſocietate angelorum, à viſione Dei: id eſt à libertate, à dignitate, à beatitudine. Audiat ergo conſiliū, vt abnegādo ſeipſum, id eſt, propriam voluntatem ſui libertatem recuperet. Tollendo crucem ſuam, id eſt, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcētiis crucifigendo, & per continentiæ bonū recuperet ſocietatem angelorum. Sequendo Chriſtum, id eſt, eius paſsionem imitādo,

recuperet claritatis eius visionem: quia si compatimur, & conregnabimus.

De sobrietate, iustitia, & pietate.

CAP. XXXII.

In quibus. sentent.

EBrietas exterior voluptatũ effusio: interior curiositatũ occupatio. Ecõtrà, sobrietas exterior voluptatum refrænatio: interior curiositatum exclusio. Ita viuit homo sobriè quãtum ad seipsum, iustè quantũ ad proximũ cui exhibet quod iustum est. Iustitia est in duobus modis, in innocentia, & in beneficentia. Innocentia iustitiam inchoat: beneficentia consummat. Piè quantum ad Deum. Pietas est in duobus vt de nobis non præsumamus, sed in Deo perfectè confidamus: vt per eũ omnia impedimenta mundi vincamus.

De timore, spe, & charitate.

CAP. XXXIII.

In quibus. dictis.

VIri sanguinũ & dolosum nõ dimidiabunt dies suos, perseuerãtes in sua vetustate vsque ad mortẽ: & hoc quia non timent dominũ. Verũ, qui timore Dei initiatur ad sapientiam, is cõtinuo dimidiat dies suos, exclamans præ timore, vadã ad portas inferi. Cuius vtiq; inferi metu, cùm cœperit quiescere à malis, incipiat de bonis quærere

rere consolationẽ qua necesse est in alterutro consolari. Est autẽ bona consolatio de spe salutis ęternæ in qua translatis peccatis quæ separabant inter ipsum & Deũ, per Dei gratiam reuiuiscit & hilarescit. In quo cùm cœperit proficere, quia qui vult piè viuere in Christo, necesse est (teste scriptura) persecutionẽ patiatur: vt recens gaudiũ vertatur in mœrorẽ & dulcedo boni vix summis (vt ita dicam) labiis attacta in amaritudinẽ cõmutetur. Plorat ergo amarius amissam dulcedinẽ, quàm peius fleuerat admissam peccatorum amaritudinẽ: & hoc tandiu facit, donec Deo miserante consolatio redit. Qua denuo redeunte, cognoscit eã quam passus est tẽtationem probationẽ fuisse, nõ desolationẽ. Porrò probationem fuisse ad eruditionem, non ad destructionem. Vnde & cognito suo de tentatione profectu, nõ tantum refugit, sed etiam tentari appetit. Crebris itaque huiuscemodi vicissitudinibus inter gratiæ visitationem & tentationis probationẽ, in schola virtutũ proficiens faciẽte vtiq; visitatione, ne deficiat, tẽtatione ne superbiat. Tali tandẽ exercitio mundato oculo interiori, statim adest lux, cui fideliter inhærere cupiẽs, sed corpore pressus non prævalẽs, ad seipsum nolẽs dolẽnsque resilit. Gustato tamẽ aliquatenus quã dul-

cis est dominus, eius ad sua etiam cùm redierit in cordis palato saporem retinet: quo fit vt iam ipsum non ipsius quæcunq; bona desideret, & hæc est charitas non quærens quæ sua sunt. Hæc facit non quærentẽ sua, sed patrem diligentẽ. Timor quippe faceret seruũ sua incõmoda declinantem: spes mercenariũ vt sua lucra sectantem. Nõ reuelatur seruo veritas, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam, quærit vtilitatem. Filio autem pater notam faciet veritatẽ suã. Reuelatur itaq; seruo Dei potestas, mercenario felicitas, filio autẽ veritas. Nõ quòd in Deo ista discreta sint, cui idem est posse, quòd felicem & veracem esse, sed quòd à creatura creator pro diuersis eiusdẽ creaturæ affectibus diuersis sentiatur respectibus.

De triplici vigilia, operum, verborum, & cordis.

CAP. XXXIIII.

In quibus. sententijs.

VIgilemus super opera nostra, ne vel omittamus quod præceptum est: vel qđ est prohibitũ cõmittam⁹. Vigilemus etiá sup verba nostra, ne in eis vel offẽdere Deũ, vel proximũ nocere cõtingat. Felix siquidẽ in omni cõfabulatione duplex iste timor solicitat, & duorum consideratio stimulat auditorum. Primum quidem diuinæ maiestatis, in cuius manus incidere prorsus horrendum est. Dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile est offendiculũ dare. Est autem vigilia super cor, cui sanè omnem iam custodiam exhibere sapiens monet: nimirum quia ex ipso vita procedit. Ego tamen etiam hanc constare arbitror specialiter in duobus, vt videlicet super affectionum pariter & cogitationum suarum greges, mens solicita vigilanter intendat. Et bene huic datur omnis custodia, à quo cæteras quoque duas procedere constat, nisi fortè, quod absit, simulationis gerantur studio, & pietatis habeant speciem non virtutem. Sicut enim fontis vena scaturiens nisi fontes ante repleuerit adiacentes, nec refluere, non sedari, nec in altum sese tollere præualebit, quod videlicet alias occupetur: sic humanus animꝰ donec eas, quas prædicimus, manus, & linguæ custodias solerter impleat, nec ad perfectam hanc suiipsius poterit reflecti curam: nec iocunda deuotionis tranquilitate frui: nec in sublimen diuinæ contemplationis profi cere gradum.

De

De iustitia, pace & gaudio spirituali.

CAP. LXXV.

In quibus. sentent.

EXhibent angeli iustitiã Deo, pacem nobis, gaudiũ sibi. Sic & tu ô homo, noli prius rapere quod tuũ est, & iustitiam quã Deo debes, & pacem quã proximo debes contemnere. Iustitia virtus est, qua redditur vnicuiq; quod suum est. Tu non solùm iustitiam, sed multas & multiplices iustitias debes creatori. Quicquid es, quicquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti. Sed cùm iustitiam feceris, fac & pacem. Quandiu enim sumus in hoc vase testeo, & fragilitate cõplexionis humanæ, non possumus inueniri scandalorum prorsus immunes. Si igitur recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, sis humilis ad veniam petendam. Si tu habes aduersus illum, sis facilis ad dandã, & omnia membra erunt in pace. Sic enim ad duo ista charitatem & humilitatem paratissimi, non poterimus dissentionem sentire. Sic enim procedentibus erit gaudium in spiritusancto. Non quidem gaudium carnale, non gaudium seculare, non cuius extrema luctus occupat, sed in quod magis tristitia vertitur. Non deniq; gaudium eorum

eorum qui lætantur cùm malefecerint, & exultatio quæ in reb' pessimis est, sed gaudium in spiritu sancto. Vnde autem hoc gaudium, nisi de iustitia & pace procedit? Erit quando gaudium nostrum purum erit & plenum, vt non modò in spiritu, sed de ipso quoq; spiritu gaudeamus.

De tribus transeuntibus per hoc seculum.

CAP. XXXVI.

In ser. ad abbates.

HOc mare magnũ, in quo vtique certum est, nõ aliud quàm præsens seculum amarum intelligi: tribus hominum generibus suo cuiq; modo peruium est, vt transeant liberati. Tres enim sunt, Noë, Daniel, & Iob, quorum primus naui: nã secundus ponte: tertius vado transit. Porrò, tres homines, tres ordines ecclesię signant. Noë quidem arcam rexit, ne periret diluuio: vbi protinus agnosco formam rectorum. Daniel vir desideriorum abstinentiæ & castimoniæ deditus, & ipse est soli Deo vacans pœnitentium & cõtinẽtium ordo. Iob quoq; substantiam huius mundi bene dispensans, in coniugio fidelem designat populum terrena licitè possidentem. Coniugatorum ordo est, qui mare magnum vado

do pertransit, laborioſum prorſus & periculoſum, etiam & longum habens iter, quippe qui nulla viæ compendia captat. Nam quòd periculoſum ſit iter, in eo patet, quòd tam multos in eo perire dolemus tam paucos videmus pertranſire. Valde enim difficile eſt præſertim diebus iſtis quibus malicia nimis inualuit: inter vndas huius ſeculi voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foueas declinare. At continentiũ quidem ordo ponte pertrãſit: quod iter breuius & facilius, & etiam ſecuri' eſſe, nemo eſt qui neſciat. Porrò, prælati quidem ipſi ſunt, qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Neq; enim certa pontis aliqua ſeu vadi ſemita coarctantur, vt liberè poſſint vſquequaq; diſcurrere & occurrere ſingulis vt oportet ac dirigere pontis ſemitam, ſeu vadi ordinare gradientes, pericula inueſtigare ac declinare, excitare tepidos, puſilla animes ſuſtentare. Denique aſcendunt vſq; ad cælos, & deſcendunt vſq; ad inferos: nunc quidem tractantes ſublimia, nunc infernalia & horribilia facta diiudicantes.

De tribus quæ neceſſaria ſunt prælato.

CAP. XXXVII.

PVritatẽ cordis in eo prælatus habet, ſi prodeſſe magis deſiderat, quã præeſſe: ſi ꝓpriũ cõmodũ vel honorẽ ſeu aliud quippiã ſuũ in prælatione nõ quærat præter ſolũ beneplacitũ Dei, & animarum ſalutẽ. Sed cũ intentione pura irreprehenſibilis quoq; neceſſaria eſt cõuerſatio, vt forma factus gregis, incipiat facere, docere, & ſecundũ magiſtri noſtri regulam quæcũq; docuerit diſcipulis eſſe contraria: hæc in ſuis actibus indicet non agenda, ne fortè ſubmurmurare poſſit frater, quẽ arguit & dicere. Medice cura teipſum. Talis enim occaſio plurima dãnatio prælati, plurima ſubditorũ perditio eſt. Non quòd ſine peccato penitus eſſe poſſit in hac miſera vita, ſed ꝙ ea quæ arguit in diſcipulis, oportet ſummopere vitare magiſtrum. Ob hoc qualis eſt in conuerſatione, talis ſit neceſſe eſt, etiam in occulta cogitatione, ne videlicet foris humilis, intus elatus, in corde ſuo prę ſumens de ſapientia ſeu virtute aut ſanctitate ſua, quæ eſt ſine dubio fides ficta: quæ non ſicut oſtendit humilitas conuerſationis in ſola domini pietate confidit. *In ſermo. vbi ſupra.*

De triplici modo subiectionis.

In quibus sententijs.

CAP. XXXVIII.

SCio quidem creaturam omnem velit nolit, subiectam esse creatori. Sed à creatura rationali voluntaria subiectio quæritur, vt voluntariè sacrificet domino. At verò subiectionem istam triplicem esse necesse est, vt quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino, & quod certum est eum nolle similiter execremur & nos. Quod autem incertum est, vtrum velit an nolit, neq; velimus ex toto, neq; penitus non velimus. Hic certè in hoc medio totum periculum est religiosorum, dum infeliciter blandimur nobis, & palpantes seducimus nosmetipsos. Hinc accidit quòd dissimulemus domini quærere voluntatem, dum & nostram facere, & aliquam de ignorantia habere volumus excusationem. Quis enim ille est tam infelix monachus, qui id nolle audeat quod certū est Deū velle, aut quod certus Deū nolle id velle præsumat? Sed in medio periculum est. Propterea vbi certa est voluntas Dei, omnino nostra sequatur. In his videlicet de quibus certum aliquod in scripturis inuenimus, aut ipse spiritus manifestè clamat in cordibus nostris, quid sentiendum sit, vt est charitas, humili

humilitas, castitas, obedientia. Hæc approbemus indubitanter, & appetamus quæ placere Deo scimus indubitanter: sic & ea omnimodis odisse debemus, de quibus certum est, quòd oderit ea Deus: vt est apostasia, fornicatio, iniquitas, impatiētia. In his verò rebus, de quibus certum nihil possumus inuenire, nihil certum volūtas nostra diffiniat, pendeat inter vtrunque, aut saltem neutri parti nimis adhæreat, cogitans semper ne fortè pars altera magis placea Deo: & parati simus voluntatem eius sequi in quamcunque partem eam cognouerimus inclinari.

De tribus metis obedientiæ.

CAP. XXXIX.

MOdus obeditionis est tenor professionis, nec se valet extendere potestas imperantis, nisi quantum attigerit votū profitentis. Citra & vltra, necnō etiam contra, quidam obedientiæ limites sunt. Quamobrē quilibet professus in quouis genere salutiferæ vitæ, nec vltra obediētiæ legem cogendus: nec citra est inhibendus, quā sua ipsius videtur amplecti professio. Quanto minus contrā? Is ergo qui medius est vitæ modus præfixus voto, professione *In libr. de præcep. & dispen.*

firmatus, solus sine dubio legi erit subiectus, obnoxius iussioni. Ergo prælati iussio vel prohibitio, non prætereat terminos professionis. Nec vltra extẽdi, nec contrahi citra. Nisi me prælatus prohibeat horum quæ promisi: nec plus exigat quàm promisi. Vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Necessitas quippe non habet legem: & ob hoc excusat dispensationem. Voluntas verò quoniam sola meretur retributionẽ, etiam sola non immerito gradum altiorem vsurpat. Alioquin & absq; necessitate remissio voti non dispensatio, sed præuaricatio est: & restrictio contra voluntatem, murmur est, non profectus. Cæterùm, subiectus huiusce modi obedientiam quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit: termino nõ arctatur, neque contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniũgitur spõtanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extẽditur. Et sanè quidam obedientiæ limes secundum tempus ipsa temporis æternitas, vt is sit terminus obedientiæ qui & vitæ.

De tri

De tribus gradibus obedientiæ.

CAP. XL.

BOnus quidem obedientiæ gradus est, si propter metum gehennę seu propter sanctam professionem quam professus est quispiam obedierit: melior tamen cùm ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est: ista charitatis. Illum autem dixerim obedientiæ gradum optimum, cum eo animo opus iniunctum recipitur quo & præcipitur. Cùm enim ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis, fit vt nec maius minoribus nec minus maioribus confusè, vt adsolet, adimpletũ, quod iniungitur subiecti studium impendatur: sed moderante animo, quæque pro sua dignitate imperia, modũ sciat vtrobiq; seruare, tam in obseruando videlicet iussa quàm in cauendo prohibita: non quòd minimum horum quæ iubentur contemnendum putet: etsi non minimum quod minimum est reputet: sed minimum ex comparatione maiorum. Nouit verus humilisq; obediens, & minima non contemnere: & maximè curare quæ maxima sunt: intimo quodam deuoti syncerisq; animi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat.

Vbi supra

De triplici modo culpæ quæ contrahitur in transgressione.

CAP. XLI.

In libr. vbi suprà.

TRaduntur à prælatis interdum minima mandata, quorum transgressio leuiora parit peccata: & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit, quoties abbatis iussio quæ quidem iustitiæ non repugnat præteritur. Sicut tamen nõ par cura in executione exigitur, sic nec par culpa contrahitur ex transgressione. Et si quidem vnus est qui offenditur, non tamen vnius ponderis quæ iubentur, nec vnius subinde discriminis iussorum omniũ censenda est transgressio. Etsi enim omnis inobedientia inexcusabiliter sit culpabilis, nulla tamen æternalitet damnabilis, nisi quã remedium pœnitentiæ non sanat: nulla est lethaliter criminalis nisi quæ contemptum superbiæ non euitat. Magna igitur securitas filiis obedientiæ, & reuera pax hominibus bonæ voluntatis, quando in omni inobedientia sola damnatur impœnitentia, quam nescit qui diligit Deum, sola incriminatur superbia, quàm facilè cauet, qui timet gehennam. Sed exemplis clarius elucescit quod dicimus. Si iubẽte seniore vt fileam, verbum mihi fortè per obliuionem elabitur, bitur, reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu sciens & deliberans sponte in verba prorupero & rupero silentium, silentij legis præuaricatorẽ me constituo & criminaliter. Et si impœnitens perseuero vsque ad mortem, peccaui & damnabiliter.

De triplici consideratione, quæ omne opus præueniri debet.

CAP. XLII.

SPiritualis ille homo, qui omnia diiudicat, vt ipse à nemine iudicetur, omne opus suũ trina quadam consideratione præueniet. Primũ quidem an liceat: deinde an deceat: postremò an expediat. Nam etsi cõstet in Christiana vtiq; philosophia nõ decere, nisi quod liceat: non expedire, nisi quod decet & licet: non continuò tamen omne quod licet decere, aut expedire consequens erit. At quomodo non indecens voluntate pro lege vti, potestatem exercere, negligere rationem? Quanquam non minus deiecti quàm elati animi est, veluti rationis expertem: non pro ratione, sed pro libitu agere: nec iudicio agi, sed appetitu. *In lib. de consideratio.*

De triplici testimonio: alterius, nostri, & Dei.

CAP. XLIII.

In quibus sentent.

NEmo scit hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, vt cōparatione interioris testimonij exterius omnino pro nihilo sit habēdū. Quid enim mihi cū eorū laudibus, quibus ignotus sum? Quòd si vel ipse, qui in nomine est spiritus omnia quæ hominis sunt, nosse posset, profectò sufficeret testimoniū eius. Nunc autem prauū est & imperscrutabile cor hominis, etiam sibi ipsi: adeo vt præsentia quoque magna ex parte ignoret: futura verò sua omnino nosse non possit. Quia tamen aliquatenus nouit præsentia, si non reprehendat nos, non quidem gloriam sed fiduciam habemus ad Deum. Cùm autem veritatis ipsius quam nihil latet, sententiam de nobis tenere meruimus in ea planè securius poterimus gloriari. Vt quid enim de alterius hominis, aut de meo ipsius iudicio sollicitus sum, cuius nec vituperio reprobus, nec laude probatus inueniar? Fratres, si me ante vestrū, oporteret tribunal adstare, merito super vestris laudibus gloriarer. Quòd si vel meo ipsi' iudicio essem iudicandus examine, iure meo ipsius testimo

stimonio contentus propriis laudibus delectarer. Nunc autem nec vestro nec meo, sed Dei iudicio sum præsentandus. Quantæ insipientiæ imò & insaniæ est, aut in vestro me, aut in meo ipsius testimonio gloriari: præsertim cùm ipse sit, cuius oculis omnia nuda & aperta, & cui nequaquā opus sit, vt quis ei testimonium perhibeat de homine?

De triplici distinctione sapientiæ.

CAP. XLIIII.

In quibus sentent.

DIcitur sapientia carnis, quæ inimica est Deo: & sapientia huius mundi stultitia apud Deum. Vtraque ista secundū Iacobum apostolū terrena est animalis, diabolica. Secundum hanc sapientiam dicuntur sapientes, vt faciant mala: bene autem nesciunt facere. Nulla tamen sapientia siue carnis siue mundi ædificat: imò destruit, quamcunque domum inhabitat. Est ergo alia sapientia, quæ desursum est: primùm quidem pudica, deinde pacifica.

In 1. serm. de natiui. domini.

Nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica. Sapientia mundi tumultuosa est, non pacifica. Sapientia verò quæ ex Deo est, primum quidem pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi,

vt non suam quisque faciat voluntatem, sed consideret quę sit voluntas Dei, deinde pacifica non abundans in sensu suo, sed alieno magis aequiescens consilio vel iudicio.

De triplici genere paupertatis.

CAP. XLV.

In serm. de oibus sanc. de lectione euang.

VEritas loquitur quæ nec falli, nec fallere potest: & ipsa est quæ dicit: beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filij Adá diuitias quęritis, diuitias desideratis vsque adhuc, cum iam beatitudo pauperum diuinitus commendata prædicata mundo credita sit ab hominibus. Quęrat eas Paganus, qui sine Deo viuit, quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte, magis autem qua mente Christianus diuitias quærit, postquá Christus beatos esse pauperes prædicauit? Quousque filij alieni quousque vanitatem loquetur os vestrum, vt beatũ dicatis populum cui hæc sunt: hæc visibilia, hæc præsentia: cùm filius Dei os suum aperiens locutus sit veritatem: beatos esse pauperes, & væ diuitibus? Sed diligenter attende, quòd non simpliciter pauperes nominat propter plebeios pauperes necessitate mirabili, nõ laudabili voluntate. Spero quidem profuturam eis apud diuinæ bonitatis

nitatis misericordiam, hanc ipsam suæ afflictionis miseriam. Scito tamen dominũ non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum propheta: voluntarię sacrificabo tibi. Attamen non voluntaria quidem paupertas omnis, laudem habet apud Deum. Nam & philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius. Et nolebant censu abundare terreno, vt abundarent magis suo sensu. Hos discernit quòd dictum est spiritu, id est, spirituali voluntate. Beati verò pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei & animarum salutem: quoniã ipsorum est regnum cælorum. Sed quis est qui sic loquitur, qui sic beatificat pauperes & sic dicat? Putas poterit verũ esse? Erit sine dubio. Siquidem verax & potens est qui promittit.

De triplici modo viuendi in congregatione.

In serm. de apost. Pet. & Paulo, qui incip. Gloriosa nobis.

ARbitror quòd tu qui in cõgregatione Ves, bene viuis: si viuis ordinabiliter, socialiter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, socialiter proximo, humiliter Deo. Ordina-

biliter, vt in omni conuersatione tua sollicitus sis obseruare vias tuas, & in conspectu domini, & in conspectu proximi, cauens & tibi à peccato, & illi à scandalo. Socialiter vt studeas, & amari & amare: blandum te & affabilem exhibere, supportare non solùm patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quàm corporum. Humiliter, vt cùm hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exufflare, qui ex huiusmodi nasci solet: & quantũcunque illum senseris, negare omnino consensum. Sic & in patiendo malum: & quoniam triplex est, triplicem prouidentiam adhibere te oportet. Est enim quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo. Primum est austeritas pœnitentiæ, secundum vexatio alienæ malitiæ, tertium flagellum correctionis diuinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntariè sacrificare, quod à proximo patienter ferre, quod à Deo sine murmure & cum gratiorum actione sustinere.

In serm. de dedica. qui sic incipit, Olim rex gloriosus.

De tribus quæ necessaria sunt ad parandum domum domini.

CAP. XLIIII.

NOn capit Deũ, nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirũ ad eius imaginẽ est creata. Propter q̃ toto

cum desiderio & digna gratiarum actione studeamus ei templum ædificare in nobis. Primo quidẽ loco studeat vnusquisque, ne dissideat ipse à semetipso: quoniam non intrabit Christus, vbi fuerint parietes inclinati & macerie depulsæ. Nonne enim corporis sui domum integrã animam vult habere & exire aliam necesse est, si fuerit à se inuicem mẽbra dispersa? Videat ergo & ipsa, si desiderat habitare Christũ per fidẽ in corde suo, id est, in seipsa sollicitè caueat, ne à se inuicem membra eius dissideant, id est, ratio, voluntas atque memoria. Sit ergo sine errore ratio, vt bene congruat voluntati: talem enim voluntas amat. Sit & voluntas sine iniquitate: quoniam ratio talem approbat. Alioquin si sese iudicat, anima propter voluntatis prauitatem in eo quod per rationem probat, bellum inteſtinum est, & discordia periculosa: quoniam voluntatem huiusmodi ratio semper fugillat, sed accusat, sed diiudicat, sed condemnat. Sic & memoria sine sorde, vt nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confessione & dignis fructibus pœnitentiæ deleatur. Alioquin conscientiam in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio

decep

decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria fuerit inquinata.

De triplici apparatu necessario ad custodiam castri Dominici.

CAP. XLVIII.

In serm. de dedica. qui incipit, Domus hæc fratres.

TRiplici nobis opus esse nouerimus apparatu ad custodiam castri Dominici: munitione videlicet & armis, & alimentis. Quæ est ergo munitio? Munus cõtinentia est, antemurale patiẽtia est. Bonus continentiæ murus, qui sic vndique circundat & circuncingit vt nec per oculorum fenestras, nec per cæteros sensus detur ingressus morti. Bonum antemurale patientiæ quod primos hostium sustinet impetus, vt inter plurima tentamenta stemus viriliter, & perseueremus iugiter incõcussi. Vnicum quippe remedium est dum cõtinentia quatitur, & quodammodo nutat obiicere patientiam: & quantuncunque ferueat sensus peccati, negare omnino consensum. Oportet autem & arma parare, arma spiritualia potentia Deo, non tantùm ad resistendum, sed ad impugnandum quoque & expugnãdum viriliter inimicum. Grauis æquidem nobis est inimici tentatio, sed longè grauior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas eius

eius vt versutia, sed multò amplius nostra cum simplicitas & misericordia torquet: humilitatem nostrã non sustinet: vtitur charitate nostra mansuetudine & obediẽtia cruciatur. Iam verò nec nobis alimẽta desunt, qui & sermones frequenter, & frequentius sacras lectiones audimus, & interdum spiritalis quoq; deuotionis gustamus delicias. Panis etiam lachrymarum licet minus suauis, optimè tamen confirmat cor hominis. Habemus super omnia de cælo panem viuũ, corpus domini Saluatoris. In cuius vtique fortitudine cibi, omnis aduersæ partis deicitur fortitudo.

De tribus periculis in domo domini.

CAP. XLIX.

V bi suprà.

NIhil nos oportet timere in castro domini, si tantum fideliter & viriliter agere voluerimus, vt videlicet nec proditores, nec pauidi, nec desides inueniamur. Nã proditores quidem sunt, qui discordias seminãt, & nutriunt scandala. Sicut enim in pace fact' est locus domini, sic in discordia locũ diabolo fieri manifestum est. Omnino proditorem se se nouerit, quicũque est ille, qui vitia quælibet in domum domini conatur inducere: & templũ Dei sepelunca vult facere

facere dęmoniorum, Secundo loco illud est cauendum, ne quis fortè pusillanimitate deiectus fugiat à munitione: ibi trepidans timore, vbi nō est timor: vbi verò summum periculum est, insana temeritate securus. Hostilibus enim manibus, hostilibus gladiis se exponit: quicunque est ille qui fugit, ac si ignoret, quoniam hostes illi omnino carent misericordia. Crudeles quidem in alienos, sed multò crudeliores in suos, quippe crudelissimi in seipsos. Iam verò tertium quoque periculum breuiter dico. Quid prodest, si nec prodere castrum, nec relinquere velis, sed segnis & desidiosus in eo permaneas? Toto proinde animo, tota virtute, castrum domini manu tenere laboremus: soliciti contra omnes inimici versutias, & aduersus omnia eius machinamenta parati.

De veritate, charitate, & fortitudine.

CAP. L.

Inserm. in rogat, qui incipit. Quis vestrum habebit amicum. &c.

HIs tribus egere me fateor: veritate, charitate, fortitudine. Deficit quippe ratio mea præ ignorantia veritatis: languet & volūtas præ inedia affectionis: infirmatur caro præ inopie fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit, quę agenda sunt:

voluntas minus diligit intellecta. Et ad hęc etiam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non quæcunque volumus illa faciamus. Neque enim paterer hunc defectum, si iugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis: voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis.

De triplici timore.

CAP. LI.

In serm. x. de domi. post octa. epip.

TImor ad ima cogitationem deducit, & inferioribus immoratur: atq; horrēda loca pauida mente collustrat. Est autem duplex timor: communis & notus omnibus, tertius minus communis, & minus notus. Primus enim timor est ne cruciemur in gehenna, secundus ne excluſi à visione Dei priuemur tam ineffabili gloria, tertius rimor replet animam omni solicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratia. Et quidem omnis timor domini sicut aqua extinguit ignem: sic extinguit peccati concupiscentiam: sed is maximè cùm ad omnem tentationem statim occurrit, ne fortè cōtingat amittere gratiam, vt sibi derelictus homo, labatur quotidie de malo in peius: de periculo minori in grauiorem culpam, quales vtique multos videmus cum in sordibus sint, sordescentes adhuc.

In. 2. ser. vbi suprà.

adhuc. Nam aduersus timorem istum, non est unde blandiatur sibi anima: siue de minori forte quantitate peccati, siue de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima generatimoris.

De tribus in quibus consistit summa spiritalis exercitij.

CAP. LII.

In serm. 2. de apostol. Petro & Paulo qui incip. Sancti isti.

HAec spiritalis summa est exercitij: hæc forma studij spiritalis, vt sapiẽter disponamus præsentia nostra: recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita: futura quoque sollicitè prouideamus. Sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo (ait apostolus) vt videlicet in presenti sobrietas obseruetur: vt iusta satisfactione preterita quę nobis sine fructu salutis præteritæ tempora redimantur, vt pietatis clipeũ imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim, quæ ad omnia valet pietas: cultus scilicet Dei humilis & deuotus: nec aliter nobis est prouidere nouissima, nisi vt vniuersa quæ nobis imminere videntur, pericula sedula nobiscum cogitatione versantes discamus de nostra omnino industria, magis autẽ de nostris diffidere meritis & soli nos diuinę profectioni cõmittere: pio

pio quodam mentis affectu, & effectu piæ intentionis nos proiicientes in ipsum: cuius datum optimum & donum perfectum est: consummatio felix, & mors preciosa: Vtinam hęc in nobis inueniantur, vt suauiter omnia nostra per sapientiam disponamus, vt intellectu peccata præterita damnemus, vt prouideamus futura consilio. Vtinã sapiamus ad præsentis vitæ moderationem: vtinam intelligamus ad prętęritę correctionem: vtinam deuota in Deum fide prouideamus, vt felicem habeamus ipso miserante consummationem. Hic enim est funiculus triplex, quo trahimur ad salutẽ, ordinata conuersatio, rectum iudicium, fides deuota.

De morte, diabolo, & peccato.

CAP. LIII.

Inser. 1 de transl. sã. Malachi. qui incip. De calorum, si fuerit sine discretiõe, quę venit exprę vobis hoc die &c.

DVra & inexorabilis mors, cęca & improuida: nec mirum iniquam esse, quãgenerauit iniquitas: consideratam, quam seductio noscitur peperisse. Nihil inquam mi serpentis fallacia & mulieris insipientia prodit. Omnium electorum caput furibunda peruasit. Peruasit vtique immunem, sed non immunis euasit. Impegit in vitam

mors, & inclusit intra se mortem vita: & absorpta est mors in vita. Hamũ sibi deuorás, inde teneri cœpit vnde visa est tenuisse. Ac fortasse quis dicat. Quomodo mors à capite superata videtur, quæ tanta adhuc libertate sæuit in membra? Si mors mortua, quomodo occidit? Si victa, quomodo prævalet vniuersis: & non est homo qui viuat, & non videat mortem? Victa planè mors opus diaboli, & peccati pœna: victum peccatum causa mortis, victus & ipse malignus, & peccati author & mortis. Nec modo victa sunt hæc, sed & iudicata iam & damnata. Diffinitra quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique iam diabolo ignis paratus est, & si nondum ille præcipitatus in igné, modico adhuc tempore sinitur malignari: tanquam malleus cælestis opificis, factus est malleus vniuersæ terræ. Terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis autem paterfamilias, tales & domestici eius, peccatũ scilicet & mors. Nam & peccatum licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non negare quidem, sed habitare in ipso etiam dum viueret à populo permittebatur. Sic & mors ipsa minimè quidem abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cùm dicetur:

vbi

vbi est mors victoria tua? Et ipsa siquidem inimica nouissima destruetur. Nunc verò moderante eo, qui imperium habet vitæ & mortis, & mare ipsum certis coércet litorum metis, mors ipsa dilectis domini, somnus refrigerij est. Pessima quidem mors peccatorum, quorum & natiuitas mala & vita peior. Sed preciosa est mors sanctorum: preciosa planè tanquam finis laborum, tãquam victoriæ consummatio, tãquam vitæ ianua, & perfectę securitatis ingressus.

De charitate, castitate & humilitate.

CAP. LIIII.

In epistol. xiij. adhẽ rico Seno nẽsem archiepisco.

CHaritas, castitas, humilitas, nullius quidem coloris sunt, sed nõ nullius decoris, nec mediocris decoris, qui diuinos quoque delectare possit aspectus. Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo cõceptum semine: de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se, pudicus homo & angelus: sed felicitate non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quę in hoc mortalitatis & loco & tempore statum quẽdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola

inter nuptiarum solẽnia, morẽ beatæ illius vendicat regionis: inqua neq; iubẽt, neq; nubentur: præbens quodammodo terris cælestis iam illius conuersationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebro periclitamur: tenet & castitas in sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quo condita cadauera incorrupta seruãtur: sensus ipsa & artus continet & constringit, ne dissoluantur in ociis, ne corrumpantur in desideriis ne carnis voluptatibus computrescant. Verùm quantalibet venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen nec precium habet nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides. Sed nec si montes transferat? Scientia. Sed nec illa quidem, quæ lingua loquitur angelorum? Martyrium. Nec si tradidero inquit corpus meum ita vt ardeam? Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quantumlibe exiguam respuitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lãpas non lucet. Tolle charitatem, castitas nõ placet. Iam de tribus quæ proposuimus, sola tractanda restat humilitas. Hæc duabus præmissis virtutibus tantum est necessaria, vt absque ista, illæ nec esse virtutes

tutes videantur. Nempe vt castitas seu charitas detur: humilitas meretur: quoniam humilibus Deus dat gratiam. Seruat acceptas, quia nec requiescit spiritus, nisi super quietum & humilem. Seruatas consummat nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate perficitur. Inimicam omnis gratiæ omnísque peccati initium debellat superbiam: & tam à se quàm à cæteris virtutibus superbam illius propulsat tyrannidem. Siquidem cùm ex aliis quibusque bonis virium suarum magis capere soleat incrementum superbia, sola hæc omnium propugnaculum quoddam turrísque virtutum eius fortiter resistit maliciæ, obuiat præsumptioni.

De tribus impulsoribus hominis.
CAP. LV.

IMpulsor hominis diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit quæris? Quisque sui. Noli mirari. Vsque adeò homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, vt non sit quod in altero propulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. Manus tua, consensus tuus. Si diabolo suggerente vel seculo suadente, quod nõ oportet, assensum tuum

tenueris, & non dederis membra tua arma iniquitati, nec permiseris peccatū regnare in tuo mortali corpore, tibi malicia omnino nil nocuit. Vide ne magis profuerit. Cū igitur tres sint stanti immnientes: horum diabolus liuore malicie: mundus vento vanitatis: homo semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non euertit: si tu quidem tuum illi negaueris auxilium vel assensum. Est & mundus impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos euertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi ne cadam. Nam qui vult mundi huius esse amicus, inimicus Dei constituitur: quo vtique nullus grauior casus. Ex quibus satis claret. quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo non potest. Cuinam horum præcipuè resistendum? Nempe huic qui eò molestior, quò interior solus deiicere potest & sufficit: cùm sine ipso alij possint facere nihil. Non sine causa sapiens ex pugnatori vrbium prætulit virum, qui animo suo dominatur.

De tribus generibus non habitantium in adiutorio diuino.

CAP. LVI.

Super psa Qui habi. Serm. 1. & Serm. 1.

TRia eorum reperies genera, qui non habitant in adiutorio diuino. Vnum non sperantium, aliud desperantium: tertium frustra sperantium. Neque enim habitat in adiutorio diuino, qui nō posuit Deū adiutorem suum: sed confidit in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum, & sola temporalia quærens, elongatur ab adiutorio Dei quod sibi adhuc necessarium esse nō reputat. Fortè enim feruorem habet quis potens in vigiliis, in ieiuniis, in labore, & cæteris huiusmodi: aut etiam multorum, vt sibi videtur diuitias meritorum longo tempore acquisiuit: & in his confidens remissior est in timore Dei: facilè iam ad ociositates & curiositates perniciosa quadam securitate declinat, murmurat, detrahit, diiudicátque. Qui profectò si habitaret in adiutorio Dei, attenderet vtique sibi, & timeret offendere eum, quem sibi cognosceret adhuc tam necessarium esse. Tantò siquidem amplius timere Deum & magis sollicitus esse debuerat, quantò maiora eius munera iam percepit. Neque enim quæ ha

bemus ab eo, seruare aut tenere possumus sine eo. Sunt verò aliqui, qui in conuersionis initio satis timorati & solliciti sunt, donec initium aliquod conuersionis acceperint, & cùm multò magis deseruire debuerant, sic agere incipiunt acsi dicant: Vt quid ei seruiamus vltra, quando iá habemus quod daturus est? O si scires, quàm parum est, quod habes: & hoc ipsum quàm cito perdis, sinon seruauerit ille qui dedit. Hi sunt qui non sperant in domino, qui propterea non habitant in adiutorio altissimi: quia non reputant illud necessarium esse. Sunt autem alij, qui & desperant: hi videlicet, qui considerâtes imbecillitatem propriam deficiunt, & obruuntur à pusillanimitate spiritus, habitantes in carne sua: & circa infirmitatem propriam semper intenti: vt omnia quæ patiuntur, cursum enumerare parati sint. Vbi enim intenderis, ingenium valet. In adiutorio autem Dei nõ habitant, neque nouerunt illud, sed nec assurgere valent, vt aliquãdo cogitent illud. Sunt autem alij, qui sperant quidem in domino sed frustra: quia sic de misericordia eius sibiipsis blandiuntur, vt à pecatis suis non emendentur. Vana est omnino spes ista, & hęc confundit: eò quòd charitas desit. Frustra siquidem sperat, qui contemptu suo, gratiam

tiam à se repellit, & spem suam prorsus euacuat. Nullus horum trium habitat in adiutorio altissimi. Primus enim habitat in meritis suis: secundus in pœnis: tertius in vitiis. Immunda habitatio tertij anxia, secundi stulta, & periculosa primi. Qui considerationepropriæ infirmitatis desperatione deiiciuntur, in adiutorio altissimi non habitant, quia desperant. Priores autem id circo non quærunt, quia nequaquam sibi illud necessarium sentiunt. Extremi verò propter ea longè sunt, quòd eo modo quærant auxilium Dei, quo obtinere non possunt. Soli enim in adiutorio altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant, sedula circa illud & sollicita cogitatione versantes, quæ est vtique pietas cultus Dei. Beatus planè qui sic habitat in adiutorio altissimi, quia in protectione Dei cæli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum, quę sub cælo sunt, quem Deus cæli protegere & conseruare voluerit? Igitur nihil eorum quæ sub cælo sunt, timere potest, quis quis protectionem Dei habere meruerit

***

De tribus malè fructificantibus.
CAP. LVII.

In ser. de sanct. Ben

SVnt qui fructum suum non faciunt: sunt qui faciunt, sed non suum: sunt qui faciunt suum, sed nō in tempore suo. Sunt inquā arbores infructuosæ, vt sunt quercus, & vlmus, & siluestres aliæ arbores. Sed huiusmodi nemo plantat in orto suo: quia fructum nō faciunt: & si quem faciūt, nō humano esui aptus est, sed porcino. Tales sunt filij huius seculi, agentes in commessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis. Hæc nanque porcorum cibus sunt, quibus Christianus nō debet adhærere. Sicut enim caro porcina cùm comeditur nostræ adhæret carni: vt iam sit vna caro, sic transgressor dominici præcepti spurcos sibi spiritus sociat & adhærendo eis, vnus cum eo efficitur dæmon. Arbores autem quæ fructum faciunt sed nō suum, hypocritæ sunt: cum Symone cyreneo crucem portantes non suam qui religiosa intentione carentes angariantur: & quæ non amant amore gloriæ eam desiderant, facere compelluntur. Nam in eo quod dicitur in tempore suo arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nōne enim & arboribus nostris citius quàm oporteat pullulantibus, timemus omnino flo

floribus intempestiuis? Sic sunt aliqui, quorum fructus quia nimis propere, minus prospere oriuntur. Hi sunt qui in initio conuersionis suæ aliis continuo velle fructificare præsumunt, contra legis decreta arare in primogenito bouis, & ouis tondere primogenita festinantes.

De triplici arrogantia & duplici ignorantia.
CAP. LVIII.

In libr. de dili. Deū.

HOmo factus in honore, cum honore ipsum non intelligit, talis suæ ignorantiæ merito comparatur pecoribus: velut quisbusdā præsentis suæ corruptiōis & mortalitatis consortibus. Fit igitur, vt sese non agnoscendo, egregia rationis munere creatura irrationabiliū gregibus incipiat aggregari: dū ignara propriæ gloriæ quæ abintus est, conformāda foris rebus sensibilibus, sua ipsius curiositate abducitur: efficitúrq; vna de cæteris, quòd se præ cæteris nihil accepisse intelligatur. Itaq; valde cauēda hæc ignorantia, qua de nobis minus nobis forte sentimus, sed nō minus, imò & plus illa, qua plus nobis tribuimus. Quod fit, si bonúquodcūq; in nobis esse, & à nobis decepti putemus. At verò super vtrāq; ignorātiam declinā da

&

& execranda illa præsumptio est, quã sciens & prudens forte audeas de bonis non tuis tuam quærere gloriam, & quod certus es à te tibi non esse: inde tamen alterius rapere honorem non verearis. Prior equidem ignorantia gloriam non habet. Posterior verò habet quidem, sed non apud deum. Cæterùm, hoc tertium malum quod iam scienter committitur, vsurpat & contra deum. Intantum denique ignorantia illa posteriori, hæc arrogantia grauior & periculosior apparet: quo per illam quidem deus nescitur per istam & contemnitur. Intantum & priori deterior ac detestabilior, vt cùm per illam pecoribus, per istam & dæmonibus sociemur. Est quippe superbia & delictum maximũ vti datis tanquã innatis, & in acceptis beneficiis gloriã vsurpare beneficii.

De triplici ignorantia.

CAP. LIX.

Supercãt. sermo. 35. IGnorans ignorabitur: siue se, siue Deum ignorare cõtingat. Vtrunque sine dubio. Vtraque damnabilis est ignorantia: vtraliet sufficit ad perditionem. Volo proinde animam primo omnium scire seipsam, quod id postulet ratio, & vtilitatis & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus: Primum est nobis. Vtilitatis verò, quia

Supercãt. sermo. 36.

quia talis scientia non inflat sed humiliat. Porrò, ad se humiliandum nihil anima inuenire viuacius seu accommodacius potest, quàm si se in veritate inuenerit tantum nõ dissimulet: non sit in spiritu eius dolus, statuat se ante faciem suam, ne se à se auertere abducatur. Nonne ita se intuens clara luce veritatis: veræ humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit onerata pecatis mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fœce infectã, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus erumnosam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes? Vnde iam huic extollentia oculorum vnde leuare caput? Nonne magis conuertetur in erumna sua, dum configitur spina? Conuertetur inquam ad lachrimas: conuetetur ad planctus & gemitus: conuertetur ad dominum. Porrò, conuersa ad dominum recipiet consolationem: quia pater est misericordiarum, & deus totius cõsolationis. Nec mediocris dei visio, pium & deprecabilem experiri: sicut reuera benignus & misericors est. Tali itaque experimento, &

& tali ordine salubriter innotescit Deus: cùm prius se homo nouerit in necessitate positum: & clamabit ad dominum & exaudiet eum: atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei tui cognitio. Sed iam demum aduerte quomodo vtraque cognitio sit tibi necessaria ad salutem, ita vt neutra carere valeas cum salute. Nam nemo absque sui cognitione saluatur: de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor domini: qui & ipse sicut est initium sapientiæ, ita est & salutis. Quid si ignoras Deum? Poterit ne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Nec hoc quidem. Nec enim potes aut amare quem nescias, aut habere quem non amaueris. Noueris proinde te vt Deum timeas. Noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam: in altero & cosummaris: quia initium sapientiæ timor domini est, & plenitudo legis est charitas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quàm sine timore & amore Dei salus esse non potest. Cætera indifferentia sunt, nec salutem si sciãtur, nec damnationem si nesciãtur habentia. Neque enim omnis ignorantia damnat, sed & multa & innumera constat esse quæ nescire liceat absque diminutione salutis. Verbi gratia. Si ignoras fabrilem

super cãt. serm. 37.

*Vbi suprà ser.*36.

lem artem, seu carpentariam, aut cæmentariam, & quæcunque istiusmodi artes sunt quæ ad vsus vitæ præsentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad salutem? Etiam absque omnibus illis artibus quę liberales dicuntur (quamuis honestioribus vilioribúsque studiis & discantur & exerceantur) quàm plurimi hominum saluti facti sunt, placentes moribus atque operibus. Non tamen dico contemnendam aut negligendam scientiam literarum, quæ ornat animam & erudit eam: & facit vt possit etiam alios erudire. Sed duo illa oportet & expedit vt præcedant: in quibus summa salutis constituitur, sicut superior ratio declarauit.

*Ibi ser.*37

De tribus bonis eminentioribus in homine.

CAP. IX.

QVærat homo eminentiora bona sua in ea parte sui, qua præeminet sibi: hoc est in anima, quæ sunt dignitas, scientia, virtus. Dignitatem in homine liberum dico arbitrium in quo ei nimirum datum est cæteris non solùm præeminere sed etiam præsidere animantibus. Scientiam verò qua eandem in se dignitatem agnoscat, nõ à se tamen. Porrò, virtutẽ qua subinde ipsum à quo est, & inquirat non parum segniter, & te

In lib. de diligendo Deum.

& teneat fortiter cùm inuenerit. Itaque geminum vnũquodq; trium horum apparet: Dignitatem siquidem demonstrat humanam, non solùm naturæ prærogatiua, sed etiam potentiam dominatus, qua terror hominis super cuncta animantia terræ imminere discernitur. Scientia quoque duplex erit, si hanc ipsam dignitatẽ, vel aliud quodcunque bonum in nobis, & nobis inesse, & à nobis non esse congnouerimus. Porrò, virtus & ipsa æquè bifaria cognoscetur, si authorẽ consequẽter inquirimus, inuentóque inseperabiliter inhæremus. Dignitas ergo sine scientia non prodest. Illa verò etiam obest, si virtus defuerit. Quod vtrumque ratio subiecta declarat. Habere enim quod habere te nescias, quam gloriam habet? Porrò nosse quid habeas, sed quia à te non habeas ignorare, habet gloriam, sed non apud deum. Vtrũque ergo scias, necesse est & quid sis, & quòd à teipso non sis, ne aut omnino videlicet non glorieris, aut inaniter glorieris. Quamobrem cum duabus his dignitate atque scientia opus est & virtute,

quæ vtriusque fructus est, per quam
ille inquiritur ac tenetur, qui
omnium author & dator
merito glorificetur
de omnibus.

De

De triplici modo sciendi.

CAP. LXI.

SCias quo ordine, quo studio, quo fine, quæq; nosse oporteat. Quo ordine, vt id prius quod maturius ad salutem. Quo studio, vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine, vt non ad inanem gloriam aut curiositatem, aut aliquid simile: sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt nãque qui scire volunt eo fine tã tũ vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt vt sciant ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam vendant (verbi causa) pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est. Et item sunt, qui scire volunt vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo non inueniũtur in abusione scientiæ, quippequi ad hoc volunt intelligere, vt bene faciant. Scienti enim bonum & non facienti, peccatum est illi. Ac si per similitudinem dicat. Sumenti cibum & nõ digerenti, pernicioſum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores & corrumpit corpus, non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ,

Super cãt ſerm. 36.

P

qui est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit: & sic per quosdam artus animæ mores scilicet atque actus transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ nouerit, vita attestante & moribus bona efficiatur. Nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos noxiósque humores? An non malus humor peccatum? An non mali humores praui mores? An non inflationes & tortiones in conscientia sustinebit qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens?

De tribus occultis.

CAP. LXII.

In quibusdam dictis.

TRia sunt occulta. Illicita actio, dolosa intentio, impudica affectio. Praua operatio inquinat memoriã. Dolosa intẽtio rationem vel mentẽ. Impudica affectio voluntatem. Mundatur memoria per confessionem, mens per lectionem, affectio vel voluntas per orationẽ. Ab alienis mundus eris, si non insultes, si non descedas, si non consentias, si non dissimules. Iustitiæ est non consentire, sed cum rigore resistere. Fortitudinis non discedere, sed mala proximi patienter tolerare. Temperantiæ non insultare, sed cum moderamine compati. Prud

Prudentiæ non dissimulare, sed sollicitè vbi mala desinant prouidere.

De triplici corde.

CAP. LXIII.

In quibusdam dictis.

ESt' cor altum, cor humile, cor mediocre. Dicit propheta. Redite præuaricatores ad cor. Prima accessio præuaricatoris serui est ad cor humile: ad quod trahitur per iudicium. Secunda accessio mercenarij ad cor mediocre: ad quod vocatur per cõsilium. Tertia filij ad cor altum, ad quod leuatur per desiderium: & tunc supra cor eleuatur Deus: vt dum non potest comprehendi per rationem, desideretur per affectionem & amorem.

De tribus petitionibus cordis.

CAP. LXIIII.

In ser. 5. de quadr.

PEtitiones cordis in tribus credo constare: nec video quid præter illa electus quisq; sibi debeat postulare. Duo quidẽ huius tẽporis sunt, id est, bona corporis & bona animæ. tertium verò est beatitudo vitæ eternæ: Nec mireris quòd bona corporis à Deo dixerim esse quærenda: quoniam eius sunt corporalia omnia sicut & spiritalia bona. Ab eo ergo est petendum & sperandum nobis, vnde possimus

P 2

in eius seruitio sustentari. Veruntamen pro necessitatibus animæ orandum est nobis & frequentius, & seruentius, id est, pro obtinenda gratia dei, animæ quæ virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate & toto nobis orandum est desiderio: vbi nimirum & corporis, & animę plena & perfecta est beatitudo. In his ergo tribus, vt cordis petitiones sint, tria nobis sunt obseruanda. Nam & in prima quidem superfluitas, & in secunda impuritas, & in tertia elatio, interdum superbia solet surrepere. Nonnunquam enim temporalia queri solent ad voluptatem, virtutes ad obstentationem: sed & vitam ęternam fortasis aliqui non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi: sed non oportet vt in ea constituat quisquam fiduciam impetrandi. Hoc solùm conferunt, hæc præmissa dona, vt ab ea misericordia quæ tribuit, hæc sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus est circa solas necessitates restricta: sit oratio quæ pro virtutibus est animæ ab omni impuritate & circa solum bene placitum Dei intenta. Sic ea quæ fit pro vita æterna in omnium humilitate, præsumens de sola miseratione diuina, vt dignum est.

De

De seruo, & mercennario, & filio.

CAP. LXV.

EST qui confitetur domino, quoniam potens est: & est qui confitetur domino, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur domino, quoniam simpliciter bonus est. Primus seruus est & timet sibi: secũdus mercennarius, & cupit sibi: tertius filius, & defert patri. Itaque qui timet & qui cupit, vterque pro se agit: sola quæ in filio est charitas non quærit quæ sua sunt. Quãobrem puto de illa dictum. Lex domini immaculata conuertens animas: quòd sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mũdi auertere possit animum & in deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor priuatus conuertunt animum: mutant interdum actum, vultum, & habitum, affectum nunquam. Facit quippe nonnumquam, & seruus opus dei, sed quia non sponte in sua adhuc duricia permanere cognoscitur. Facit & mercennarius, sed quia non gratis propria trahi cupiditate conuincitur. Porrò, vbi proprietas, ibi singularitas: vbi autem singularitas, ibi angulus: vbi verò angulus, ibi sine dubio sordes siue rubigo. Sit itaque seruo sua lex: timor ipse quo constringitur. Sit mercennario sua cupiditas, qua & ipse arctatur,

In lib. de diligendo Deum.

quando tentatur abstractus & illectus. Sed harum nulla aut sine macula est: aut animas conuertere potest. Charitas verò conuertit animas, quas facit voluntarias. Porrò, in eo eam dixerim immaculatam, quòd nil sibi de suo retinere consueuit. Cui nempe de proprio nil est, totum profecto quod habet Dei est, quod autem Dei est, immundum esse non potest. Lex ergo domini immaculata charitas est: quæ nõ quod sibi vtile est quærit, sed quod multis. Lex autem domini dicitur, siue quòd ipse ex ea viuat, siue quòd eam nullus nisi eius dono possideat. Nec absurdum videatur, quòd dixi etiam Deum viuere ex lege, cùm non alia quàm charitate dixerim. Quid verò in summa & beata illa trinitate, summam & ineffabilem illam conseruat vnitatẽ nisi charitas? Lex ergo est, & lex domini charitas quæ trinitatem in vnitate, quodammodo cohibet & colligat in vinculo pacis.

De triplici lege, serui, mercennarij & filij.
CAP. LXVI.

Vbi suprà. SEruus & mercennarius habent legem non à domino, sed quam ipsi sibi fecerunt, ille Deum nõ amando, iste plus aliud quàm

quàm Deum amando. Habet inquam legem non domini, sed suam, illi tamen quæ domini est subiectam. Et quidem suam sibi quique legem facere potuerunt, non tamen eam incõmutabili æternæ legis ordini subducere potuerunt. Tunc autem dixerim quẽque sibi feciſſe ſuam legem, quando communi & æternæ legi propriam prætulit voluntatẽ: peruerſe vtique volens ſuum imitari creatorem: vt ſicut ipſe ſibi lex, ſuique iuris eſt: ita is quoque ſeipſum regeret, & legem ſibi ſuam faceret voluntatem. Hi qui hoc faciunt, quod ait apoſtolus, nemini quicquã debeatis niſi vt diligatis inuicem: proculdubio nec ſerui nec mercennarij ſunt ſed filij. Itaque nec filij ſunt ſine lege. Sed ſciendum quòd alia eſt lex promulgata à ſpiritu ſeruitutis in timore: alia à ſpiritu libertatis in ſuauitate. Nec ſub illa eſſe coguntur filij, nec ſine iſta patiuntur.

Bona itaque lex charitas & ſuauis, quæ non ſolùm leuiter ſuauitérque portatur, ſed etiam ſeruorum & mercennariorum leges portabiles ac leues reddit: quas vtique non deſtruit, ſed facit vt impleantur. Illam temperat, iſtam ordinat, vtranque leuigat. Nunquam erit charitas ſine timore, ſed caſto nunqam ſine cupiditate, ſed ordinata, Implet ergo charitas legem ſerui

cùm infundit deuotione. Implet & mercenarij, cùm ordinat cupiditatē. Porrò, timori permista deuotio, ipsum non ad nullat, sed castificat: pœna tamen tollitur, sine qua esse non potuit, dum fuit seruilis: & timor manet in seculum seculi, castus & filialis. Nam quòd legitur perfecta charitas, foras mittit timorem: pœna intelligenda est, quæ seruili nunquam deest timori. Deinde cupiditas tunc rectè à superueniente charitate ordinatur, cùm mala quidem penitus respuuntur: bonis verò meliora præferūtur, nec bona nisi propter meliora appetuntur.

De *tribus panibus, quibus quilibet reficiendus est.*

CAP. LXVII.

In quibusdam sententiis.

TRibus panibus quilibet reficiendus est. Primus panis est continentia, qua restingitur corpus: ne deinceps per mortiferas voluptates defluat. Secūdus est humilitas, qua instruitur anima: ne de ipsa sua continētia superbiat. Tertius est feruor charitas, quo accenditur spiritus, vt vtrunque, id est corpus & animam in castitate & humilitate perseueranter custodiat. His tribus virtutibus, id est, castitatis, humilitatis, charitatis: tanquam tribus panibus reficitur

ficitur homo Dei & roboratur, vt secundum apostolum in die aduentus domini sit integer spiritus, anima & corpus. Spiritum autem voco gratiam, quæ adiuuat infirmitatem nostram, ne deficiamus: donec suo tempore metamus bonum, quod seminauimus. Vocatur primus panis carnalis vel corporalis, secundus rationalis, tertius spiritualis.

De *tribus vinculis quibus Deo astringimur.*

CAP. LXVIII.

In quibusdam sententiis.

TRia sunt vincula, quibus Deo astringimur: & sic tria vt sola cū solis istis, vel istorum similib⁹: omne q̄ ligatur ligetur. Et primum accipite funes: secūdū clauos ligneos vel ferreos: tertium glutem. Primum astringit fortiter & durè: secūdum fortius & durius: tertium suauiter & securè. Fune quodammodo alligatus est redemptori: si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum: memoriam promissionis, & hoc interim funе se retinet, ne propositū penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis: & quod diu tenere nō possit, siquidem putrescunt funes: & pudoris vinculum aut obli-

uiscimur aut abrumpimus citò. Est autem clauis qui configitur domino maiestatis, quem timor Dei ligat, qui nõ expauescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehenalium tormentorum. Et hic quidem non peccare metuit, sed ardere. Durius tamen & fortius primo imprimitur: quia cùm ille vacillet in proposito, iste propositũ non amittit. Tertius verò glute ei conglutinatur, id est charitate, qui tam suauiter quam securè ligatus, adhærens domino vnus spiritus est. Iste est qui quęcunque vndecũque siue quę facit, siue quæ ei fiunt, ad suum commodũ reuocat & retorquet. Beatus huiusmodi homo, & abundanti spiritus influens maiestate, qui suauis & vnctus alias benignus portat omnes, & portatur ab omnibus: qui terribilius & horribilius ipsa gehenna iudicat, vel in re leuissima vultum omnipotentis scienter offendere.

De tribus diebus.
CAP. LXIX.

In Euangelio. Misereor super turbã.

VIam trium dierum eas, necesse est in deserto, si grãtum Deo tuo offerre voueris sacrificium. Prima est dies timoris: dies inquam, declarans & illuminans tenebras tuas interiores, scilicet & horrendũ gehennæ supplicium demonstrãs, in quo sunt tenebræ

nebrę exteriores. Huiusmodi siquidem cogitatio, nostræ solet exercere primordia conuersionis. Secũda est pietas, qua respiramus in luce miserationum Dei. Tertia dies est rationis, in qua veritas innotescit, vt tanquam ex debito quidem naturæ, sine alia consideratione creatori subiecta sit creatura, seruus seruiat redemptori.

De oculo, manu, & pede.
CAP. LXX.

TRipliciter fieri scandalum quod inte- *In serm. 2.*
rius patimur, quotidiano nobis nosse licet experimẽto. Interdũ enim est in nobis spiritalis intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis quam noster dicendus sit: sed scandalizat nos oculus noster, & qui verè à nobis est, dum voluntas nostra aliam minus castam importunè ingerit intentionẽ. Sed habemus iam super hoc salubre consiliũ saluatoris, Erue eum inquit, & proiice abs te. Hoc autem fiet, si non cõsentias, si abiicias, si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendũ. Cùm enim bonis operibus intẽtos ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ scandalizat nos: sed abscindi debet & proiici à nobis: vt non ei cõsentiamus.

de angelis, qui in cipit. Au- distis fra- tres.

Sic

Sic etiam proficere in sancta conuersatione, & de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpe scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis & negligẽtiæ nostrę, qui nimirum descendere magis ac remissius ire conatur. Sed abscindi eum necesse est, vt pes gratiæ qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento. Quòd autem dicit bonũ nobis esse ad vitam introire cum vno oculo aut manu, aut pede, quàm duos habentes ire in gehennam ignis, eos notat qui voluntatem suam seu bona seu mala sit, æquè sequuntur, & ingrediũtur duabus viis: núc bona nũc mala sectantes, secundum quòd variantur desideria sua. Quibus meritò vtilius fuerat gratiæ in omnibus in hærere, & vbi obuiat propria voluntas abscindere, & à seipsis abiicere eam. Est autem cum multo tempore in abscisione propriæ voluntatis nostræ exercitati, aliquatenus eam domamus vt discat iam nõ superbire, sed magis sine omni scandalo vel contradictione Deo subiecta sit anima nostra, nec iam abiicere necesse sit oculum nostrum: nempe qui simplici adhærens oculo, factus est & ipse simplex: aut certè iam nõ alter est oculus, sed vnus cum eo. Quod autem de oculo dictum est, de manu quoque & pede eodem

dem modo est intelligendum. Cuius enim volũtas ex affectione & cum desiderio gratiæ cohæret, vt nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus bene quàm gratia suggerit: hic plané perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis. Abcisio verò scandalorum & tentationum, victoria fortitudinis. Illa inquam gloriæ, hæc virtutis.

De triplici aqua.

CAP. LXXI.

ACcipe triplicem aquam, quã tibi saluator apponit. Plorat super Lazarum & super ciuitatem Hierusalem. Et hæc est aqua prima. Sudat imminente iam passionis hora: & hæc est aqua secunda: non ab oculis tantum, sed à toto corpore manans. Hæc autem rubea est, sanguineiq; coloris. Iam verò tertia est aqua, quæ de latere eius dormiẽtis in cruce, vna cum sanguine emanauit. Et tu quoq; quidem primam habes, si rigas lachrymis tuis conscientiæ stratum: & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam habes aquam, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restringis concupiscentiæ flammam. Est autem sanguinei coloris, siue propter

pter laborem, siue etiã propter ipsũ, quem extinguit cõcupiscentiæ ignem. Iam verò, si proficere potes, vsque ad deuotionis gratiam, potaberis aqua sapientiæ salutaris: & spritus Christi, qui super mel dulcis est, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento hanc esse aquam, quæ procedit à latere dormientis & sine omni molestia fluit. Oportet enim iam mortuum esse mũdo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo vt breuiter repetam: prima quidem à præteritis delictis abluit conscientiam, secunda vt futura caueas, extinguit concupiscentiam, tertia si ad eam peruenire mereris, potat animam sitientem.

De triplici loco.

CAP. LXXII.

In serm. 1. de trãsitu Malachiæ qui incipit. De cæ lo vobis. &c.

EST deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis: adeò vt ne minimam quidem aquæ guttam de Lazari digito miser ille diues ibi habere potuerit. Est & sursum ciuitas Dei, quam lætificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix inebrians, quàm præclarus. In hoc sanè medio boni & mali scientia continetur: & voluptatis & tribulationis hic capere est experimentum. Infelix Eua in has visitudines

dines nos induxit. Hic planè dies & nox. Nam in inferno tantùm nox: in cælo tantùm dies. Beata proinde anima, quæ vtrunque pertransit: nec voluptati inhærẽs, nec deficiens in tribulatione.

De tribus in opere mundi considerandis.

CAP. LXXIII.

In sermo. Pentecostes, qui incipit. Quàm limpide.

TRia in magno huius mundi opere cogitare debem⁹, videlicet quid sit, quo modo sit, ad quid sit constitutus. Et ineffabilis quidem rerũ ineffabilis potentia commendatur: quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipsa sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorũ possit obruere. Potẽtissimè si quidem ex nihilo omnia, sapiẽtissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata. Veruntamẽ omnia propter semetipsum fecit Deus: omnia propter suos: aliter tamen propter se, aliter propter suos. In eos quippe quod dicitur, omnia propter se, præueniens, commend

mẽdatur origo. In eo autem quod dicitur, omnia propter ſuos, magis exprimitur fructus ſequens. Omnia fecit propter ſemetipſum, gratuita videlicet bonitate. Omnia propter electos ſuos, pro eorum ſcilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finalis.

De *triplici genere bonorum, ſcilicet naturalium, ſpiritualium, & æternorum.*

CAP. LXXIII.

In quibuſdam dictis

BOna domini naturalia, ſpiritualia, æterna. Et quidem naturalia bona magna: ſpiritualia maiora, ſed maxima ſunt æterna. In primis reparamur, in ſecundis exercitamur, extendimur, & beatificamur in tertiis. Si non poteſt oculum meditationis in illam ſublimitatem æternalium bonorum infigere, quia diſtantia ſunt, & omnem ſenſum exuperant in bonis gratiæ quæ ſunt in exercitio virtutum, viſum reflecte vt videas quàm purè conſcientiæ, quàm liberæ frontis ſit verſari & conuerſari in caſtitate & charitate: in patientia & humilitate: cæteriſque virtutibus quæ amabilem Deo, placabilẽ & imitabilem hominibus reddunt. Quod ſi & hæc nimis ſublimia ſunt, & tranſgredientia infirmitatem tuam, demitte

demitte oculos in bona naturæ, quæ tibi ita familiaria eſſe debent, quantum tu familiaris es tibi. Nec ſic dicimus bona naturæ, quaſi gratiæ non ſint. Sed ideo quòd ipſi naturæ quodammodo ingenita & complantata fuerint, antequam fieret peccatũ illud, quod non ſolùm perſonã infecit, ſed & naturam. Ex tunc non ita nobis ad manum proueniſſe monſtrantur propter vulnus inflictum, cùm tamen nos illa in nobis & circa nos eſſe tam rationibus quàm affectionibus plerunque ſentiamus.

De *triplici diſtinctione bonorum ſupradictorum.*

CAP. LXXV.

QVia nos ex anima & corpore ſubſiſtimus, ab animali parte, id eſt, à bonis corporis incipiamus. Sunt autẽ omnia bona corporis & quæ ei ſolummodò debeamus ſanitas. Nihil autẽ vltra ei dandũ eſt, vel quærendũ, ſed hoc termino ligandũ & frænandũ eſt: cùm fructus eius nullus ſit, & mors ſit finis illius. Sed hic fouea eſt, quæ nolo vos lateat. Inſidiatur enim voluptas ſanitati, & tã ſubtili malignitate perſequitur, vt vix eã quis vel poſſit cauere vel nouerit. Quod ſi voluptati ſeruitur nõ ſanitati, hoc iã nõ de natura eſt, ſed ſub natura, quę mor *vbi ſuprà.*

ti manus dat cùm magistrã constituit voluptatẽ. Sicut autem corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo nõ videtur Deus: & cor humanũ ad hoc factũ est, vt suũ videat creatorẽ. Hic tamẽ simpliciter accipimus puritatẽ, vt videlicet omnia quæ agimus purè & simpliciter cõfiteamur domino in oratione, homini in cõfessione. Et quia sociale animal sumus, si fieri potest quod ex nobis est, pacẽ habeamus cũ omnibus hominibus. Hæc est enim lex naturalis societatis, vt omnia quæ nobis fieri nolumus, aliis ne faciamus: & quę nobis fieri volumus, aliis studeamus impẽdere. Sanctorũ animabus quę de huius mortalitatis carcere ad cælorũ gaudia volauerũt debemus imitationẽ: quia similes nobis fuere passibiles. Sed & illis qui nõ in tãta sanctitate, seu peracta pœnitẽtia exierũt, cõpassionẽ debemus, & orationẽ. A sanctis verò angelis auxiliũ quærendũ est: quia administratorij spiritus sunt missi propter nos, vt hæreditatẽ capiamus salutis. Ab illo autẽ rerũ omniũ domino pietas quærenda est, vt ille cuius natura bonitas est, secundũ multitudinẽ miserationũ suarũ misereatur nostri. Ipsi enim nos & amorẽ debemus, & subiectionẽ. Amorẽ, quia fecit, & benefecit nobis. Subiectionem quia super nos est. Ita ergo

ergo & sanitatẽ corpori, puritatẽ cordi, pacem fratri, imitationẽ sanctis, compassionẽ mortuis, auxiliũ ab angelo, pietatem à Deo ex arca naturaliũ bonorũ habere debemus. In his autẽ bonis reparamur, & quasi quodãmodo restituũtur in antiquũ, dũ ad ingenitã naturæ suauitatẽ reuertimur, dũ & nobis & his quæ circa nos sunt, & quæ supra nos sunt, debitũ rerũ ordinẽ exhibemus: & hæc quidẽ pro nobis naturalibus. Spiritualia autẽ bona in quibus exercemur, vt ad æterna tendamus, longũ est enumerare: supra naturã enim esse noscuntur. Nã in spirituali exercitio debemus corpori seruitutẽ, afflictionẽ, laborẽ. Et istã cordi puritatẽ debemus, vt intentione, cogitatione, & opere, hãc circũspectionẽ habeamus, vt & vita nostra sit fructuosa, & fama glorioſa: non quæ fructificet sibi, sed Deo: nõ quæ glorificet se, sed patrẽ suũ qui in cælis est. Cũ his quoq; qui oderunt pacẽ. esse pacificũ discamus: portare oẽs & à nemine velle portari. Cõfitemur etiã mortuis in spe cõgratulationẽ adhibẽdã: qa prope est, vt abstergat Deꝰ omnem lachrymã ab oculis eorũ. Sanctarum verò animarũ & angelorum ardenter conspectum desiderare debemus. In dominum autem Deũ affectio tota dirigẽda est, vt diligamus nos propter ipsum, & suspi-

ciamus quæ sit illa maiestas, quę cuncta faciat, cuncta contineat, & in quē desiderant rationales creaturæ prospicere. Hæ sunt semitæ spiritualis exercitij, quibus religiosa mens & dilatatur & delectatur, ad æterna bona se extendens. Porrò æterna bona illa sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, & quæ nunquam exeunt ab illa patria quæ nescit, nisi gaudium & iubilationem.

De *triplici genere iustorum.*

CAP. LXXVI.

In quibus. dictis. EST iustus qui in principio sermonis accusator est sui: & est iustus qui ex fide viuit: & est iustus qui absq; terrore est. Et primus quidem bonus: quia accedit ad vitam, secundus melior: quia currit per viam, tertius optimus: quia iam appropinquat ad finem vitæ.

De *tribus quæ faciunt hominem sanctum.*

CAP. LXXVII.

In quibus. sentent. TRia sunt, quæ sanctum faciunt hominem, victus sobrius, actus iustus, sensus pius. Victus sobrius erit, si continēter, si socialiter, si obediēter, i. castè, charitatiuè, & humiliter vixerimus. Per contimentiam enim

enim castitas, per socialitatē charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Actus iustus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonā intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per vtilitatem proximorū. Sensus pius erit, si fides nostra Deum sentit summè potentem, summè sapientem, summè bonum, vt per eius potentiā, nostram adiuuari credamus infirmitatem: per eius sapiētiam, nostram credamus corrigi ignorantiam: per eius bonitatem, nostram credamus ablui iniquitatem.

De *triplici modo contemplationis.*

CAP. LXXVIII.

EST locus apud Deum, de quo sua iura discernit, & disponit consilia ipse vniuersitatis gubernator, leges cōstituēs omni creaturæ, pondus & mensurā, & numerū. Et locus iste altus, & secretus sed minimè quietus. Nā & ipse quantum in se est disponit omnia suauiter, tamen & contemplantem qui fortè eo loco peruenerit, quiescere non permittit, sed mirabiliter: quamuis delectabiliter rimantem & admirātem fatigat, reddítque inquietum. Et item locus, de quo super rationalem reprobā quidem creaturam immobilis vigilat secre- *Super cāt. serm. 23.*

tissima serenissimáque animaduersio iusti iudicis Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Cernitur inquam, à timorato contemplatore, hoc loco Deus iusto sed occulto iudicio suo, reproborũ nec diluens mala, nec acceptans bona: insuper & corda indurans ne fortè doleant & resipiscant, & conuertantur & sanat eos. Et hoc non absque certa & æterna ratione, quod tantò formidolosius constat esse, quàtò immobilius fixum extat in æternitate. Habet hæc visio tremorem iudicij, non securitatem. Terribilis est locus iste, & totius expers quietis. Sed est locus, vbi verè quiescens & quietus cernitur Deus: locus omnino non iudicis, non magistri, sed sponsi: in quo Deus non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura prospicitur, sed probatur in eo voluntas bona, & beneplacens, & perfecta. Visio ista non terret, sed mulcet inquietam, curiositatem sedat: non excitat, nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hic verè quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum inspicere quiescere est. Sed heu rara hora & parua mora, vt monstratum est apertè. Et in priori loco exigua: & in secundo nulla percipitur quies: cùm & illic appareat admirabilis ad indagandi studium exerceat curiosita

sitatem: & hic innotescens terribilis infirmitatem concutiat. At verò tertio isto in loco, non planè terribilis, non tam admirabilis quàm amabilis apparere dignatur: serenus & placidus, suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus intuentibus se.

De tribus quæ impediunt contemplationem.

CAP. LXXIX.

COnsiderandum est tria esse, quæ impediunt contemplationem. Equidē animæ nostræ oculus intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corporea & cætera quæque corporalia videntur, ita Deus qui est lumen incircunscriptum, & eius inuisibilia vtcunque intellectu percipiuntur. Vtrinque verò oculum tria sunt quæ ad videndum impediunt. Potest sanè fieri, vt oculus exterior sanus sit & pateat, sed quoniam lux exterior ei desit, nihil videat. Econtrario sit aliquando vt præsens ei quidem lux sit: sed fortè sanguine seu quolibet humore concreto turbatus cernere minimè possit. Iterum solet plerunque contingere, vt neutrum desit ei, nec lux nec salus: sed tamen aliqua pulueris inter-

Ser. 5. sup. homil. In- traui Ie- sus &c.

iectione lædatur, quò fit vt eius acies retundatur. Sunt ergo tria ista quę hunc oculum impediunt: tenebræ, humor concretus, puluis iniectus. Hæc ipsa sunt etiã quibus interior oculus ille impeditur, sed & alia nomina sortiuntur. Nam quod hic tenebræ, ibi peccata dicuntur. Ipsa verò peccata confluunt in memoriam, quasi in quandã sentinã: & hic est ille humor concretus. Quod autem hic puluis dicitur, hoc tibi cura terrenorũ actuum nuncupatur. Hæc sunt ergo tria quæ oculum intelligentiæ cõfundunt, atque à cõtemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scilicet peccatorũ recordatio eorundem peccatorum: cura terrenorum actuum. Cùm enim luce iustitiæ desti tuimur, nihil aliud quàm peccatorum nostrorum tenebras inuenimus. Quicunque ergo mentis oculũ diuinæ contemplationi vult intendere, profectò necesse est, vt eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, nouerit contra triplicem morbum, triplex quoq; fore remedium. Nam primus quidem per confessionem:
secundus per orationem:
tertius curatur per
quietem.

De

De tribus nouissimis metuendis.

CAP. LXXX.

FIlioli mei, memoremur nouissima nostra, ne peccemus. Nimirum quòd hæc maximè recordatio faciat timoratũ, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Nouissima autem nostra sunt, *incip. Sanctorum iudicium*, gehenna. Quid horribilius morte, quid iudicio terribilius? Nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expauescit, non timore concutitur? Nam in morte non magnum, non paruum aliquid de bonis huius mundi secum delaturus est homo. In iudicio nec fallere, nec resistere possibile erit. In gehenna penitus nulla cõsolatio, sed perpetuúmve vlulatus & fletus, & stridor dentiũ. Time ergo ô homo, quòd in morte separãdus es à bonis omnibus huius corporis: & tam dulce carnis & animę vinculum, amarissimo secandum diuortio est. Time, quòd in terribili iudicio ei præsentandus: es in cuius manus horrendum est incidere, & eo examinãte quem nihil latet. Siquidem inuenta fuerit in te iniquitas, alienandus es ab vniuersitate quietis & gloriæ, & segregandus à numero beatorum. Time quòd

In ser. 2. do apostolo. Petro & Paul. qui incip. Sanctorum iudicium, gehenna. Quid horribilius morte, quid iudicio terribilius? Nam

in gehenna cruciatibus æternis & immensis exponendus es, in sorte diaboli & angelorum eius, in igne æterno qui præparatus est eis.

De triplici malo, quod patiuntur sunt peccatores.

CAP. LXXXI.

In quibusdictis scilicet in meditation.

MAlum triplex peccatores manet. Manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei. Quis ille pauor erit ô anima mea cũ dimissis omnibus, quorũ tibi præsentia est tam iocunda, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediẽs in incognitã penitus regionẽ, occursantia tibi cateruatim ruere super te teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tãtæ necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugiẽtibus præparatis ad escã? Quis cõsolabitur, quis deducet? Per ignẽ etiã nobis transeundũ est, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit ibi. Ibi aurũ nostrũ vertetur in scoriã, ibi vniuersa impuritas reuelabitur: ibi veritas ipsa accepta tempore, quod nobis interim datũ contẽnimus, iustitias iudicabit. Quid verò illic oẽs iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabũtur? Quicquid nunc paruipendẽdo trãsimus

imus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quãto illuc cruciatu vindex flamma consumet? Iam verò post ignem illum putas residuũ aliquid inuenietur in nobis? Aut tantum erit vt audeamus illud vultui maiestatis offerre: aut eius sic adstare conspectui? Quis ille pudor erit, quæve confusio, post tanta beneficia: tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciẽ domini Dei nostri? Quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora præsumemus? Quãdo ab hac purgabitur cõfusione oculus cordis, cui nũc operã dare negligimus, vt irreuerberata acie veri illius solis radios valeat intueri? Felix quidem anima, quæ fiducialiter inimicis suis in porta loquetur. Quid hic stas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies. Felicior cuius opus non arserit, quem superædificasse aurum, argentũ, lapides pretiosos, examẽ illud inueniet. Felicissimus qui sine vlla nube cõfusionis, reuelata penitus facie gloriã domini speculando, in eandem imaginẽ transformabitur: & similis erit illi videns eum, sicuti est, vtique super omnia benedictus & laudabilis, & gloriosus in secula.

De

De tribus speciebus considerationis supernæ.

CAP. LXXXII.

In libr. 5. de consid. VBi sumus vallis est: & vallis lachrimarum, in qua sensualitas regnat, & consideratio exultat, in qua liberè quidem & potestatiuè se erexit sensus corporeus: sed intricatus caligat oculus spiritualis. Et felix qui sensuum beneficium, sine quo transire non potest, in obsequium conuertere potuit: vtens non fruens: vrgens non petens: exactor non supplex. Magnus ille, qui vsum sensuum, quasdam veluti opes expendere satagit, dispensando in suam & multorum salutem. Nec ille minor, qui hunc sibi gradum ad illa inuisibilia philosophando cõstituit, nisi quod hoc dulcius, illud vtilius, hoc felicius, illud fortiùs esse constat. At omnium maximus, qui spreto ipso vsu rerum & sensuum, quantum quidem humanæ fragilitati fas est, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus auolare interdum contemplando ad illa sublimia consueuit. Porrò hæc tria ita contingunt, cùm cõsideratio virtutis, studio & adiutorio gratiæ facta superior: sensualitatem aut premit, ne insolescat, aut cogit ne euagetur, aut fugit ne inquinet. In primo

mo potentior. In secundo liberior. In tertio purior. Puritatis siquidem & alacritatis pariter alis fit ille volatus. Vis tibi has considerationis species propriis distingui nominibus? Dicamus, si placet, primam dispensatiuam: secundam æstimatiuam: tertiam speculatiuam. Dispensatiua est consideratio, sensibus sensibilibúsque rebus ordinatè & socialiter vtens ad promerendum Deum. Aestimatiua est consideratio prudenter ac diligenter quæque scrutãs & ponderans, ad vestigãdum Deum. Speculatiua est consideratio se in se colligens: & quãtum diuinitus adiuuatur, rebus humanis eximens ad contemplandum Deum. Puto vigilanter aduertis aliarum hanc esse fructum: cæteras si non referãtur ad istam quod dicuntur videri posse, sed non esse. Et prior quidem absque intuitu huius multa serit, & nihil metit. Sequens verò nisi ad istam se dirigat, vadit, sed non euadit.

Ergo quod prima optat, secunda adorat, tertia gustat. Ad quem tamen gustum perducunt & cæteræ, & si tardius, nisi quòd prima laboriosius, secũda quietius peruenitur.

De trib

De tribus modis, quibus vestigandus est Deus & beati spiritus, qui cum eo sunt.

CAP. LXXXIII.

vbi suprà. DEus, & qui cũ eo sunt beati spirit⁹, tribus modis nostra sunt: consideratione vestigandi, opinione, fide, intellectu. Quorũ intellectus rationi innititur, fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certã veritatẽ, sed fides clausam & inuolutã: intelligẽtia nudã & manifestã. Cæterum opinio certi nil habens, verum per verisimilia quærit, potius quàm apprehendit. Omnino in his cauenda confusio, ne aut incertum opinionis fides figat: aut quod firmum fixúmque est fidei, opinio reuocet in quæstionẽ. Et hoc sciendum, quia opinio si habet assertionem, temeraria est: fides si habet hæsitationem, infirma est. Item intellectus, si signata fidei tentet irrumpere reputatur effractor, scrutator maiestatis. Multi suam opinionem intellectum putauerunt, & erranerunt. Et quidem opinio potest putari intellectus: intellectus opinio non potest. Vnde hoc accidit: Profectò quia hæc falli potest, ille non potest. Aut si falli potuit, intellectus non fuit, sed opinio. Verus nempe intell

pe intellectus certam habet non modo veritatem sed & noticiã veritatis. Possumus singula hæc ita diffinire. Fides est voluntaria quædam & certa prælibatio, necdum propalatæ veritatis. Intellectus est rei cuiusque inuisibilis certa & manifesta noticia. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. Ergo vt dixi, fides ambiguum non habet: aut si habet, fides non est, sed opinio. Quid igitur distat ab intellectu? Nempe quòd & si non habet incertum, non magis quàm intellectus: habet tamen inuolutum, quod non intellectus. Deniq; quod intellexisti, non est de eo quod vltra quæras: aut si est, non intellexisti. Nil autem maluimus scire, quàm quæ fide ràm scimus. Nil supererit ad beatitudinem, cúmq; iam certa sunt nobis, erunt æquè & nuda.

De tribus quæ faciunt mortem sanctorum pretiosam in conspectu domini.

CAP. LXXXIII.

PRecioſam in conſpectu domini mortem ſanctorum eius, facit aliquando vita, aliquando cauſa: aliquando vita ſimul cum cauſa. In confeſſoribus qui in domino moriuntur, facit precioſam vita. In martiribus *In quibuſ. ſentent.*

tiribus qui pro domino moriuntur, facit eam precioſam aliquando ſola cauſa: aliquãdo cauſa pariter & vita. Et illa quidem mors precioſa eſt, quam commendat vita precioſior quam facit cauſa: precioſiſsima verò quàm præuenit vita ſimul cum cauſa

De triplici genere ſanctorum.

CAP. LXXXV.

In ſerm. 5. de oĩbus ſanct. qui incipit, Feſtiua eſt nobis.

SVnt ſancti de cælo: & ſunt ſancti de terra: itemq; eorum, qui de terra ſunt, quidam adhuc in terra, aliqui iam in cælo. Sed inter ſanctos & ſanctos diſtat, ídq; nõ parum. Nec modò dico, quòd alius alio ſanctior. Hæc enim quãtitatis potius quã qualitatis diſtantia eſt: ſed quod non modò maius & minus, verùm etiam aliter atque aliter ſanctos dici: & verè dici inuenia mus. Et fortè inter angelos & homines aſſignari poſsit iſta diuerſitas ſanctitatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari poſſe videntur, qui nunquam pugnaſſe noſcuntur. Aliter tamen honorãdi ſunt nimis etiam ipſi, tanquam amici tui Deus, cuius nimirum voluntati ſemper adhæſerunt: tanta vtique felicitate quanta facilitate. Niſi fortè in eo pugnaſſe credun tur, quòd peccantibus aliis viriliter perſtiterunt: non abeuntes in cõſilio impiorum.

Honoran

Honorãda ergo in eis benignitas Dei, non ad pœnitentiam adducens, ſed abducẽs ab omnibus quibus pœnitẽtia deberetur: nõ etipiens à tentatione, ſed à tentatione conſeruãs. Aliud ſanè in his ſanctitatis genus & proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione: & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, qui poſt multos agones iam nunc triumphant in cælis coronati: quoniam legitimè certauerũt. Eſt ne adhuc ſanctorũ aliquod tertium genus? eſt, ſed occultũ. Sunt enim ſancti, qui adhuc militant: adhuc pugnant: currunt adhuc necdum comprehẽderunt. Latet eiuſmodi ſanctitas penes Deũ, clauſa eſt. Siquidem neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed in futurum omnia reſeruantur incerta.

De triplici ſtatu ſanctorum.

CAP. LXXXVI.

TRes ſunt ſanctarũ ſtatus animarũ. Primus in corpore corruptibili: ſecũdus ſine corpore: tertius in corpore glorificato. Primus in militia, ſecũdus in requie, tertius in beatitudine cõſummata. Primus denique in tabernaculis: ſecundus in atriis: tertius in domo Dei. Quàm di-

In ſerm. 3. de oĩb. ſanctis. Aduerſi. niſi fallor &c.

lecta tabernacula tua domine virtutum: multòmagis tamen atria concupiſcibilia: ſed beati omnino qui habitãt in domo tua domine. O admirabilis domus: & dilectis tabernaculis, & atriis concupiſcibilibus præferenda. Siquidem glorioſa dicta ſunt de te dom' Dei. In tabernaculis enim gemitus pœnitentiæ. In atriis guſtus lætitiæ: in te ſacietas gloriæ. Hæc quidem infima, domus orationis media expectationis, tu gratiarum actionis & laudis. Felix proinde, qui hîc declinauerit à malo, quòd eſt culpa: & fecerit bonum: vt illic à malo, quod pœna eſt, liberetur, in te recipiat bonum. Hîc nimirum primitiæ ſpiritus, illic diuitiæ, in te plenitudo. Hic denique fiunt ſancti, illic ſecuri, in te beati. Hæ ſiquidem primitiæ ſpiritus quę militantibus interim præ rogantur: ſanctitas in conuerſatione, pietas in intẽtione, virtus in colluctatione. In ſanctitate conuerſationis pœnitentiæ fructus intellige: & corporalia quæque diuinorum exercitia mandatorũ. At quoniam hæc, niſi ſimplex fuerit oculus, ſimplicia eſſe non poſſunt: neceſſariò pietas intentionis & puritas cordis exigitur: ne vel honoris ambitus, vel laudis ſurripiat appetitus. Memento tamen ſolam ex omnibus perſeuerantia coronari: nec eandem

In dedica. ſermo. 4.

dem facilè poſſe inter tot diſcrimina vendicari, niſi multiplicem obtineas in tam multiplici colluctatione virtutem. Porrò in atriis, quæ poſt moleſtos conflictus, amœna iocunditate fouendos excipiunt exeuntes: iam diuitiæ ſpiritus erogantur: requies à laboribus: ſecuritas à ſolicitudinibus: pax ab hoſtibus. Vbertatem autem domus illius & torrẽtem voluptatis: nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Nec ergo audire velis ô homo, quod auris hominis non audiuit: nec ab homine quæras quod humanus nec oculus videt, nec animus capit. Eia ergo viriliter interim in tabernaculis militemus: vt ſuauiter deinde in atriis quieſcamus: vt non niſsimè in domo ſublimiter gloriemur.

Hæc in tabernacu.

De triplici gaudio, quod habent ſancti, ſcilicet ante mortem, ante iudicium, poſt iudicium.

CAP. LXXXVII.

In ſer. 1. de oĩbus ſanct. qui incipit.

EST teſtimonium conſcientię, non quod perhibeat conſcientia, ſed quod loquitur ſpiritus veritatis in ipſa: teſtimonium perhibens ſpiritui noſtro quòd filij Dei ſumus. Cùm enim veritas applaudit, cùm

Quia ſanctorum omniũ &c.

iustitia attestatur, Dei sine dubio commẽdantis vox est: & spiritus sancti testimonium perhibentis. Itaque dum adhuc militant, gaudent vtique electi Dei: sed tantum de primiciis spiritus, qui & infirmitatem eorum adiuuat virtute sua, & pusillanimitatem eorum attestatione sua consolatur. Iam verò consummato militiæ tempore, gaudium habẽt sancti etiam in spiritu suo: & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo: donec veniat dies illa, qua implebit eos dominus lætitia cum vultu suo: in qua gaudium habituri sunt, etiam in corpore suo. Ad requiem enim exutæ à corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur ad gloriam regni non ita. Interim conuertuntur in requiem suam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem domini. Iam verò nemo ex vobis paruam aliquam requiem aut lætitiam suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ: lætantur pro diebus, quibus humiliati sunt: annis, quibus viderunt mala: cum iocunda admiratione considerant pericula, quæ euaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt: & pro his omnibus certa & indubitata fide expectant beatam spem, & aduent

aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris sui, qui resuscitabit, & reformabit corpora eorũ: configurata proprij corporis claritati. Quanta est felicitas eorum, quàm immensa lætitia, qui nimirum triplici gaudio de recordatione transactæ virtutis: de exhibitione præsentis quietis: de certa expectatione futuræ consummationis exultant. In illam enim beatissimã domum, *vbi supra* nec sine nobis intrabunt cum corporibus *serm. 3.* suis: id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari docet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur: nec perfectione donari ecclesiam imperfectam. Acceperunt tamen iam singulas stolas, sed non vestien tur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola enim prima ipsa est, quam diximus felicitas & requies animarum: secunda verò immortalitas, & gloria corporum.

De tribus considerandis in festiuitatibus sanctorum.

CAP. LXXXVIII.

TRia sunt quæ in festiuitatib' sancto rum vigilãter cõsiderare debemus: auxilium sancti, exẽplũ eius, confusionem nostram. Auxilium eius: quia qui *In serm. de vig. apost. Petri & Pauli.*

potens in terra, potentior in cælis est ante faciem domini Dei sui. Si enim dum hic adhuc viueret, misertus est peccatoribus & orauit pro eis, nunc tantò plus quantò verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis patrem: quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augmentauit. Neque enim quia impassibilis omnino ideo incompassibilis factus est: sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cũ ante misericordiæ fontẽ assistit. Debemus etiam attendere exẽplum eius: quia quam diu visus est in terris, & cum hominibus conuersatus est: non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit. Intuemini humilitatẽ operum eius, authoritatem verborum eius: & tunc videbitis quomodo tam verbo quàm exemplo luxerit inter homines, qualia nobis vestigia dereliquerit: vt ambulemus per ea & in eis, Sed & diligentiori intuitu confusionẽ nostram aspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo est, quod non solùm difficile, sed impossibile credim': vt faciamus opera quæ fecit, vt sequamur vestigia eius? Confundamur & contremiscamus ad vocem istam, si fortè hæc confusio adducat nobis gloriam: si fortè gratiam generẽ

neret nobis timor iste, Homines isti fuerunt, qui præcesserunt nos, qui tam miserabiliter processerunt per vias vitæ: vt vix eos homines fuisse credamus. Sic ergo in sanctorum festiuitatibus, & gaudere, & confundi debemus: gaudere, quia patronos præmisimus: confundi quia eos imitari non possumus. Ita semper gaudium nostrum in hac valle lachrymarum, lachrymarũ pane condiri debet: vt semper non solùm extrema, sed & prima gaudij occupet luctus: quia etsi magna est gaudiorum materia, sed maxima dolorum.

De triplici desiderio prouenienti ex memoria sanctorum.

CAP. LXXXIX.

VVlgò dicitur. Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus memoria mea: & cogitare de sanctis, quodammodo eos videre est. Sit nempe portio nostra in terra viuentium, nec modica sanè portio: si tamen vt decet, memoriam affectio comitetur: sic inquam, conuersatio nostra in cælis est. Veruntamen non sic nostra sicut illorum. Ipsorũ enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiã, nos per memoriã ibi sumus. Quãdo & nos addemur ad partes nostros, quãdo assentia-

In ferm. 5. de oibus sanct. qui incip. Festiua nobis est dies hæc.

liter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis sanctorũ memoria, vel excitat vel incitat magis: vt eorum tam optabili societate fruamur vt mereamur conciues & contubernales esse spirituum beatorum, misceri cœtui patriarcharum, cuneis prophetarum, senatui apostolorum, martyrum exercitibus numerosis, confessorum collegiis, virginum choris, in omnium denique colligi & collætari cõmunione sanctorũ. Singulorum quippe recordationes quasi scintillæ singulæ: imò quasi ardentissimæ faces, deuotos accendunt animos: vt eorum & cõspectum sitiant, & complexum: adeò vt plerunque etiam inter eos esse se reputent: modò ad omnes simul, modò ad hos vel ad illos tota auiditate & vehementia corda vibrantes. Non modo tantum societas, sed etiã felicitas nobis optanda est sanctorum: vt quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque feruentissimis studiis ambiamus. Sanè vt eam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summoperè nobis desiderãda sunt suffragia quoque sanctorum: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eorum bis intercessione donetur. Hæc nostra & eorum cohærentia est, vt nos cõgratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: vt deuota meditatione

tione regnemus in eis: ipsi in nobis, & pro nobis militent pia interuẽtione. Necesse quòd de eorũ pia erga nos solicitudine dubitemus, quãdoquidem non consummandi sine nobis, expectant nos vsque dum retribuatur nobis: vt videlicet in nouissimo die magno festuitatis omnia simul in virum perfectũ cum suo tuã excelso capite membra concurrant. & laudetur cum hęreditate sua Iesus Christus dominus noster.

De triplici plenitudine habenda in futura vita.

CAP. XC.

In quibus dictis.

IN illa patria quæ nescit ni si gaudium & iubilationẽ, nihil deest. Ecce abundãtia quia impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, vbi nihil quod nolis sit: totum sit quod velis? Quòd si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit: nunquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos. Et ecce sapientia qua curiositas hominis satietur. O sapientia qua tunc omnia quæ in cælo, & quæ in terra sunt: perfectissimè cognoscemus in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo cõsilia: quia ciuitas illa (iuxta Ioannem) purissimo vitro similis erit: vt sicut per vitrum lucidis-

simè cernimus, sic aliorum conscientias clarissimè videamus. Quid si & nihil defuerit, & nihil latuerit, maneat autem timor & anxietas amittēdi? Ideo nihil terret. Et ecce potētia, qua humana infirmitas roboretur. Qui posuit (inquit) fines tuos pacem, & confortauit seras portarum tuarum: ita vt nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Vbi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est: puto quòd nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ.

De triplici modo fruendi Deo in futura vita.

CAP. XCI.

In ser. 4. de oib. sanctis. qui incipit. Cum de altari.

TRipliciter in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes enim in omnibus creaturis, habentes eū in nobisipsis. Et quod his omnibus ineffabiliter iocūdiùs sit atque beatius, ipsam quoq; cognoscentes in semetipsa trinitatē, & gloriam illam sine vllo enigmate, mundo cordis oculo contemplātes. In hoc enim erit vita æterna, vt cognoscamus patrē & filium cum sancto spiritu: & videamus Deū sicuti est, id est, nō modo sicut inest nobis: videlicet

cet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Vnde duo illa velut circumiacentia esse videtur, quæ prædiximus, & quasi cortex tritici. Hæc verò cognitio summa beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo ciuitas sancta Hierusalem satiatur. Verùm quàm magna est beatitudo illa, tā abscondita est ab oculis nostris: quoniā nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quanta claritas, quanta suauitas, quanta iocunditas, maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa quæ exuperat omnem intellectum: quantomagis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo. Nam quomodo videndus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus vel ex parte conicere, in ipsis nimirum, quas accepimus, iam primiciis spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, cōfortata est, vt non possimus ad eam. At verò quemadmodum in creaturis videndus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirū cùm & modo videatur in ipsis. Verùm quantumcunque proficiat quis intelligendo cōspicere quam potētissimè, quàm prudentiss

dentissimè, quàm benignissimè maiestas æterna fecerit omnia: cuncta regat, ordinet vniuersa, prorsus modicum ab eo, quod est, comprehendit. Veniet autem quando iam sequemur agnum quocunque ierit: & in omnibus cõsequemur creaturis: vt in omnibus gaudeamus, quod est gaudium domini. Gaudeamus sanè in omnib⁹, sed nõ aliũ de quàm de ipso: sicut ipse nõ aliis fruitur, sed semetipso.

Finis libri octaui.

CAPITVLA LIBRI NONI.

De quatuor virtutibus, quibus vestitus fuit primus homo. 1
De quatuor statibus præcedentibus conuersionem nostram. 2
De quatuor diebus pœnitentiæ. 3
De quatuor gradibus ascensionis. 4
De duplici morte, & duplici resurrectione. 5
De quatuor fontibus prodeuntibus de paradiso spiritali. 6
De quadruplici conscientia. 7
De quatuor affectionibus animæ. 8
De quatuor virtutibus nobis necessariis. 9
De quatuor modis orandi. 10
De quatuor, quibus debitor est homo. 11

De quadruplici compunctione. 12
De quatuor generibus lachrymarum. 13
De quatuor molestijs hominis. 14
De quatuor quibus seruit homo in hac vita. 15
De quatuor generibus hominum regnum cælorum possidentium. 16
De quatuor generibus tentationum. 17
De quatuor cornibus crucis. 18
De quadruplici superbia. 19
De quatuor modis, quibus itur ad consilium impiorum. 20
De quatuor pedibus, quibus chatedra pestilentiæ subsistit. 21
De quatuor modis hominum. 22
De quatuor generibus hominum. 23
De quatuor rotis currus spiritalis. 24
De quatuor spinis. 25
De duobus bonis, quæ oculum interiorem faciunt simplicem. & duobus malis, quæ eum faciunt nequam. 26
De quadrifaria diuisione oculi interioris. 27
De quadrifaria diuisione supradicta. 28
De quadruplici iustitia. 29
De quatuor riuulis descendentibus de fonte Christo. 30
De quatuor ordinibus in processione domini. 31
De quatuor generibus spirituum. 32
De quatuor fontibus prodeuntibus de paradiso nostro Christo domino. 33

De

De quatuor beneficiis Dei. 34
De quatuor speciebus contemplationis. 35
De quatuor gradibus amoris. 36
De longitudine, latitudine, sublimitate & profunditate. 37

LIBER NONVS.

De virtutibus quatuor, quibus vestitus fuit primus homo.

CAP. I.

In ser. 1. de annūc. dominica.

QVATVOR his virtutibus misericordia & veritate, Iustitia & pace, amictus fuit primus homo ab ipso suæ creationis exordio. Est enim in his quatuor salutis integritas. Nec sine his omnibus potest cōstare salus, præsertim cùm nō possint esse virtutes, si abinuicē separētur. Acceperat igitur homo misericordiā custodem scilicet, atq; pedissequam: vt ipsa præueniret, ipsa & sequeretur eum: ipsa quoq; protegret & conseruaret vbique. Sed erat illi necessarius etiā eruditior tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ: vt non sicut iumentū aliquod custodiretur, sed tanquā paruulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat apertior inueniri, quàm veritas ipsa, quæ eum in agnitionem summæ produceret aliquando veritatis. Interim verò ne sapiēs inueniretur, vt faceret malum, essētque peccatum ei tanquam scienti bonum, & minimè facienti, iustitiam quoque qua regeretur accepit. Adhuc autem & pacem qua frueretur & delectaretur, addidit manus benignissima creatoris. Pacem vtiq; duplicem, vt nec intus pugnæ, nec foris timores, id est, nec caro concupiscceret aduersus spiritum: nec esset ei vlla creatura formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina: & serpens ipse quod violentia nō præsumpsit, fraude magis eum agressus est. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fouebat?

De quatuor statibus præcedentibus conuersionem nostram.

CAP. II.

Inquibus. dictis.

VIdentur mihi quatuor interdum conuersionem nostram præcedere status. Vnus sub nobis ipsis, tres sub principe mūdi huius. Est enim anima sub seipsa cùm propriam sequitur voluntatem, libertate pernicioſa gaudens. Et sub se cùm propriæ satisfaciēs voluntati: nec dū tamē possidetur à vitiis & peccatis. Quoniā qui facit peccatum iam

iam non suiipsiu s seruus est, sed peccati. Ve runtamen tripliciter mihi videntur homines esse sub principe tenebrarum. Primùm quidē nec volentes, nec nolentes quod con uenit his, qui necdum habent voluntatis vsum: sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vasa eius diripiat fortior per sacramenta aduenies. Secundò volentes, cum iam voluntarie pec cant. Tertio quoq; modo nolentes, cùm iā quidē resipiscere vellent, nisi quòd peccati consuetudine miserabiliter obligati iusto Dei iudicio, qui in sordibus sunt, sordescant adhuc.

De *quatuor diebus pœnitentiæ.*

CAP. III.

In ser. 4. de assump. qui incip. Tempus lo quēdi &c.

EGo primāarbitror timoris diē, qua nimirū, irradiante cordibus nostris, peccato morimur: & quodāmodo se pelimur in cōsciētiis nostris. Secūda ni falsor, agitur in labore certaminis. Solet nāq; inter primordia cōuersionis acrius insurgere tētatio prauę cōsuetudinis: & vix extīgui possūt iacula ignita diaboli. Tertia nihilomin' esse doloris videtur, dū recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ: nec tā laborat declinādo futura quàm prēterita plāgendo deplorat. Miraris & hos dixerim dies

dies? Sed tales dies, dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur dies pudoris non dissimilis tribus: quoniā iam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat, quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versāt imagines peccatorum. Animus huiusce modi nihil dissimulat, sed exaggerat vniuersa: non sibi parcit durus iudex in semetipsum. Vtilis quidem exacerbatio & digna miseratione crudelitas, facilè sibi diuinam concilians gratiā, dum pro eo mens æmulatur etiam contra semetipsam.

De *quatuor gradibus ascensionis.*

CAP. IIII.

Inquibus dictis.

QVatuor gradus ascensionis esse dicimus. Primus ad cor: secundus in corde: tertius de corde: quartus supra cor. In primo timetur dominus: in secundo auditur consiliarius: in tertio desideratur sponsus: In quarto videtur Deus.

De duplici morte & duplici resurrectione.

CAP. V.

vbi suprà. DVæ sunt mortes & totidem resurrectiones. Prima mors animæ: secunda corporis. Mors animæ, separatio à Deo: mors corporis, separatio animæ à corpore. Hanc operatur peccatum, illa pœna peccati. Item prima resurrectio animæ, secunda corporis. Resurrectionem animæ operatus est humilis & occultus Christi aduentus. Resurrectionẽ corporis gloriosus & manifestus Christi perficiet aduẽtus. Sed anima inuisibilis est, ad imaginẽ Dei creata: rectũ quidẽ fecit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ suã. Vnde & exterior homo, id est, corpus in forma sua rectus appareret habens vitã & sensum: vt per hunc exteriorem & visibilem, illum interiorẽ & inuisibilem intelligeremus, qui rectus est in voluntate, viuus in cognitione, sensibilis in amore. Et sicut corpus, i. exterior homo in resurrectione vitã & sensum recipiet: ita & in resurrectione sua anima, id est, interior homo recipit: id est cognitionẽ & amorẽ. Cognitio autẽ vita, amor sensus. Sicut homo exterior in vita sua non discernitur: qa in

in toto suo æqualiter viuit: in sensu autem discernitur in quinque partes notissimas: scilicet visu, gustu, auditu, odoratu, & tactu, quia aliter sentit in oculo, aliter in aure, & sic in cæteris. Ita interior homo in cognitione quidem non discernitur, sed in amore. Et sicut ille in quinque partito sensu diuiditur: ita iste circa quinque inuisibilia Dei afficitur: quæ sunt veritas, iustitia, sapientia, charitas, æternitas. Aliter enim afficitur circa veritatem, quam diligit propter libertatem. Aliter circa iustitiam, quã diligit propter æqualitatem. Aliter circa sapientiam quam diligit propter suauitatẽ. Aliter circa charitatem, quam diligit propter virtutem. Aliter circa æternitate m quam diligit propter securitatem.

De quatuor fontibus prodeuntibus de paradiso spiritali.

CAP. VI.

HAbet fidelis anima paradisum suam: spiritalem quidem non terrenam. Et idcirco priori illo delectabiliorem & secretiorẽ. In hoc delectatur anima, sicut in omnibus diuitiis. De hoc paradiso prodeunt fontes quatuor, id est, veritas, charitas, virtus, & sapiẽtia. De his fontibus laborã- *In quibus dictis.*

ti animæ, salubres aquæ hauriuntur. Laborat enim anima humana quadruplici morbo vitiorum, scilicet timoris, concupiscentiæ propriæ, iniquitatis, ignorantiæ. Timore enim victa in vitiũ cogitur: concupiscentia illecta, in vitium trahitur: propria iniquitate volũtariè vitiũ sequitur, ignorãtia seducta in vitium labitur. Contra pusillanimitatẽ quæ prouenit ex vitio timoris, aqua præsidiorum de fonte virtutis. Contra concupiscentiam temporalis voluptatis, aqua desideriorum de fonte charitatis. Contra maliciam voluntariæ iniquitatis, aqua iudiciorum de fonte veritatis. Contra fallaciã ignorantiæ, aqua consiliorum de fonte sapientiæ: Et hoc in gaudio, vt quæ prius gemebat sub pondere vitiorum, modo gaudeat in adeptione virtutum, comparando sibi de aquis consiliorum prudentiam: de aqua præsidiorum fortitudinem: de aqua desideriorum temperantiam: de aqua iudiciorum iustitiam: vt in aduersis fortitudo expellat pusillanimitatẽ, in prosperis temperantia refrænet lasciuiam. In agendis iustitia excludat iniquitatem: in dubiis prudentia instruat ignorantiam.

De

De quadruplici conscientia.

CAP. VII.

LAborat & requiescit anima in conscientia: quia cõscientia alia bona & non tranquilla: alia tranquilla & non bona: alia nec tranquilla, nec bona: alia bona & tranquilla. Tranquilla & non bona eorum est, qui in spe peccant: & dicunt in corde suo, quòd Deus non requiret, & ista maximè adolescentium. Bona & non tranquilla eorum est, qui iam conuersi ad dominum, recogitant annos suos in amaritudine. Nec bona nec tranquilla eorum, qui in multitudine peccatorum desperant. Bona & tranquilla eorum, qui carnem spiritui subdiderunt: qui cum his qui oderunt pacem, sunt pacifici. Hic est lectus animæ, in hoc requiẽ capit anima. *In quibus. dictis.*

De quatuor affectionibus animæ.

CAP. VIII.

QVatuor sunt affectiones: amor & lætitia, timor & tristitia. Absq; his non subsistit humana anima, sed quibusdã sunt in coronã, quibusdã in cõfusionẽ. Purgatę enim & ordinatæ gloriosam in virtutum corona reddunt animã: inordinatæ per confusionem deiectam & igno- *In quibus. dictis.*

minioſam. Purgantur autem ſic. Si amãtur quæ amãda ſunt: ſi non amantur quæ amãda non ſunt: amor purgatus erit. Sic de cæteris. Ordinantur autem ſic. In initio timor: deinde lætitia, poſt hanc triſtitiam, in conſummatione amor. Compoſitio quorũ talis eſt: de timore & lætitia naſcitur prudentia: & eſt timor cauſa prudentiæ: lætitia fructus. De lætitia & triſtitia, naſcitur temperãtia cuius eſt triſtitia cauſa, lætitia fructus. De triſtitia & amore naſcitur fortitudo: & eſt triſtitia cauſa fortitudinis amor fructus. De amore & timore, naſcitur iuſtitia: & eſt timor cauſa iuſtitiæ, amor fructus. Conſidera ergo, quomodo iſtæ affectiones ordinatæ, virtutes ſunt: inordinatæ perturbationes. Si timorem ſequatur triſtitia, deſperationem generat: ſi amorẽ lætitia, diſſolutionẽ. Sequatur ergo timorem lætitia: quia timor futura cauet, lætitia de præſenti gaudet prudẽtis cautelæ finẽ, lætitia poſſidet. Probet ergo lætitia timorem: probatus timor nihil aliud quàm prudentia eſt. Comitetur lætitia triſtitiam: quia moderatè læta amplectitur, qui triſtia reminiſcitur. Temperat ergo lætitiam triſtitia, tẽperata lætitia nihil aliud eſt quàm temperantia. Iungatur amor triſtitiæ: quia fortiter ſuſtinet triſtia, qui per amorem, quæ ſunt

ſunt amanda, deſiderat. Confortat ergo amor triſtitiam, confortata verò triſtitia, nihil aliud eſt quàm fortitudo. Iungatur amor timori: quia ordinatè amandis inhæret, qui timenda nõ negligit. Ordinat ergo amor timorẽ: ordinatus timor nihil aliud quam iuſtitia eſt. Duæ affectiones, lætitia & triſtitia: non ſe extendunt ad alia. In nobis enim lætamur & in nobis triſtamur. Amor & timor ad alia ſe extẽdunt. Timor enim affectio eſt naturalis, quæ nos cõiungit ſuperiori per inferiorem partem, & habet ſe ad Deum ſolum. Amor affectio eſt, quæ nos coniungit ſuperiori, inferiori, & æquali: & habet ſe ad Deum & proximum. In his autem duobus perfecta conſiſtit iuſtitia: vt timeamus Deum propter potentiam: amemus propter bonitatem: & proximum propter naturæ ſocietatem.

De quatuor virtutibus nobis neceſſariis.

CAP. IX.

OPus eſt fortitudine aduerſus tẽtamenta peccati: vt rugienti leoni reſiſtamus: fortes in fide: & ignita ipſius iacula hoc clipeo viriliter repellamus. Opus eſt *In quibuſ. ſentent.*

iustitia, vt operemur bonum. Opus prudentia, ne cum fatuis virginibus reprobemur. Opus denique temperantia, ne voluptatibus indulgeamus. Planè terribilis Deus in consiliis super filiis hominum. Sed si terribilis est, etiam misericors inuenitur, dum futuri formam iudicij nō occultat. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Palmes qui fructum non fecerit, excidetur. Virgo cui defuerit oleū, à nuptiis excludetur. Et qui bona receperit in hac vita, in æterna cruciabitur. Quod si fortè contingat in vno quolibet hæc quatuor inueniri, ea planè extrema desperatio est.

De *quatuor modis orandi.*

CAP. X.

In quibus. sentent.

QVatuor mihi videntur orandi modos exprimere apostoli verba dicentis. Volo primū fieri obsecrationes, deinde orationes, postulationes, gratiarum actiones. Sunt enim quos adhuc peccati conscientia terret & cruciat, nondum accepta resistendi virtute: tunc scilicet cùm primum ipsos in peccatorum cœno iacentes, spiritus veritatis irradiat, & exci

excitans erubescere facit & timere: dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem: & velut ardentem coram se gehennam expauescentes: quoniam in seipsis boni nihil inueniunt: aliunde apprehendunt vnde regantur: sciunt enim quòd non sit tutum in conspectu domini Dei sui vacuos apparere: & nihilominus id præsumeri plenis stercore manibus audent. Quia ergo timent, & merito timent per seipsos accedere: studeant quasi per alios supplicare. Tale est illud orationis genus: quo solemus vti dicentes. Sancte Petre ora pro nobis: & similia. Maximè verò illud obsecratio est manifesta: per passionem tuam libera nos domine, & cætera in hunc modum. Ac verò iam continendi virtute accepta, securus accedit, qui sibi conscius fuerit: pro delictis præteritis veniam quærens, & oratione quæ nimirū oris est ratio: quando iam ore suo loquitur cum Deo suo. Quod si iam consecutus es, primum est, vt ipsi domino in oratione loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ. Dehinc postquam in lamentis pœnitentiæ aliquandiu perseueràs, hilaritatem quandam & fiduciam conceperis indulgentiæ: accede iam ad postulationes, vt securè tanquam receptus in gra-

tiam domini, tibi & conseruis tuis audeas petere quod oportet. Fiducialiter iam postulare potest, qui eiusmodi est: tantùm caueat ne fortè aut postulet non postulanda: aut nimis postulet, quæ non à Deo sunt postulanda: aut ea tepidè quærat, quæ toto affectu & omni tempore sunt quærēda. Petit & non accipit omnis, qui terrena quærit vltra necessitatem: qui mundialem gloriam sectatur aut voluptatem. Tale est etiam, quod solent homines seculares mortem inimicorum in oratione postulare, cæteráque similia quæ non oportet. At verò temporalia si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit: sed non sunt nimis requirenda. In quo genere etiam illa sunt specialia, sine quibus nihilominus salus constare potest: vt donum scientiæ, gratia curationum: omniáque de quibus certum non habemus, quid expediat nobis: vtpote, si te fatigat tentatio, supplicandum quidem pro ea, vt auferatur à te, sed non minus obnixè: quoniam in talibus oportet Deo magis committere, quàm temerè apud nos aliquid diffinire. Hæc autem sunt pro quibus incessanter, & quàm obnixè poterunt, ad Deum clamant desideria tua, vt habeas gratiam eius bonam, & placere possis in oculis pietatis

tatis ipsi": & in eo viuas & morìaris in ipso vt gloriā eius videre, & in ipso frui imperpetuum merearis. Porrò, ad quartum orationis genus, quod est gratiarum actio, per paucos attingere credo: & quò rarius eò præciosius est. Multam enim gratiam prot sus inuenit apud Deum, qui exaudit antequam inuocetur, & testimoniū reddit spiritui eius, spiritus quem habet ex Deo: quoniam exauditum est desideriū eius: ita vt certus iam non orare, sed gratias agere possit. Prima igitur, id est, obsecratio verecundo fiat affectu. Secunda, quam propriè diximus orationem, affectu puro: vt videlicet non dissimulemus peccata: nō nos palpemus scientes, quòd sic quisq; gratiā inuenit apud Deum, si inuentus fuerit durus iudex in semetipsum. Tertia, id est, postulatio amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinē. Quarta, quę est gratiarum actio, ipsa debet esse deuotione plenissima & deliciis affluens.

De quatuor quibus debitor est homo.

CAP. XI.

In quibus. VTis scire, quæ & quibus debeas? Primò Christo Iesu debes omnē vitam *sentent.* tuam:

tuam: quia ipse vitam suam posuit pro vita tua: & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuo sustineres. Si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies seculi, & labores omnium hominum, qui fuerunt, qui sunt, qui erunt, nihil esset ad comparationem corporis illius, quod spectabile & stupendum est: virtutibus etiam supernis in conceptu de spiritu, in ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentiis, in corruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum. Sicut igitur exaltantur cæli à terra, sic exaltata est vita illa à vita nostra: quæ tamen proposita est pro vita nostra. Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem: ita & vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem: cùm illa dignior, ista miserior esse non possit. Cùm ergo ei deuouero, quicquid sum, quicquid possum, nonne sic est sicuti stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Sed nunquid huic soli debitor sum, cui vix aliquid retribuere possum? Exigunt à me præterita peccata mea futura vitam meam, vt faciam dignos fructus pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc, quis idoneus? Peccaui

caui super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ: circundederunt me mala, quorum non est numerus. Quod ergo sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo satisfaciam, cùm cogar reddere debitum vsq; ad nouissimum quadrantem? Sed & delicta quis intelligit? Sed & quantumlibet pœniteat, quantumlibet se affligit & maceret propter nomen tuum, non propter pœnitentiæ meritum propitiaberis peccato meo (ait iustus) domine multum est enim. Cùm igitur quicquid vis, quicquid sapis, quicquid habes, quicquid potes, huic vni rei dedicaueris, nunquid aliquid est, vel intra aliqua computandum? Quid si tertium sibi debitorem ostendam, qui non minus acriter, sed veraciter vendicat eam sibi? Puto quòd & tu possidere desideras gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: regnum omnium seculorum, viuere in æternum in perpetuas hæreditates. Credo quòd velis esse æqualis angelis Dei: & in plateis supernæ Syon melos angelicũ auscultare & videre, quicquid illud sit: cum erit Deus omnia in omnibus. Nonne ad hoc emendum totum

te,

te, & quæcunque vndecunque contrahere poteris dare oportebit? Et cùm vniuersa compleueris, non tamen esse condignas passiones huius temporis vel corporis, ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. Quid dices, etsi quantum debitorem in medium adduxero, qui sibi iure priuatus tres superiores cedere velit? Ecce, in ianuis est, qui fecit cælum & terram: etiam creator tuus est: tu creatura, tu seruus, ille dominus, ille figulus, tu figmentũ. Totum ergo quod es, illi debes: à quo totum habes: illi præcipuè domino, qui & fecit, & benefecit tibi: qui tibi ministrat syderũ cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terrę fructuum vbertatem. Huic reuera totis medullis, totis viribus seruiendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat & despiciat & conterat in æternum. Expone ergo mihi, cui horum quatuor præponas reddere quod debes, cùm vnusquisque tã internus quàm æternus exactor sit, vt te possit singulariter suffocare. Eia domine, vim patior, responde pro me. In manus tuas commendo spiritum meum: tu persolue omnibus: tu ab omnibus libera: quia tu es Deus & non homo: & quod hominibus impossibile est, possibile est tibi.

De qua

De *quadruplici compunctione.*

CAP. XII.

QVatuor ad sensum compunctionis sunt pertinentia. Porrò, sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici sentis compunctione morderi. Pudore gemino, & gemino metu. Igitur in tua pro te lamentatione, Deum cogita factorem tuum: cogita patrem: beneficum cogita dominum: ad omnia reus es: plange per singula: ad primum & vltimum respondeat timor tuus, ad duo media pudor. Pater sanè non metuitur, cùm pater sit: patris est misereri semper & parcere. Et si percutit virga, percutit non baculo: & cùm percusserit, sanat. Paterna vox est: percutiam, & ego sanabo. Non est proinde quod à patre formides, qui & si aliquando feriat, vt emendet: nunquam tamen vt vindicet. At verò cogitantem quòd patrem offenderim, est certè quod pudeat: & si non quod terreat. Voluntariè genuit me verbo veritatis. Demum etiam nõ pepercit vnigenito, pro sic genito. Ita ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quánam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni tam malus filius? Pudet *Super cãt. serm. 16.*

det indigna geſsiſſe generi meo: pudet tanto patre vixiſſe degenerē. Proh pudor. Caduca vana, & prope nulla: & quorum finis mors eſt, infelix & inſanus præferre, non erubui æterni patris amori & honori. Sed & ſi pater nō eſſet, obrueret me beneficiis. Inſtaurat aduerſum me teſtes, vt alia innumera, taceam huius corporis victū: & vſum temporis huius, & ſuper omnia ſanguinem dilecti filij ſui clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quanquam ad confuſionis cumulum arguor, etiā reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione. Minimè quidem mihi à benefactore: ſicut nec à patre timendum. Verus quippe beneficus eſt, dans affluenter & non improperans. Non improperat dona: quia dona ſunt, & beneficia ſua mihi dedit, non vendidit. At quanto de illo benignius, tāto de me indignius ſentire cogor. Quòd ſi ſegnior, fortè minor ſuas partes exequitur pudor: timor ſanè excitetur in adiutorium: excitetur, vt excitet. Quòd pater eſt, quod beneficus eſt tibi eſt: quòd dominus, ac creator ſibi. Etenim propter ſemetipſum fecit omnia. Quid ergo quod tuum eſt, tibi defenſat & ſeruat: putas & pro ſe aliquando non zelabit? Putas ſui non requiret principatus honorem? Sed requiret

requiret vſque ad nouiſsimum quadrantem, requiret & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Requiret à redempto ſeruitium, honorem & gloriam ab eo quem plaſmauit. Eſto quòd diſsimulet pater ignoſcat beneficus: ſed non dominus & creator: & qui parcit filio, non parcet figmento: non parcet ſeruo nequam. Pena cuius ſit formidinis & horroris, tuum atque omnium contempſiſſe factorem: offendiſſe dominum maieſtatis. Maieſtatis eſt timeri: domini eſt timeri: & maximè huius maieſtatis, huiuſque domini. Ille timendus eſt, qui poſt quàm occiderit corpus, poteſtatem habet mittere & in gehennam. Qui ſic afficitur, proculdubio in duplici metu iſto, itémque pudore illo æquè duplici, habet compunctiones quatuor.

De quatuor generibus lachrymarum.

CAP. XIII.

In ſerm. 3. de epipha. do. qui ſit incipit.

IN lachrymis deuotionis nō indulgentia peccatorum, ſed beneplacitum quæritur Dei patris, cùm deſcendit in nos ſpiritus adoptionis filiorum: teſtimonium perhibēs ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei, *neceſſariō nobis &c.*

vt mellifluam nobis de cælo vocem videamur audire: quia verè Deus pater in nobis complacet sibi. Nec parum distat inter lachrymas deuotionis, atque lachrymas pœnitentiæ & confessionis. Veruntamen longè amplius vtrisque præcellunt aliæ quædam lachrymę, quibus & infunditur sapor vini. Illas enim lachrymas verè in vinum mutari dixerim, quæ fraterne compassionis affectu in feruore prodeunt charitatis: pro qua etiam ad horam tuiipsius immemor esse sobria quadam ebrietate videris. *In quibus dictis.* Quosdam autem lugentes video, sed si de corde procederent ille lachrymæ, non tam facilè illico soluerentur in risum. Nunc autem cùm abundantius otiosa & scurrilia verba profluant, quàm prius lachrymæ, lachrymas huiusmodi de his esse non arbitror, quibus cõsolatio diuina promittitur: quandoquidem post illas tam facilè consolatio vilis admittitur.

De quatuor molestiis hominis.

CAP. XIIII.

DVplex secundum corpus miserum hominem contritio vexat: præsentis videlicet sensu doloris, & mortis metu futuræ, nimirũ cùm & passibile sit & mortale. Duplex nihilominus animam agitare, soli citudo

citudo videtur spei vtiq; & timoris. Inter hæc nempe fluctuant iugiter, dum peccat: corpus inhabitat, ascendens vsq; ad cælos & iterum vsque ad abyssos descendens, tabescens in malis: & ad bona nihilominus inardescens. Erit autem cùm luteum hoc egrediẽs domicilium à timore quidem penitus liberabitur: sed necdum ab expectatione. Extunc enim iam non erit timor in finibus nostris, sed in spe singulariter constituti erimus. Cæterùm, & ipsum corpus restituetur. Seminatur enim corpus animale, resurget corpus spirituale. Seminatur in ignominiam, surget in gloria. Vbi iam tunc mors victoria tua? Siquidem & tu inimica nouissima destrueris. Corp⁹ enim resurrectionis iam non moritur: mors ilvltra non dominabitur: sed & dolor & emitus omnis abscedet: quoniam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum: & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor: quoniam priora transierunt. Felices lachrymæ quas benigna manus magni cõditoris absterget. Et beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt, quàm eleuari in superbiam, quàm omne sublime videre, quàm auaritiæ & petulantiæ famulari.

De quatuor, quibus seruit homo in hac vita.

CAP. XV.

QVatuor sunt, quorũ in hac vita obsequiis deseruim⁹: caro, mũdus, diabolus, Deus. Carni militamus, gulę illecebris seruiendo, luxuriæ stimulis obsequendo. Mundo militamus, auaritiæ æstibus anhelando, honoris altitudinem affectãdo. Diabolo militamus, bonorum prouectibus inuidendo: contra Deum superbiæ spiritu intumescendo. Deo autem militamus, pietatis operibus humiliter insistendo: potestatibus aëris viriliter resistendo. Habent & singuli principes donatiua propria. Caro largitur suis seruitoribus momentaneam voluptatem: mundus transitoriam sublimitatem: diabolus perpetuam captiuitatem: Deus interminabilem felicitatem.

De quatuor generibus hominum regnum cælorum possidentium.

CAP. XVII.

QVatuor sunt genera hominũ regnum cælorum possidentiũ. Alij violenter rapiunt, alij mercantur, alij furantur, alij compelluntur ad illud. Rapiunt qui reliquerunt omnia, & sequuntur Christum

Sunt alij inferioris gradus, à quibus metuntur carnalia, dũ seminãt spiritualia: & tales dicuntur mercatores. Sũt alij, qui nõnulla bona occultè faciunt, & hi furari dicuntur: quia laudẽ humanam vitantes solo diuino testimonio sunt contenti. Hi autẽ qui compellũtur, sunt pauperes necessarij: quos hic ignis paupertatis Deo dispensante, probat ne in futuro ignis iudicij damnabiliter puniat. De quibus dicitur. Compelle intrare. Compelluntur enim variis necessitatibus & oppressionibus afflicti.

De quatuor generibus tentationum.

CAP. XVII.

QVatuor sunt tentationum genera, nobis ita prophetico sermone descripta: Scuto inquit, circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno: à sagitta volante in die: à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano. Hæ sunt quatuor tentationes, quibus vndiq; circundati, necesse habemus circundari etiam scuto domini, vt sit nobis à dextris & sinistris, antè & retrò. Veritas autem circundat: quia verax, qui promittit: & si exhibet, vt promittit. Credo quòd & hoc ordine, quo hic numerãtur cõtra eos, qui conuertuntur, insurgunt, & velut prin

Super cãt. serm. 33.

Super ps. qui habit. ver 5.

Super ps. cipes sunt omnium tentationum. Scimus,
Qui habi. quia aduersus eos q cõuertũtur primũ esse
sermo. 6. certamẽ quod de mo'estiis corporis consue
uit. Caro enim hacten' indomita castigari
& in seruitutem redigi, nequaquam æqua
nimiter patitur: sed adhuc memor recens
Super cãt. perditę liberatis: acrius concupiscit aduer-
sermo. 33. sus spiritum. Itaq; primordia nostræ con-
uersionis primus exagitat timor, quem in-
trantibus statim horror vitę ingerit arctio-
ris, & insuetæ austeritas disciplinæ, Atq; is
timor nocturnus dicitur, quia nox in scri-
pturis designare solet aduersa: & pro bonis
quæ non videmus: formidamus quæ in
Super ps. præsentiarum sunt aduersa tolerare. No-
Qui habi. cturnus planè & tenebrosus timor iste. Su-
sermo. 6. perata autẽ hac tentatione, armemus nos
Super cãt. nihi lominus aduersus hominum laudes,
sermo. 33. quæ de laudabili potissimum vita sumunt
mareriam. Aloquin patebimus vulneri à
sagitta volãte in die, quæ est inanis gloria.
Fama siquidem volat, & ideo in die quia ex
operibus lucis. Sagitta leuiter volat, le-
Super ps. uiter penetrat: sed non leue infligit vul-
Qui habi. nus, citò interficit. Sagitta hæc vana glo-
serm. 6. ria est. Non est vnde impugnet hæc pusil-
lanimes & remissos, qui feruentoires esse
Super cãt. videntur: ipsi paueant: ipsi sibi caueant.
sermo. 33. Si hæc exufflatur tanquàm inanis aura,
restat

restat vt solidius aliquid afferatur de diui-
tiis & honoribus seculi: si forte qui non cu
rat laudes, appetat dignitates. Aliter ne-
cesse est circunueniri a negotio perambu-
lante in tenebris: quod est hypocrisis. Et-
enim ista de ambitione descendit: & in te-
nebris habitatio eius: quippe absconditquod
est: & quod non est mentitur. Negotiatur
autem omni tempore formam retinẽs pie-
tatis à sese occultandum: virtutem autem
eius vendicans, & omnes honores.

Super ps. Quantos hoc negotium perambulans in
Qui habi. tenebris trudi fecit in tenebras exteriores,
serm. 6. veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis euacuans.

Super cãt. Postrema tentatio est dæmonium meri
ser. 33. dianum, quod solet maximè insidiari perfe
ctis: qui videlicet tanquam viri virtutum
omnia superauerunt voluptates, fauores, ho
nores. Quid enim iam supereſt ei, qui ten-
tat, in quo possit pugnare palam aduersus
Super ps. huiusmodi. Quos videt omnimode dili-
Qui habi. gere iustitiã, & odisse iniquitatem; Quidni
serm. 6. vt iniquitatem palliet virtutis imagine?
Quos enim perfectos bonis nouerit amato
res, malum eis sub specie boni, non medio
cris sed perfecti persuadere conatur: vt citò
consentiat qui magnopere diligit bonum,
& facilè qui currit incurrat.

Super cit. sermo. 33. Venit proinde occultus, qui manifestus non audet, & quem satis expertus est, apertum omne horrere malum: falso bono superare molitur. Quartò igitur, id est, supremo demum loco: hæc tentatio formidetur, & quo se in summo stare quis viderit: eo sibi vigilantius ab incursu & dæmonio meridiano cauendum intelligat. Quod quidem dæmonium idcirco meridianũ dictum existimo: quia sunt aliqui de numero malignorum, qui cum merito tenebrosæ obstinatæq; volũtatis suæ, nox & perpetua nox sint: diem tamen se ad fallendum simulare nouerũt, nec modo diem sed & meridiem. Et tunc meridies, id est, maior claritas apparet tẽtans: cùm quasi bonis maioris imaginem præfert.

De quatuor cornibus crucis.

CAP. XVIII.

NEcesse est, vt scuto circundet nos veritas: quia nos vndique mala circundant. Ab inferiori enim parte timor nocturnus insurgit: à sinistris sagitta volat in die: à dextris peramabulat negotiũ tenebrosum: & vt nihil sit vacuum à superiori parte dæmonium meridianum occurit. Nos autem

De sancto Andræa. serm. 2.

autem miseri & miserabil es vicinis tot serpentibus, & igneis telis vndique volantibus & insurgentibus inimicis, nihilominus pernitiosissima securitate & negligentia dormitamus, torpemus otio vanitatibus, & scurrilitatibus indulgemus tã pigri ad spiritalia exercitia: acsi iam pax sit & securitas, & nõ sit militia vita hominis super terram. Ecce in cruce salus nostra: tantũ vt ei viriliter inhæreamus. Ipsa est scutum, quo circundamur: vt eius cornua quatuor, quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergo inferius cornu contra timorem nocturnum, id est, aduersus pusillanimitatẽ quæ de carnis afflictione procedit: vt id quod sub nobis est, corpus castigare viriliter studeamus ac subiicere seruituti. Si quis verò nobis in faciem maledicit: si quis apertè mala suadere conatur: in die volat sagitta, & à sinistris est, sinistro nihilominus cornu excipienda. Quòd si adulatur, si quasi consulentis animo, venenum propinat fraternæ detractionis, & odiũ seminare conatur: si denique iniquum aliquid tãquam iustum persuadere tentat, à dextris est mihi iste: sed Iudas est, osculo me prodit: & dextro cornu crucis negotium perambulans in tenebris, necesse est propulsari. Sed ecce dæmonium meridianum, superbiæ scilicet spiri-

tus: qui nimirum in maiori splendore virtutum acrius insurgere solet: Hæc autem valde pernicioſa est. Initium quippe omnis peccati & causa totius perditonis, superbia est. Propterea quisquis es, qui salutem tuã operari studes, aduersũ hãc super caput cornu crucis habere memento. vt non eleueris in superbiam, non exaltetur cor tuum: non ambules in magnis, neque in mirabilibus super te: sed tela ea quæ de sublimi veniunt supereminens capiti tuo, cornu crucis excipiat. Sanè hoc solum est, cui salutis pariter & regni titulus inscribitur: quia solus qui se humiliat, saluari & exaltari meretur. Iam vt breuiter repetam, quatuor hæc cornua sunt: continentia, patientia, prudentia, & humilitas.

De quadruplici superbia.

CAP. XIX.

In quibus sit superbia.

EST superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est, contra quam sapiens orat dicens. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et alibi. Væ qui estis sapientes in oculis vestris. Superbia oris vel linguæ quæ & iactantia dicitur: est quando homo non solùm magna de se sentit, sed etiam loquitur: vnde psalmista. Disperdat dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Superbia operis est, quando homo quadam superbia, vt magnus appareat, agit. De qua idem psalmista ait. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Superbia habitus est, quando homo vt glorioſus videatur, pretioſis se ornat vestibus. Vnde apostolus. Non in veste pretiosa. Et dominus. Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt: vbi superbia abundat. Sunt autem quinque quæ ad remedium tam mortiferæ pestis à domino rationali animæ sunt posita: locus, corpus tentatio diaboli, prædicatio Christi: & eius conuersatio. Locus, quia exilium, corpus, quia oneroſum: tentatio, quia inquietat: Christi prædicatio, quia ædificat: & eius cõuersatio quæ informat. His quasi quinque sensibus. Deus humilitatẽ operatur in anima. Sicut enim anima vita est corporis, ita Deus vita est animæ. Et sicut corpus mortuum est, quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est quæ per hæc à domino non humiliatur.

De

De quatuor modis quibus itur ad consilium impiorum.

CAP. XX.

In quibus. AD consilium impiorum itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inuiti: alij attrahuntur illecti: alij seducuntur ignari: alij sequuntur spontanei. Istis necessariæ sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilium eant. Inuitis necessaria est fortitudo, qua resistant vsque ad mortem: minis cruciatibus, & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent temperantia, quæ reprimit illicita desideria: nec cedit promissionibus, nec emollitur blandiciis. Illis qui seducuntur ignari, est opus prudentia, quæ discernit ab inutilibus vtilia: & docet quid tenendū, quidve reiiciendum sit. Iustitia indigent illi, qui sequuntur spontanei. Iustitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Iustitia & fortitudo sedem habent voluntatem: quia voluntas iusta debet esse & fortis, Est autem iustitia voluntas ordinata hoc modo: scilicet mala respuens: bonis meliora præponēs. Prudentia & temperantia sedem habent in ratione: quia ratio prouidens debet esse & temperata. Est quippe

quippe prudentia ratio docta, scilicet à gratia: vitare contraria iustitiæ propter iustitiam. Vitat quidem non solùm iniustitiam apertam, sed etiā illa quæ sunt aliquo modo contra iustitiam: attendens non quod licet, sed magis quod expediat. Vitans diuitias, & quædam alia: non quia illicita, sed quia iustitiæ solent esse impedimenta: sed propter quosdam qui ex hypocrisi hoc faciunt: additur propter iustitiam. Iustitia est perfectio animæ rationalis: aliæ virtutes sunt ad eius acquisitionem vel conseruationem. Fortitudo, temperantia, prudentia, iustitiam conseruant, ne amittatur aut minuatur. Postquam verò perfecta est iustitia & transit in affectum cordis, idem est quod illa tria: quia fortis est, prudens & temperata.

Do quatuor pedibus, quibus cathedra pestilentiæ subsistit.

CAP. XXI.

CAthedra pestilentiæ quatuor pedibus subsistit. Primus pes est malitia: secundus contemptus Dei: tertius irreuerentia: quartus astutia. Malitia est amare malum, & saporem mali habere: & malum, quia malum est diligere: sicut facit diabolus & nonnul *In quibus. sententijs.*

nonnulli iniqui. Sed quia fit aliquando, vt tales timeant Deum: non timore bono, sed ne incurrant vel damnum rerum, vel corporis cruciatum: vt amplius sint mali, contemnunt & ipsum Deum: & fit secundus pes contemptus Dei. Item posset fieri, vt malum amarent, Deum contemnerent: sed inhiberet eos pudor hominum, cum quibus habitant. Ideo ad augmentum mali sequitur tertius pes: irreuerentia, vt nec Deū timeant, nec homines reuereantur. Ad cō summationem verò totius malitiæ, adest quartus pes: astutia, vt sciant vt tribus prædictis: miscentes oleo venenum, & melle acetum. Eminens pars cathedræ, cui sedens inhæret, est potentia. Si enim potens est, qui prædicta habet tunc plurimum nocet: vel si potentem sibi allicere potest quem suo consilio seducat, & ad malum impellat. Deinde apponitur puluinar, vt suauiter sedeat. Puluinar sit de leuibus pennis auium, signans vanam gloriam & fauorem popularem, quibus homines delectati extolluntur. Scabellum pedibus supponitur, ne terram tangant. Tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt sed spirituales se simulant: vt magis decipiant, horum doctrina est quasi pestilentia, multa loca occupans & vastans.

De

De quatuor modis hominum.

CAP. XXII.

QVidam sunt, qui nō sequūtur Christum, sed fugiunt: alijnō sequuntur, sed præeunt: nonnulli sequuntur, sed non assequuntur: alij verò sequuntur & consequuntur. Non sequuntur sed fugiunt qui necdum peccare desistunt: de quibus scriptum est. Omnis qui malè agit, odit lucem. Et propheta, Ecce isti qui elongant à te, peribunt. Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt. Sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt: vel vsque ad finem non perseuerātes de medio itinere reuertūtur. Sequuntur & consequuntur, qui viam humilitatis eius deuoto mentis affectu perseueranter imitantur. Huiusmodi verè sequuntur Deum. Fructus imitationis, mansio est æternæ beatitudinis. *In quibus. sentent.*

De quatuor generibus hominum.

CAP. XXIII.

QVatuor genera sunt hominū, quorum omniū nullum est quod faciat bonum nisi vnū. Qui dā enim sunt, qui Deum nec intelligunt, nec requirūt: & hi mortui sunt. Alij intelligunt quidem, sed nō requirunt: & hi *In quibus. sentent.*

& hi impij sunt. Alij requirunt, non autem intelligunt: & hi fatui sunt. Alij verò & intelligunt & requirunt: & hi sancti sunt: De quibus solis dici potest: quia ipsi sunt, qui faciunt bonum.

De quatuor rotis currus spiritalis.

CAP. XXIIII.

In quibus. sentent.

VIa legis domini agitur nõ gressu corporis, sed affectu mentis. Per hanc viam incedunt, & quasi quendam currum ducũt tria genera hominũ, seruus, mercenarius, filius. Trahunt autem eundem currum duo iumenta: quorũ omnia sunt, comminatio, & promissio. Super cõminationẽ seruus sedet: super promissionem mercenarius. Horum vterque trahit currum: alter timore, alter cupiditate, & vterque ptopriis stimulis impellitur. Solus filius, qui nec timore quatitur, nec illicitur cupiditate, sed spiritu dilectionis agitur: sine labore aut læsione vehitur in curru. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Habet etiam currus ille quatuor rotas: illas scilicet quatuor animi affectiones notissimas amorem & lætitiam, timorẽ & tristitiam. amant enim temporalia, & lætantur cum malè fecerint. Sed hunc amorẽ & hanc lætitiã sequitur timor & tristitia sempiterna.

Electi

Electi verò ponunt primas rotas, timorem & tristiam: posteriores, amorem & lætitiam. Ipsis enim commutatur timor in charitatem, tristiria in lætitiam sempiternam.

De quatuor spinis.

CAP. XXV.

Supercãt. serm. 47.

DOnec in carne est anima, inter spinas profecto versatur: & necesse est patiatur inquietudines tentationum, tribulationũmque aculeos. Videat quàm vigilem, solicitámque esse oporteat super custodia sui: septa vndique spinis hincinde aculeos intendentibus. Spina culpa est: spina pœna est spina falsus frater: spina vicinus est malus. Plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. Versari in his & minimè lædi, diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Bene pungetis, si compungetis. Non mediocris titulus profectò virtutis inter prauos viuere: bonum & inter malignantes innocentiæ retinere candorem & morum læuitatem: magis autem si his qui oderunt pacem, pacifi cum, vt amicum, te ipsis exhibeas inimicis.

V

De duobus bonis, quæ oculum interiorem faciunt simplicem, & duobus malis, quæ eundem faciunt nequam.

CAP. XXVI.

In libr. de præcep. & dispensatio.

VT interior oculus verè simplex sit, duo illi arbitror necessaria: charitatem in intentione: & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: & nescio quēadmodum iudicio veritatis, vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram instruere discipulos simplicitatem magistra veritas: estote (inquit) prudētes sicut serpentes, & simplices sicut colūbæ. Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique verè simplex erit oculus, cum ignorantia veritatis? Patet ergo laudabilem illam, & a domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, beniuolentia atque prudentia, vt oculus videlicet cordis non solùm pius qui fallere nolit: sed & cautus sit, qui falli nō possit. Cæterùm, sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona, amor boni & cognitio veri: sic nequam oculum duo è regione mala constituunt, cæcitas, qua fit, vt veritatem non agnoscat: & peruersitas, qua fit, vt diligat iniquitatem.

De quadrifaria diuisione, oculi interioris.

CAP. XXVII.

POrrò inter hæc bona quæ nec fallere nec falli sinunt: & duo illa mala quæ tam falli quàm fallere faciunt, duo sunt media: vnum quidem bonum, per quod oculus interior & si falli queat, ignorantia veri: zelo tamen boni fallere penitus non consentit. Alterum verò malum, quod licet veri notitiam non impediat, amorem tamen boni ptæ malitia minimè sentit. Et quoniam omnis res melius diuisione innotescit, secundū hoc duplex malū, & illud item geminū bonum: quadrifariam diuidamus oculum cordis: in bonum & meliorem: in malum & peiorem: & subdamus exempla. Est qui bonum diligit, & malum nescius agit. Huius quidem bonus est oculus, quia pius: non tamen simplex, quia cæcus. Et est qui bonum & libenter agit, & prudēter intelligit. Istius reuera oculum non immerito simplicem dixerim: vtpote cui neutrum bonū desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia. Est ecōtra *Vbi suprà*

rio qui bonum minimè diligens, ex malicia quidem peruersus est: sed sapiens vt faciat malum. per ignorantiam cæcus nõ est. Quem quidem ideo nondum appellauerim nequam, quòd vnum ei licet ad suum malum non desit bonum, ideſt, scientia. Sed est qui bonm fortè nescius, quod non diligit agit: cui profecto non incongruè id quo dicitur nequam assignauerim: eò quòd neutro careat malo: nec cæcitate scilicet, nec peruersitate. Dicitur siquidem nequam, quasi nequaquam: vt is solummodo nequam appelletur, qui nequaquam, hoc est in nullo penitus appareat bonus, sed sit vtroque bono vacuus, tam videlicet veri notitia quàm & beniuolentia.

De quadrifaria diuisione supradicta.

CAP. XXVIII.

In eodem vbi suprà ALius est itaque pius oculus, non quidem fallere promptus, sed tamen falli pronus. Alius is est, quẽ dominus simplicẽ dicit tam nec fallere facilis quàm nec falli. Et item alius oculus simpliciter malus, fallens vtique libenter, sed non facilè falsus. Et alius est, quem nequam esse diffinimus: quia sit dupliciter malus: cui nempe & malicia parit ignorantiam, & ignorantia maliciam

ciam operit: ita vt sæpe nesciens & malum, quod vult non faciat: & bonum faciat, quod non vult. Obscuratum nẽpe est in sipiẽs cor eorum, qui istiusmodi sunt, & quasi iam traditi in reprobum sensum: bonum omnino nec diligere, nec dignoscere queunt. Nã qui huiusmodi est, cauere profecto malum nec vult etiam si possit, nec si velit scit. Quamobrem hunc oculum in superiori diuisione, illo altero sensui non immerito peiorem: nõ quia malignior sit, sed quia periculosior. Ignorantia quippe securiorem, securitas segniorem facit nõ nequiorem. Est tamen ex hoc proculdubio deterior: quia ille solũ habet malum, malam intentionem: iste & falsam considerationẽ. Ille vno caret è duobus bonis bono zelo: iste & vero iudicio. Si igitur is verè oculus nequam est, qui peruersus pariter & cæcus bonum agit & malum credit. Vtrique rectè operando, sed opinando inique, bonum sibi in malum vertit, & tantum malũ quantum crediderit. At non ideo sequitur, vt qui econtrario malum facit, & bonum putat: iuxta suam fidem similiter & ipse inueniat. Quare? Non est quippe simplex oculus ille, qui ex iudicio veritatis totum corpus lucidum reddat, qualem profectò superius diffiniuimus. Neque enim ex toto adhuc tenebræ desunt, vbi ignoranti

veritatis lucem obscurat bonæ voluntatis: Cùm itaque ille oculus vtrumque malum, is verò minimè vtrumque habeat bonum: nonne ratio videtur exigere, vt plus ille noceat, quàm prosit iste? Neque enim consequens est, vt tantum valeat in bonum, bonũ vnum: quantum duo mala, in malum. Et quidem laude dignam dixerim, vel solam piam intentionem: nec planè condigna remuneratione fraudabitur, in opere quoque non bono ipsa bona voluntas attamen sinè malo quocunque non erit decepta simplicitas, quia quod à nesciente fit, & bonũ prorsus contemnit intentio praua, & malum nõ penitus excusat recta. Siue itaque malũ putas bonum, quòd fortè agis: siue bonum malum quod operaris, vtrumque peccatum est: licet sanè leuius admodũ peccetur: vbi sana intentione, sola reprehensibilis actio foris apparet: quam vbi maligna latet, etiam in non mala actiõe intentio. Verum quod absque vel minimo peccato non est, purum bonum minimè est. Quo pacto ergo bonum non purum, pro malo comparabitur in efficientia: hoc est tam efficax ad bonum illud sit, quàm ad malum illud? De

De quadruplici iustitia.

CAP. XXIX.

In serm. 5. de verbis Isaiæ qui incipit. Commendant nobis. &c.

IVstitia Dei sublimis est. Nostra enim si qua est humilis est iustitia: recta forsitan sed non pura: nisi fortè meliores nos esse credimus quàm patres nostros, qui non minus veraciter quàm humiliter aiebant omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. Quomodo enim pura iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse? Recta proinde videri potest iustitia hominum si tamen peccato non consentiant, vt non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio non modo recta, sed etiam pura fuit, quandiu ei datum est, nec sentire peccatum. Cæterùm & ipsa quoniam firma non fuit, & puritatem facile perdidit: & ne ipsam quoque retinuit rectitudinem suam. Sanè apud angelos iustitia recta pura & firma est: sublimis quidem, sed adhuc longè inferior quàm diuina. Non enim innata eis est, sed collata à Deo, vt natura ipsa quod ex se est, non modo iustitiæ, sed etiam iniustitiæ capax inueniatur. Nunquid non ista est prauitas quædam, quam in angelis suis mera illa iustitia legitur inuenisse? Non enim iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs, ait is, qui Dei iustitiam minimè ignorabat.

Nec enim ait omnis homo, sed omnis viuens fortè, vt ne ipsos angelicos eum nouerit spiritus excepisse. Viuunt enim & ipsi tantò eius quantò propius adstant ei apud quem est fons vitæ. Nihilominus etiam iusti sunt, sed ex eo non coram eo: munere eius, non in eius comparatione. Ipse enim sibi iustitia est, cuius voluntas non tã æquã, quam ipsa æquitas: & vtraque non aliud quam ipsa substantia est. Illa ergo iustitia verissimè sicut mons est: quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est, & vt ita dixerim, etiam substantiua est.

De quatuor riuulis descendentibus de fonte Christo.

CAP. XXX.

supercãt. serm. 22.

DOminus Christus fõs vitæ, de intra orti conclusum erumpens, per os Pauli fistulam suam in quatuor se riuulos diffudit, & deriuauit in plateas: vbi videlicet & assignat nobis eũ factũ a Deo sapientiam, & iustitiam, & sanctificationem, & redẽptionem. Quoniam quidem in principio erat verbum, verbum erat apud Deũ, factum est autem quatenus esse inciperet & apud homines: sic nihilominus in principio sapientia erat: erat iustitia, erat sanctificatio & redemptio: sed angelis vt esset, & hominibus

bus: fecit eã hæc omnia pater. At angelis (inquis) quomodo redemptio fuerit nõ video. Nec enim authoritas scripturarum vsquam assentire videtur eos aliquando, aut peccato extitisse captiuos, aut morti obnoxios: vt ne cassariam haberent redẽptionem, exceptis dũtaxat illis, qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps nõ merentur. Si itaque angeli nunquam redẽpti sunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes, illi quidem quia nec lapsi sunt: hi autẽ, quia irreuocabiles sunt quo pacto tu dicis Dominum Christum eis fuisse redẽtiponẽ? Audi breuiter. Qui erexit hominẽ lapsum, dedit statim angelo ne laberetur: sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendẽs. Et hac ratione fuit æque vtriq; redemptio: soluens illum, & seruans istum. Liquet ergo sanctis angelis Dominũ Christum fuisse redemptionẽ, sicut iustitiã, sicut sapiẽtiam sicut sanctificationẽ: & nihilominus tamen hęc ipsa quatuor esse factum propter homines. Sic ergo omne quod erat angelis sanctis, factus est nobis. Quid? Sapientia, iustitia, sanctificatio, redẽptio. Sapientia in prędicatione: iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in cõuersatione quã habuit cum peccatoribus: redemptio in pas-

sione, quam sustinuit pro peccatoribus. Sedebas ô homo in tenebrosis & vmbra mortis per ignorantiam veritatis. Sedebas vinctus catenis delictorum: descendit ad te in carcerem, nõ vt torqueret, sed vt eueret de potestate tenebrarum. Et primo quidem veritatis doctor depulit vmbram ignorantiæ tuæ: luce sapientiæ suæ. Per iustitiam denique, quæ ex fide est, soluit funes peccatorum, gratis iustificans peccatorem. Addidit quoque sanctè inter peccatores viuere: & sic tradere formam vitæ tanquam viæ qua redires ad patriam. Ad cumulum postremo pietatis tradidit in mortem animam suam: & de proprio latere protulit præmium satisfactionis, quo placaret patrẽ. Eu quatuor riuulis. Primus sapientiæ: secundus iustitiæ: tertius satisfactionis: quartus redemptionis. Frustra huius seculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputauerunt: quas tamen apprehendere omnino nequiuerunt: cùm illũ nescierũt, qui factus est nobis à Deo sapientia docẽs prudentiam, iustitia delicta donans: & sanctificatio in exemplũ tẽperantiæ continenter viuens: & redemptio in exẽplũ patientiæ fortiter moriens. Quid vobis cũ virtutibus, qui Dei virtutẽ Christũ ignoratis? Vbinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde vera iustitia, nisi de Chri

Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli igitur, qui eius doctrina sunt imbuti, prudẽtes dicendi sunt. Soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consecuti sunt. Soli temperantes, qui eius vitam imitari studeant. Soli fortes, qui eius patientiæ documenta, fortiter in aduersis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à domino virtutum, cuius doctrina armarium prudentiæ, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperantiæ, cuius mors insigne est fortitudinis. Ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

De quatuor ordinibus in processione Domini.

CAP. XXXI.

QVatuor ordines in processione domini mihi videor intueri. Præibant enim aliqui, & viam parabant: ipsi sunt, qui viam parant domino ad corda. Alij sequebantur, & hi sunt, qui propriæ insciẽtiæ conscij deuotè sequuntur, & adhærẽt semper vestigiis præcedentiũ. Aderant quoq; discipuli tanquam domestici lateri eius adhærentes: ipsi sunt, qui partẽ optimam elegerunt, qui in

Inser. 2. de ramis pal. qui inciprit. Necesse est. &c.

clauſt

clausſtris ſoli Deo viuunt: ſemper Deo adhærentes & eius placitum conſiderantes. Ipſum quoq; iumentum cui inſidebat, non defuit; quod deſignat duros corde & animos quodammodo beſtiales.. Verùm non fuit tibi animaliũ huiuſmodi copioſior multitudo: nec oportuit. Tales enim magis oneri ſunt quàm honori: nec propter eos proceſsio valde glorioſior eſt. Huiuſmodi nanq; cantare nõ norunt. ſed malè ſonoros dant rugitus. Ipſi ſunt, qui ſempe virga & calcaribus egent, Attamen nec ipſos relinquet dominus, dum diſciplinã ferre volue rint. Quatuor ergo ſunt genera in proceſsione domini. Boni prudentes & boni ſimplices: hi ſunt, qui præeunt & qui ſequuntur. Bonos autem addidit: quia prudentes non boni, iniqui ſunt: & ſimplices non boni, ſtulti ſunt. In proceſsione autem domini, nec iniquus locum habet, nec ſtultus. Porrò qui adhærent ei, contemplatiui ſunt. Qui portant eum & onerantur eo, ipſi ſunt duro corde & parum deuoti. Sed ecce, omnes ſunt in proceſsione domini, & nemo ex ipſis faciem eius videt. Nam qui præcedunt, occupati ſunt in parãda via: ſolliciti circa peccata & tentationes aliorũ. Qui ſequuntur ipſi omnino faciẽ eius videre nõ poſsũt, ſed poſteriora eius vident. Iumentũ cui inſidet,

nun

nunquam ad videndum leuat oculos, ſed pronum eſt ſemper in terram. Qui verò adhærent ipſi, aliquando videre poſſunt: ſed raptim & non continuè nec planè dum adhuc ſunt in via. Attamen quantum ad alios, ipſi magis facie ad faciem eum vident.

De quatuor generibus ſpirituum. CAP. XXXII.

QVatuor ſunt ſpirituũ genera: peccoris, noſter, angelicus, & qui condidit iſtos. Nõ eſt ex omnibus, cui ſiue propter ſe, ſiue propter aliũ, ſiue propter vtrunq; neceſſariũ corpus nõ ſit corpori ſuo ſimilitudo, excepto duntaxat illo, cui omnis tã corporalis quàm ſpiritalis creatura merito cõfitetur, & dicit. Deus meus es tu: quoniã bonorũ meorum non eges. Et primũ quidẽ ita corpore egere conſtat, vt ne ſubſiſtere abſq; illo vtrũque poſsit. Simul quippe & viuificare deſinit, & viuere ille ſpiritus: quando moritur pecus. Verùm nos viuimus quidẽ poſt corpus, ſed ad eos quibus beatè viuitur, nullus nobis acceſsus patet, niſi per corpus. Ipſa ſiquidẽ corporalia & viſibilia, iſta nõ niſi per corporis inſtrumentũ ſenſa in noſtram notitiam veniunt. Habet igitur neceſſariũ corpus ſpiritalis creatura, qua nos ſumus, ſine quo nimirum neq; aquã illã ſcientiam aſſequitur,

ſuper cã. ſermo. 5.

quàm solã accepit gradũ ad ea, de quorum sit cognitione beata. Iam quod & super cælestes spiritus opus corporibus habeant, illa nos maximè certos faciat vera & verè diuina sentẽtia. Nonne omnes (ait) administratorij spiritus sunt missi in ministeriũ, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Quónam ergo modo implent ministerium suum aqsq; corpore præsertim apud viuẽtes in corpore? Deniq; nõ est discurrere, nec de loco ad locũ transire, nisi corporũ. Quod frequenter facere angelos tã indubitata quàm nota probat authoritas. Ita inferior superiórq; spiritus propriis corporibus egent: sed tantùm quibus iuuẽt non etiã iuuentur. At pecus quidem ex debito seruitutis, & ad vsus tantùm tẽporalium corporaliúmq; necessitatũ iuuando seruit. Ideoq; ille spiritus & cum tẽpore transit, & cũ corpore deficit. Angelus verò curat & satagit in libertate spiritus administrare officiũ pietatis: futurorũ bonorũ promptũ mortalibus: alacréq; sese ministrũ exhibens: vtpote suis in æternum futuris ciuibus & cohæredibus supernæ iocunditatis. Ille igitur vt iure seruiat: iste vt piè subueniat: ambo proculdubio suis corporibus egent vt iuuent. Nam in quo ipsi eis iuuẽtur, non video, ad profectũ duntaxat æternitatis. Irrationalis nempe spiritus

ritus nũquid eo vsq; iuuatur corpore suo, vt per corporalia & sensibilia quæ per illud sentit, etiam ad spititalia & intelligibilia proficiendo pertingat? porrò autem supercæleſtis spiritus absq; adiutorio corporis & absq; intuitu horũ quæ per corpus sentiuntur, sola profecto suę vicinitate ac viuacitate naturæ, sufficit apprehendere summa, & intima penetrare. Nec brutus ergo, nec angelicus spiritus ad ea capescenda quæ beatam spiritalem faciunt creaturam, suis vllo modo corporibus adiuuantur. Ille quidem pro innata soliditate non capiens: iste verò pro excellentioris gloriæ prærogatiua non indigens. Porrò hominis spiritum, qui medium quendam inter supremũ & infimum tenet locum, vsq; adeo ad vtrunque necessarium habere corpus manifestũ est, vt absque eo nec ipse proficere, nec alteri prodesse possit. Nam vt taceam membra cætera corporis officiáue membrorum, quónã modo quæso, aut sine lingua instruis audientem, aut sine auribus percipis instruentem? Itaq; cùm absq; corporis admiculo, nec bestialis spiritus seruilis conditionis soluere debitum, nec spiritalis cælestísq; creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis anima tam proximo quàm etiam sibi sufficiat consulere ad salutem: liquet omnem

crea

creatum spiritum siue vt iuuet, siue vt iuuetur simul & iuuet, corporeo prorsus indigere solatio. Nullus autem creatorum spirituum per se nostris mẽtibus applicatur: vt videlicet nullo mediãte nostri suíue corporis instrumento: ita nobis immisceatur vel infundatur: quo eius participatione docti siue doctiores: vel boni: siue meliores efficiamur. Nullus angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est: nullius ergo capax, nec ipsi angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogatiua hæc summo atq; incircunscripto spiritui, qui solus cùm docet angelum siue hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit. Purus capitur à puris, solꝰ nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotenti voluntate sufficiẽs. Operatur tamen immensa & innumera per subiectam creaturam corporalem siue spiritualẽ: sed quasi imperans non quasi mendicans. Quid proprio de corpore facere habet, cui ad nutũ indifferẽter vniuersa corpora cælestia atq; terrestria obsequi cõstat? Planè superfluum haberet suum, qui nullum sibi reperit alienum. Demus ergo veram soli Deo securi sicut immortalitatem ita & incorporeitatem: *Super cãt. serm. 6.*

tem: qui solus spirituum vniuersam corpoream creaturam alià naturam eo vsque transcendat, vt quocunq; corpore in quocunque opere non indigeat: solo spirituali nutu cùm vult, ad quæcunque vult agenda contentus. Sola igitur est, quæ nec propter se nec propter alium: solatio instrumenti corporei opus habet illa maiestas.

De quatuor fontibus prodeuntibus de paradiso nostro Christo domino.

CAP. XXXIII.

FOns nobis est Christus dominus vnde lauemur: sed fons qui nunquam poterit exhauriri. Veruntamen non iste solus aquarũ vsus est, nec tantùm sordes abluũt, sed & sitim extinguunt. Tertius aquarum vsus est irrogatio, quàm profectò maximè necessariam habent nouellæ oliuarũ plantationes: alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt præ nimia siccitate. Quærit ergo deuotionis aquas, quisquis seminauerit bonorum operum semina: vt irrigatus fonte gratiæ: bone conuersationis ortus non exaresçat: sed in perpetua viriditate proficiat: vt bona opera feruore deuotionis & dulcedine spiritalis gratiæ condiãtur. Putas inueniri poterit quar- *In ser. de natiuita. qui incip. Grandis quidem.*

tus fons, vt paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnissimum? Nam si terrenum paradisum denuo nobis reddēdum nō sperамus, quomodo regnum cælorum sperabimus? Nunc autem vt de exhibitione præsentium, firma sit expectatio futurorum, paradisum habemus multò meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt, & paradisus noster Christus dominus est: In quo tres quidem iam fontes inuenimus, quartum quæramus. Habemus de fonte misericordię ad diluendas culpas aquas remissionis. Habemus de fonte sapientiæ ad potandam sitim nostram, aquas refectionis. Habemus de fonte gratiæ ad irrigandas bonorum operum plantas, aquas deuotionis. Quæramus ad decoquendos cibos aquas feruentes: aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt & decoquunt affectiones nostras, & ebuliunt de fonte charitatis. Porrò ex his quatuor fontibus, tres quidem propriè conuenire videntur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli singulis. Nam primus quidem omnibus communis est. In multis enim offendimus omnes: & necessarium habemus fontem misericordiæ ad diluendas offensionum sordes. Omnes inquam peccauimus, & egemus gloria Dei:

Dei: & prælati, & continentes & coniugati. Si dixeremus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Quia ergo nemo mūdus à sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ: & pari voto debent ad hunc fontem Noë, Danieli, & Iob properare. De cætero. Iob quidem maximè fontem sapientiæ quærat: quoniam ipse magis inter medios laqueos ambulat: ita vt magnum videatur, si à malo declinat. Danieli verò currendum est ad fontem gratię; cui nimirum pœnitentiæ opera, & labores abstinentiæ, deuotionis gratia necesse est impinguari. Oportet enim vt maximè nos in hilaritate omnia faciamus: quoniam hilarem datorem diligit Deus. Fons verò æmulationis Noë conuenit specialius: quia maximè prælatos decet hic zelus.

De quatuor beneficiis Dei.

CAP. XXXIIII.

AGamus gratias factori nostro, benefactori nostro, redemptori nostro, remuneratori nostro, aut potius spei nostræ. Ipse enim retributor, ipse retributio nostra, nec aliud iam quàm ipsum expectamus ab ipso. Primūquod nobis præstitit, nosipsi sumus. Si quidem ipse fecit nos: & non ipsi nos. Parum ne tibi istud videtur, quia te fecit? *Super psa. qui habitat sc. 14.*

Cogita qualem te fecit. Fecit nẽpe etiam ſecũdum corpus egregiam creaturam: ſed ſecundum animam magis: vtpote imaginem creatoris inſignem, rationis participem, capacem beatitudinis ſempiternæ. Porrò ſecundum ambo ſimul præ cæteris creaturis maximè admirandam, cohærentem ſibi incomprehenſibili artificio, inueſtigabili ſapientia conditoris. Itaq; tam magnum hoc donũ, quàm magna res homo. Sed quàm gratuitum putas? Planum eſt, quia nihil antè promeruit: quia penitus nihil fuit. An poſtea ſperabatur gratiam retributurus autori? Non neceſſariam retributurus gratiam, quia per omnia ſibi ſufficit: ſed deuotas relaturus gratias ei, qui ſic meruit ſperabatur. Ne hoc quidem licet maximo contentus munere, qui dedit, vt eſſes, qui ante nõ fueras, adiecit etiã vnde ſubſiſteres, qui iam eras: nec minus liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter eſt operatus. Quàm copioſus in ſecundo hoc beneficio: quam liberaliſsimus fuit. Quanta tibi largitus eſt ad ſuſtentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad conſolationem, quanta ad delectationem: quanta ex hoc iam ad correptionem. Verùm hæc duo gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico, dupliciter gratis? Sine merito tuo, ſine labore

labore tuo. Nempe dixit, & facta ſunt. An idcirco minus deuotus, minus obnoxius, minus gratus es: quòd hæc quidẽ ſicut pro nihilo, ſic de nihilo fecit? Peruerſi cordis eſt occaſiones ingratitudinis veſtigare. Nemo id facit, niſi qui etiã gratis eſſet ingratus. Puto enim neutrũ tibi, propterea minus vtile: quàm quod præſtanti minimè difficile fuit. Cæterùm ex hoc iam tertium opus tuæ redemptionis attẽde. Non eſt velamẽ excuſationis laboratum prorſus in ea. Gratis quoq; hoc præſtitũ eſt: ſed gratis quod ad te pertinet: nam quod ad illum planè nõ gratis. Saluus factus es pro nihilo, non de nihilo tamen. Quid ad hæc dormitat affectio? Imò verò mortua eſt illa, non dormit, quæ hinc beneficio non reſpondet: quæ ſe totam nõ effundit in gratiarum actionem & vocem laudis. Nam & cætera duo euidẽtiſsimè tertium hoc commendat: vt in eis quoque vera fuiſſe dilectio comprobetur: non propterea de facili præſtans, quod nollet aliter, ſed quòd aliter non oporteret. Itaque te fecit Deus tuus: fecit tam multa propter te, fecit propter te & ſemetipſum. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quid adhuc reſtat? Factus eſt ipſe tecum caro vna: te quoque ſecum faciet ſpiritum vnum. Non recedant hæc quatuor à

corde tuo, non à memoria, non ab affectione. Hæc cogita semper: in his iugiter delectare: his velut quibusdam stimulis vrgens sollicita animam tuam. His facibus eam inflammare curato ad redamandum eum, qui tam multipliciter suum ergo te commendat amorem. Serua mandata creatoris tui: serua mandata benefactoris tui, redemptoris tui, remuneratoris tui.

De quatuor speciebus contemplationis.

CAP. XXXV.

In lib. 5. de consider. QVatuor sunt cõtemplationis species. Prima & maxima contemplatio est admiratio maiestatis. Hæc requirit cor purgatum, vt à vitiis liberum atque exoneratum peccatis facilè ad superna leuet. Interdum quoque vel per aliquas morulas stupore & ectasi suspensuum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est, huic. Est enim intuens iudicia Dei, quo sanè pauido aspectu dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia: fundat virtutes: initiat ad sapientiam: humilitatem seruat. Tertia contemplatio occupatur vel potius ociatur circa memoriam beneficiorum: & ne dimittat ingratum, sollicitat memorantem

rantem ad amorem benefactoris. Quarta quæ retro sunt obliuiscẽs, in sola requiescit expectatione promissorum. Quæ cùm sit meditatio æternitatis, siquidem quæ promittuntur æterna sunt, longanimitatẽ alit & perseuerantiæ dat vigorem. Puto iam facile est quatuor nostra hæc, quatuor illis verbis apostoli assignare: dum lõgitudinem comprehendit meditatio promissorum: latitudinem recordatio beneficiorum: sublimitatem contemplatio maiestatis, profundum inspectio iudiciorum.

De quatuor gradibus amoris.

CAP. XXXVI.

In lib. de diligendo Deum. AMor est affectio naturalis. Quod ergo naturale est, iustum quidem foret primo omnium naturæ deseruire authori. Sed quia carnales sumus, & de carnis concupiscentia nascimur: necesse est amor noster à carne incipiat, qui si recto ordine dirigatur quibusdam suis gradibus duce gratia proficiens, spiritu tãdẽ cõsummabitur: quia nõ prius quod spirituale, sed quod animale est: deinde quod spirituale. In primis ergo diligit seipsum homo propter se cúnq; se videt per se nõ posse subsistere, deũ quasi sibi ne-

ceſſarium incipit per fidem inquirere & diligere. Facit ergo ſe diligi Deus, qui & cætera bona facit: facit autẽ ſic. Qui naturam condidit, ipſe protegit. Nam & ita condita fuit, vt habeat iugiter neceſſariũ protectorem, quem habuit & conditorem: vt quę niſi per ipſum non valuit eſſe, nec ſine ipſo valeat omnino ſubſiſtere. Quod ne ſanè de ſe creatura ignoret, ac perinde ſibi quod ab ſit, ſuperbé arroget beneficia creatoris. vult hominem idem conditor, alto quidem ſalubríque conſilio tribulationibus exerceri: vt cùm defecerit homo & ſubuenerit Deus, dum homo liberatur à Deo: Deus ab homine vt dignum eſt, honoretur. Fit hoc itaque tali modo, vt homo animalis & carnalis, qui præter ſe neminem diligere nouerit: etiam Deum vel propter ſe amare incipiat: quòd in ipſo nimirum vt ſæpe expertus eſt omnia poſſit: quæ tamen poſſe proſit, & ſine ipſo poſſit nihil. Diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe adhuc non propter ipſum. At verò cùm ipſum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere & frequentare: cogitãdo, loquendo, legendo, operando, obediendo, quadam huiuſcemodi familiaritate paulatim ſenſímque Deus innoteſcit, cõſequenter & dulceſcit: & ſic guſtato quàm ſuauis eſt dominus, tranſit ad

tertium gradum, vt diligat Deum: non iam propter ſe, ſed propter ipſum. Ita fit, vt ad diligendum purè Deum, plus iam ipſius alliciat guſtata ſuauitas, quàm vrgeat noſtra neceſsitas. Sanè in hoc gradu quo iam propter ſeipſum Deus diligitur, diu ſtatur: & neſcio ſi à quoquam hominum, quartus in hac vita perfectè apprehenditur, vt ſe ſcilicet homo diligat tantùm proppter Deum, Aſſerant hoc, ſi qui experti ſunt: fateor impoſsibile mihi videtur. Erit autem procul dubio cùm introductus fuerit ſeruus bonus & fidelis in gaudiũ domini ſui. Quaſi enim ebrius miro quodammodo oblitus ſui, & à ſe penitus velut deficiens totus perget in Deum: & deinceps adhærẽs ei vnus cum eo ſpiritus erit. Quomodo ſtilla aquæ modica multò infuſa vino deficere à ſe tota videtur dum & ſaporem vini induit & colorem: ſic omnem tunc in ſanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liqueſcere: atq; in Dei penitus tranſfundi voluntatẽ. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, ſi in homine de homine quicquã ſupererit? Manebit ſiquidem ſubſtantia, ſed in alia forma, alia gloria, aliáq; potentia. Ex hoc iam quartus ille amoris gradꝰ perpetuò poſsidetur, cùm ſummè & ſolus diligitur Deus: quia nec

nosipsos iam nisi propter ipsum diligimus: vt sit ipse in prȩmium amantium se, in præmium æternum amantium æternum.

De longitudine, latitudine sublimitate, & profunditate Dei. CAP. XXXVII.

In libro quinto de considerat tione.

QVid est Deus? Lõgitudo, latitudo, sublimitas, & profundũ. Visus sum protulisse plura, sed vnum est. Voces diuersæ, semitæ multæ, sed vnum per eas signatur, vnus quæritur. Non diuisiones substantiæ in quaternario isto expressæ sunt, nõ dimẽsiones, quales in corporibus intuemur. Nõ distinctio personalis, qualem in trinitate adoramus, nõ numerus proprietatum, qualem personis ipsis inesse fatemur, etsi non aliud à personis, alioquin hoc singulum horum in Deo quod quatuor simul, hoc quatuor ipsa quod singulũ est. Quid igitur est Deus? Lõgitudo inquam. Quid ipsa? Aeternitas. Hæc tam longa, vt non habeat terminum non magis loci quàm temporis. Est & latitudo Et ipsa quid? Charitas. Quibus & ista terminis angustetur in Deo: qui nihil odit eorũ quæ fecerit. Deniq; solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos; ergo etsi inimicos includit

dit sinus ille, ne hoc quoque contentus eua dit in infinitũ. Omnem non modo affectionẽ, sed & cognitionem excedit. Quid plus dicã? Aeterna est, nisi quòd hoc forsitá plus est, quia æternitas est. Vides tantam esse latitudinem, quantam & longitudinem, Vtinam sic videas nõ tantam esse, sed ipsam id esse vnam quod alteram, non minus vnam quàm duas, nõ pl' duas quàm vnam. Deus æternitas, deus charitas est. Longitudo sine protensione, latitudo sine distensione. In vtroq; pariter locales quidem excedit temporales quàm angustias sed libertate naturæ non enormitate substantiæ. Tali modo immensus est, qui omnia fecit in mensura & quamuis immensus. hic tamen modus & ipsius immensitatis. Quid item Deus? Sublimitas & profundũ. In altero super omnia, in altero intra omnia. Liquet in deitate nũquam claudicare æqualitatem stare eam vndiq; firmiter, constare immobiliter sibi. Sublime potentiam, profundum sapientiã eius considera. Ex æquo & ista respondent sibi, dum & sublimitas inattingibilis, & profunditas æquè inscrutabilis cognoscatur. O sapientia potens, attingens vbique fortiter: & potentia sapiens, disponens omnia suauiter. Res vna, effectus multiplex, operationésque diuersæ. Et illa vna res est

long

longitudo propter æternitatẽ, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam.

Finis libri noni.

CAPITVLA LIBRI DECIMI.

De diuersis generibus peccati. 1
De malicia, luxuria, & auaritia, & diuersis eius appendicibus. 2
De diuersis vitiis linguæ. 3
De septem impedimentis quæ nos retrahunt à mandatorum obseruatione. 4
De diuersis obstaculis, quæ nos separant à voluntate diuina. 5
De diuersis impedimentis diuinæ gratiæ. 6
De diffinitionibus diuersorum, quæ in homine continentur. 7
De diuersis in homine existentibus, inter quæ sola voluntas meretur. 8
De misericordiis domini. 9
De fragmentis septem misericordiarum. 10
De sex obseruantiis seruorum Dei. 11
De signis quibusdam quæ ostendunt hominem esse de numero electorum. 12
De diuersis diebus spiritalibus 13
De diuersis saporibus. 14
De diuersis generibus spirituum. 15

De diuersis operationibus vocis diuinæ intus in anima. 16
De diuersis nominibus Dei. 17
De diuersis saporibus Dei. 18
De diuersis modis, quibus se habet filius ad patrem. 19
Quod pater & filius & spiritus sanctus, & sancti angeli desiderãt cõsummationẽ nostram. 20
Quod animæ sanctorum desiderant recipere corpora sua. 21
De diuersis impletionibus animæ & corporis in futuro. 22

LIBER DECIMVS.

De diuersis generibus peccati. CAP. I.

In quibus dam sententiis.

PRIMVM peccatũ est factum in cęlo per superbiã præuari catoris angeli, qui in seipso tumuit, & de sorte beatorũ spirituum eiectus, cælorũ regnum amisit. Secũdum peccatũ cõmissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, vt quoniã spiritus eius nõ fuit subiectus creatori, nec caro sit subiecta spiritui. Tertium peccatũ fuit, quòd ipsa mulier virũ quoque secun

secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatū suum deflere, nec addere peccatum peccato. Sed in hoc putauit se habere consolationē, si virum suum faceret peccati sui participē. Quodammodo enim naturale est vnūquēq; velle, siue in vitiis, siue in virtutibus associare sibi consortē. Quartū peccatum commisit Adam, qui consensit. Adā enim (sicut ait apostolus) non est seductus, mulier autē seducta in prēuaricatione fuit. Illa per ignorātiā, iste peccauit per infirmitatem. Peccauit autē nimis diligendo vxorem, non quia eius voluntatē fecit, sed quia eam volūtati prætulit diuinæ. Iustū quippe erat, vt illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis verò ambigat plus eum debere conditori, quàm vxori? Si quidem vxori erat astrictus tantum per amorē, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus ergo debuerūt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei prēceptū quàm vnū tantum erga cōiugis affectū. Quintū æquè peccatum cōmisit, qui propriā culpam retorsit in vxorem. Primò quidē crudelis in se, qui peccatū suum excusauit, secundò in vxorē, quam accusauit. Et vtiq; satis digna sumpta est de peccato vindicta, quādo eam accusauit, cuius amore peccauit. Sextū peccatū fecit Eua, quæ cū increpareturà domino, cur hoc

hoc feciſſet, reſpōdit ei. Serpens decepit me & comedi: Sic declinauit & ipſa in verba malicitiæ ad excusādas excusatiōes in peccatis: refundēs culpā in ſerpentē, quaſi immunis à crimine: cui nil obfuiſet ſuggeſtio ſerpentis, ſi illa negaſſet aſſenſum propriæ voluntatis. Et fortè præceſſit in ea aliquis motus ſuperbiæ: vnde ſeduci meruit à ſerpente. Septimū peccatū factum eſt extra paradisū, quando Caym inſurrexit aduerſus Abel fratrē ſuum, & interfecit eum. Ex eo iam tempore inueteratum eſt, vt mali inſurgunt in bonos & opprimunt eos.

De malicia, luxuria, & auaricia: & diuerſis eius appendicibus.

CAP. II.

MAgnus quidē princeps ſpiritalis atque inuiſibilis regis Egypti profecto malicia eſt: magnus luxuria, magn' auaritia. Et hi quidē poſsidēt termi nos ſuos ſub rege ſuo, ſicut cuiq; laſsignati ſunt. Nā malicia in omni regione maleficiorū atque facinorum dominatur. Luxuria omni immūditię & turpitudini carnis prēeſt. Auaritia in partes rapinæ & fraudis ſortita eſt principatū. Habet malicia currum ſuum rotis quatuor conſiſtentem: fæuicia, impatientia, audacia, impudentia. *Super cāt. cap. 39.*

Valde

Valde etenim velox est currus iste ad effundendum sanguinem: qui nec innocentia sisti tur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore: Trahitur autem duobus ad modū pernicibus equis: & ad omnem pernicie paratissimis: terrena potentia & seculari pompa. Tunc nanq; quadriga ista malicię cuirit valde velociter, cùm hinc quidem potentię effectus subest eius adimplendis malitiosis conatibus: inde plausus pompæ arridet perpetratis sceleribus: vt sermo impleatur, qui scriptus est: quoniā laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & iniquus benedicitur. Porrò præsident duobus his equis auriga duo: tumor & liuor. Et tumor quidem pompam, liuor verò potentiam agit. Is enim rapido fertur diaboli carum amore pomparum, cui⁹ apud se cor prius intumuit. Nā quod in se firmiter stat timore cōpressum, grauitate modestum, humilitate solidum, puritate sanū, aura huius vanitatis nequaquam leuiter rapietur. Item terrenæ iumentū potentiæ nonne inuidia agitur, & quasi quibusdam liuoris vrgetur hinc inde calcaribus: suspicione vtiq; decedendi & metu succumbēdi? Aliud est enim quòd suspect⁹ est successor: & aliud quòd timetur inuasor. His itaque stimulis, terrena potētia cōtinue agitatur, & curr⁹ quidē malicię

ciæ sic se habet. Luxuriæ verò currus quadriga nihilominus voluitur vitiorū: ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollicie, vestium, ocij soporisq; resolutione. Trahitur equis æquè duobus: prosperitate vitę, & rerum abundantia. Et qui his præsident duo ignauiæ torpor, & infida securitas: qa & copia in ignauiam soluit. Et secundū scripturam, prosperitas stultorum perdet illos (non sanè ob aliud, nisi quoniam malè securos reddat). Cùm autem dixerint, pax & securitas, tūc subitaneus superueniet ei interitus. Hic calcaria minimè habent, neque flagella, vel aliud huiusmodi: sed pro his vtuntur canopeo ad faciendam vmbram: & flabello ad citandum ventum. Porrò canopeū dissimulatio est, vmbrā faciens & protegēs ab æstu curarum. Proprium nāq; est mollis & delicatæ animæ etiam necessarias dissimulare curas: & ne æstuantes solicitudines sentiant sub latibulo dissimulationis abscondi. Flabellum verò effusio est: ventū adulationis apportans. Largi enim sunt luxurioſi emētes auro ventū de aure adulatorum: & de hoc satis. Iam verò auaritia rotis, & ipsa vehitur quatuor vitiorū, quę sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porrò iumēta trahentia tenacitas, & rapacitas, & his vn⁹ auriga

ambobus præsidet habendi ardor. Sola siquidem auaritia quoniã conducere plures nõ patitur, vno contenta est sectatore. Ipse verò iniuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor, in vrgendis sanè iumentis trahentibus, flagris vtitur acerrimis libidine acquirẽdi, & metu amittendi. Sunt & alij principes regis Aegypti, habentes & ipsi currus suos in expeditione domini sui: sicut superbia quæ vnus de maioribus est principibus: sicut inimica fidei impietas, magnum & ipse tenens locum in domo & regno Pharaonis. Et multi adhuc alij inferioris ordinis satrapæ & equites: quorum non est numerus in Pharaonis exercitu. In istorum itaque principum fortitudine curruumque suorum, inuisibilis Pharao vbique discurrens in omnem familiam domini: quibus potest viribus more tyrannico debachatur. In his etiam diebus exeutens Israël de Aegypto, insequitur. At ille verò nec subuectus curribus, nec protectus armis: nihilominus tamen sola domini confortatus manu securè decantat. Cantemus domino, gloriosè enim honorificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare. Itẽ. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus.

De

De diuersis vitiis linguæ.

CAP. III.

VIlis & volatilis res verbum hominis: nullius more, nullius ponderis, nullius pretij, nullius soliditatis. Aërẽ verberat, vnde & verbum dicitur: & sicut folium quod vẽto rapitur effluit, & non est qui cõsideret. Quis numeret quãtas modicũ linguæ membrũ cõtrahat sordes: quàm multiplex in labiis incircũcisis immũdicia coagulatur: quam sit grauis pernicies oris incircũspecti? Est enim lingua indissoluta in sermonib⁹ ociosis. Est lingua impudica: est & magniloqua, quarum prior lasciuiæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est & lingua dolosa, & item lingua maledica: quarũ altera in falsiloquam & adulatoriam subdiuiditur: altera verò nunc in facie cõtumelias irrogat: nunc detrahit in occulto. Quòd si de omni vel ocioso verbo quodcunq; locuti fuerint homines, Deo reddituri sunt rationem in die iudicij: quãto districtius de verbo mendaci & mordaci & iniurioso: de elato vel lasciuo: de adulatorio aut detractorio iudicabunt? Quam vera sentẽtia fratres. In multiloquio nõ deerit peccatũ. Vt enim præteream cætera. si propterea ociosum est verbum, quòd nullam rationabilem cau-

In ser. 2. de apostolo. Petro & Paulo qui incip. Sanctis & ser. de tripl. custod. manus lingua, et cor

In ser. de

Y 2

sam habeat: quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationē? Nemo vestrum fratres, parui æstimet tēpus, quod in verbis cōsumitur ociosis. Volat siquidē verbum irreuocabile: volat tēpus irremeabile: nec aduertit insipiēs qd amittat. Vtinam tamen vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis: sed multi in his etiam vitā amittere cōprobantur: nec modo ipsi amittere, sed adimere quoque: & hoc fratribus suis. Et dicimus. Leuis res sermo, tenera: mollis & exigua caro, lingua hominis. Quis sapiens magnipendat? Leuis quidem res sermo: quia leuiter volat: sed grauiter vulnerat: leuiter trāsit, sed grauiter vrit: leuiter penetrat animū, sed non leuiter exit: profertur leuiter, sed nō leuiter reuocatur: facilè volat, atq; ideo facilè violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suauitatis. Tenerū mēbrum lingua, attamē vix teneri potest. Substantia quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum & validum inuenitur. Modicum membrū est, sed ni caueas magnū malum. Tenuis est & lata: aptissimū vacuādis cordibus instrumentum: nisi fortè omnes tam perfecti simus, vt nunquam nobis post longas cōfabulationes inuēta sit mens quodāmodo vacua & meditatio minus deuota

sicca magis affectio & holocaustū orationis nō adeò pingue propter verba siue quæ diximus, siue etiam quæ audiuimus, verba tamen. Facilè enim lingua labitur, nec minus facilè illabitur cordi: ita vt multis inter loquendū minus profuerit, quòd propriā cohibuerint, dum nō cauerint alienā. Vtilis frater est, qui tibi loquitur sapiens religiosus, ac timens Deū: plus dico, angelus est, & angelus lucis etiā sit: caue tibi, ne audias vnde lædaris, nec personā velim tibi suspectā esse, sed linguam præsertim in sermocinatione cōmuni. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte serpentis quoque astutiam nō omittas. Si crebris saltem experimētis solerter animaduertisti, qualiter noceant verba, non desipies, si sollicitus fueris: quādoquidē interesse necesse est collocutioni: non modo ori circunspectionem, sed & auri nihilominus adhibere cautelā. Fortè tamen nimij videamur in sugillatione verborum, sed mementote quoniam lingua est quæ cōtra vitia linguæ loquitur: vt in eo vel maximè haberi debeat excusata, quòd nec sibi parcat, & aduersus propia quoque suiipsius pericula muniat audientes. Ventus est sermo, sed nō semper est vētus vtēs. Est ergo magna nihilominus sermonis vtilitas, & frequenter in lingua

fructus pretiosissimus reperitur. Sanè propterea maiorem ei diligentiam & diligentiorem custodiam conuenit exhiberi: quòd sit iuxta scripturam mors, & vita in manibus linguæ. Alioquin si sola inesset vita, nec circuncisio ei quidem: si sola mors, etiã abscisio deberetur. Nunc verò ponẽda nobis ori nostro custodia & ostium circunstantiæ labiis, vt nec vitalem ædificationẽ claudat damnet æterna, nec lethalis pernicies liberũ fortiatur egressum. In quibusdã dictis. Vtilis semper custodia oris, quæ tamẽ affabilitatis gratiã nõ excludat. Ergo vbiq; frænanda lingua præceps: maximè autẽ in conuiuio. Vigilemus itaque super verba nostra fratres, ne in eis vel offendere Deũ vel proximum nocere contingat. Felix siquidem quem in omni confabulatione duplex timor iste follicitat. Primum quidem diuinæ maiestatis in cuius manus incidere prorsus horrendum: dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacilè est offendiculum dare.

In ser. de tripl. cust. vbi supra.

De

De septem impedimentis, quæ nos retardant à mandatorum obseruatione.

CAP. IIII.

SEptem sunt impedimẽta, quibus à mandatorum obseruatione retardamur. Primum enim impedimentum nostrũ & occupatio grauis: ipsa est necessitas huius miseri corporis, quod dummodò somnum, modò cibum, modò vestem, cæteráque similia quærit, haud dubium quin frequẽter impediat nos ab exercitio spirituali. Secũdo loco impediunt vitia cordis: vt est leuitas, suspicio: impatientiæ aut inuidiæ motus: laudis appetitus & similia quæ quotidie expetimur in nobis. Tertium & quartum impedimentum accipe prosperitatem huius seculi & aduersitatem. Vtrinq; ergo caue à laqueo tentationis: & quære arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Quintũ impedimẽtum grauissimũ & periculosissimũ, ignorantia nostra est. In multis enim omnino incertũ habemus, quid agere debeamus: ita vt quid oremus, sicut oportet, nesciamus. Sextum impedimentum est aduersarius noster, qui tanquam leo rugiens circumit, quærens quẽ deuoret. Atque vtinam in sex tribula-

In ser. 2. de lxx. qui incip. Magna mihi &c.

tionibus istis liberaremur, vt vel in septima non tangeret nos malum: nec apprehenderet nos periculum in falsis fratribus. Vtinã soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis: & nihil nocerẽt homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis, vel detractionis atque aliis mille modis.

De diuersis obstaculis, quæ nos separant à voluntate diuina.

CAP. V.

In fer. de ora. dominica qui incip. Fiat voluntas tua &c.

HEu quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta, ne volũtas nostra diuinę valeat cohærere. Obiicit sese malicia mediã, obiicit infirmitas, obiicit concupiscentia & ignorãtia nostra. Ineſt enim nobis à natura, magis autem ab exterminatione naturæ affectio quædam pessima & libido nocendi: vt inextinguibilis inueniatur in miseris animabus nostris malicię delectatio. Quid verò longius à volũtate diuina? Planè chaos magnũ inter nos & illã firmatũ est in hac parte, cùm semper eũ delectet præstare beneficia: & ingratis nobis cõtra suggerat affectio crudelissima & innoxiis vellet nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat: hinc inuidiæ hinc detract

detractiones: hinc dissensiones pullulant: hinc siluescunt inimicitiæ. Ipsa quoq; corruptibilis huius infirmitate corporis præpedimur. Nobis siquidem quod molestum sentimus, non potest non displicere: & frequẽter in his volũtas nostra à diuina dissidet voluntate. Nec sola impedit afflictio corporis, impedit & cõcupiscẽtia, qua multiplicibus distrahimur desideriis. Quando autẽ poterit anfractuosa, & angulis plena volũtas ei vniri, quæ rectissima est, & omnimodis indistorta? Heu me domine Deus: quia vndiq; mihi bella, vndiq; tela volant, vndiq; tentamenta, vndiq; pericula, vndique impedimenta. Quocunq; me vertam, nulla securitas: & quæ mulcent & quę molestant timeo: & esuries & refectio: & somnus & vigiliæ: & labor & requies militant cõtra me. Nõ minus suspectus est mihi iocus quàm ira: multos siquidẽ iocando scandalizauit: nec minus vereor prospera quàm aduersa. Prospera nanq; suauitate sua incautum decipiunt: aduersa verò, quia aliquid amaritudinis habẽt, velut potio, amara me suspectum & timidum faciunt. Magis timeo malum quod facio in abscondito quàm quod in aperto. Malum nãque quod nemo videt, nullus reprehendit: & vbi non timetur reprehensor, securè accedit tenta- *In quibus dictis.*

tor: facilius perpetratur iniquitas. Diuitias & paupertates ne dederis mihi, orat sapiens. Nimirum, quia vtrobique laqueus, vtrobique periculum. Ignorantia & ipsa nobis plurimum obest. Quo enim pacto voluntatem præuiam sequar, vbi ignoro eã? Cognosco autem tantùm ex parte: & necdum sicut cognitus sum. Propterea quærenda nobis sunt cum omni desiderio incrementa prudentiæ: vt magis ac magis, notã faciat nobis Deus voluntatem suam: & sciamus quid acceptum sit ei omni tempore.

In ser. de ora. domi. vbi supra.

De diuersis impedimentis diuinæ gratiæ.

CAP. VI.

PRimo cor hominis quem adhuc peccare delectat, nec miserã consuetudinẽ pro posito vtiliore mutauit, ne sit gratiæ capax propriis vitiis præpedit. Secũdo quoq; vbi iam corrigere mores & priores nequitias de cætero nõ iterare ꝓponit, ipsa tamẽ peccata præterita licet iam amputata quodãmodo videantur: dum in eo manẽt, gratiam nõ admittunt. Manent autem donec cõfessione lauentur, donec succedẽtibus fructibus dignis pœnitẽtiæ de medio fiãt. Sed ve tibi, si fortè vitiis & peccatis pernicioſior successerit ingratitudo. Quid enim

In serm. 3. de anniũc. dom. qui sic inscript. Quod diues es in misericor.

tam euidenter gratiæ aduersatur? Tepescimus processu temporis à feruore conuersationis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas: vt consummemur in carne, qui spiritu cœperam⁹. Inde est, vt min⁹ ea sciam⁹, quæ à Deo donata sunt nobis, indeuoti pariter & ingrati. Timorẽ domini derelinquimus, religiosam dimittim⁹ solicitudinẽ, verbosi, curiosi, infacæti, etiã detractores, & murmuratores, vacãtes nugis fugitãtes laboris studiũ & disciplinæ quotiens id sine nota licet: quasi verò cõfestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur? Iam verò si quis deuotus, si quis sollicitus si quis spiritu feruens caueat sibi, ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitat. Alioquin nec huiusmodi quidẽ animum intrat gratia. Nimirũ plenus est, nec in eo iã inuenit gratia locũ sibi. Nos ergo fratres si gratiã cupimus inuenire, sic decætero abstineamus à vitiis vt de præteritis quoque peccatis dignè pœniteamus. Nihilominus quoq; solliciti simus, & deuotos nos Deo, & verè humiles exhibere. In huiusmodi nempe animas gratanter respicit Iesus Christus dominus noster.

De

De diuersis diffinitionibus diuersorum, quæ in homine continentur.

CAP. VII.

In lib. de gratia & liber. arb.

IN rebus materialibus non est id vita, quod sensus: non sensus, quod appetitus: nec ille quod cõsensus, quod ex singulorum diffinitionibus clarius elucebit. Est enim in quolibet corpore vita, internus ac naturalis motus, vigens tantum intrinsecus: sensus verò vitalis in corpore motus, vigilans & extrinsecus: appetitus autẽ naturalis: vis in animante mouẽdis auidè sensibus attributa. Verùm cõsensus nutus est voluntatis spontaneus: vel certè habitus animi liber sui. Porrò voluntas est motus rationalis, & sensui præsidens & appetitui. Habet sanè quocunq; se verterit rationem semper comitem, & quodammodo pedisequã: non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquàm absque ratione moueatur: ita vt multa faciat per ipsam contra ipsam: hoc est per eius quasi ministerium contra eius consilium, siue iudicium. Vnde est illud. Sapientes sunt, vt faciant mala. Neque enim prudentia seu sapiẽtia inesse creaturæ potest vel in malo, nisi vtiq; per rationẽ. Est verò ratio data voluntati, vt instruat illam, nõ destruat. Destrueret autem, si necessitatem vllam ei imponeret: qui minus liberè pro arbitrio sese volueret: siue in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui, vt sit animalis siue ad bonum gratiam sequens, & fiat spiritualis. Si inquam horũ quodlibet prohibente ratione volũtas non posset, voluntas iam nõ esset. Vbi quippe necessitas iam non voluntas.

De diuersis in homine existentibus, quæ sola voluntas meritur.

CAP. VIII

IN rationli creatura solum miseriæ siue beatitudinis capax est voluntas. Cætera *In eodem. libro.* siquidem quæ suprà memorata sunt, vita, sensus, vel appetitus: nec miserum per se faciunt, nec beatum. Alioquin arbores ex vita: & pecudes etiam ex reliquis duobus: vel miseriæ possent esse obnoxiæ: vel idoneæ beatitudini, quod omnino impossibile est. Communem itaq; habentes vitam quidem cum arboribus: sensum verò & appetitum, & æquè vitam cũ pecoribus: id quod dicitur voluntas nos ab vtrisq; discernit: cuius voluntatis consensus vtiq; voluntarius beatos facit, velmiseros: prout scilicet iustitiæ, iniustitiæve consenserit. Vniuersa quę hominis sunt, prꝛeter solam voluntatem sui, libera nõn sunt. Vita, sensus, appeti

appetitus, memoria, ingenium, & si qua talia sunt: eoipso subiacent necessitati, quo non plenè sunt subdita voluntati. Ipsam verò, quia impossibile est, de seipsa sibi non obedire (nemo quippe aut non vult quòd vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est sua priuari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem: vt nunquam amittat libertatem. Cùm igitur voluntas nihil liberum habeat nisi se: merito non iudicatur nisi ex se. Siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens rerum per se statuunt hominem: sicut nec contraria innocentē: & hoc non ob aliud, nisi quia hęc propter voluntatē posse prouenire probantur. Quapropter voluntariū liberúmq; consensum, ex quo & omne sui constat pendere iudicium, ob voluntatis inamissibilem libertatem & rationis (quod secū semper & vbiq; portat) indeclinabile iudiciū puto nō incongruè id esse, quod solet liberum arbitrium apellari: vt liberum ad voluntatem arbitrium referatur ad rationem: arbitrium quippe iudiciū est. Et comitatur merito libertatem iudicium: quoniam quidem quod liberum sui est, profectò vbi peccat, patitur quod nolit: qui non peccat nisi velit. Cæterum,

tùm, quod sui liberum nō esse cognoscitur, quo pacto vel bonum ei vel malum imputatur? Excusat nempe vtrunq; necessitas. Porrò, vbi necessitas est, libertas non est. Vbi libertas nō est, nec meritum ac per hoc nec iudicium. Proinde quicquid hanc non habet voluntarij consensus libertatem, pro culdubio & merito caret & iudicio.

De septem misericordiis domini.

CAP. IX.

DE multitudine miserationū domini, breuiter aliquas proponere velim. Septem ego in me video misericordias domini. Prima est quòd a multis peccatis adhuc in seculo positum custodiuit. Prima inquam nō inter omnes, quas mihi impedit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quòd sicut in multa cecidi, sic & in alia poterā cecidisse peccata, nisi omnipotē tis pietas cōseruāsset? Fateor & fatebor, nisi quia dominus adiuuit me, paulominus cecidissem in omne peccatū anima mea. Et hęc quāta dignatio pietatis quòd ingratum & paruipendentē sic in gratia conseruabat, quòd in multis contrariū & contēnentem nihilominus ab his benignissimè protegebat. At secunda miseratio tua super me domine: quoniā poterit explicari sermone quā

In ser. 2. de operibus misericor. qui incip. Misericor. domini.

benig

benigna, quã liberalis, quã gratuita fuerit, Ego peccabã, & tu dissimulabas. Non cõtinebam à sceleribus, & tu à verberibus absti nebas. Prolongabã ego multo tempore iniquitatem meã: & tu domine pietatẽ tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur pœnitudo? Cumulus esset damnationis. Tertia proinde miseratio fuit, quòd visitauit cor meũ & immutauit: vt amara fierent quæ malè dulcia prius erant: & qui lætabar, cùm malefecerã, & exultabã in rebus pessimis: inciperem demum recogitare ei annos meos in amaritudine animæ meæ. Et nunc domine cõmouisti terrã cordis mei, & conturbasti eã: sana cõtritiones eius: quia commota est. Multi enim pœnitẽtia ducti sunt, sed infructuosa: quoniã pœnitentia eorum reprobata est, sicut & prior culpa. Itaque & hęc miseratio quarta fuit, quòd pœnitẽtem misericorditer suscepisti. Sequitur misericordia quinta, per quã mihi cõtinendi deinceps emẽdacius viuẽdi prestitisti virtutem: ne residuum paterer: & esset nouissimus error peior priore. Omnino enim manifestæ tuæ est domine deus, & non humanæ virtutis, susceptum semel peccati iugum à ceruicib⁹ excutere: quoniã omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati: nec est liberari, nisi in manu forti. Iam verò, postquàm in his

his quinq; miserationibus à malo liberaueris, in duabus aliis bona largiris. Hæ verò duæ sunt gratia promerendi, qua videlicet mun⁹ bonę cõuersationis indulges: & spes obtinẽdi qua donas homini indigno & peccatori: de tua toties experta bonitate vsque ad cælestia speranda præsumere.

De fragmentis septem misericordiarum.

CAP. X.

PRimus panis cõseruatio gratiæ fuit qua me licet indignum à multis cu- stodiuit peccatis. Huius ego tria te- neo fragmenta. Tribus siquidem modis à peccato me memini conseruatum: occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Secundus quoque panis expectatio fuit, qua tardabat vltionem: quia indulgentiam cogitabat. Et huius ergo panis tria fragmenta accipite: cogitantes longanimitatem quam exhibuit: electionẽ prędestinationis suæ quã impleri voluit: & charitatẽ nimiam, qua nos dilexit. Propter hoc enim auertit oculos suos à peccatis meis, quasi nolẽs aduertere quãtũ delinquerẽ. Propter hoc dissimulabat, vt commendaret patientiã suam: vt impleret electionem suã: vt confirmaret charitatẽ suã. De tertio quoq; pane tri⁹, scilicet misericor

In serm. 3 qui incip. Scitisquid fecerim.

diæ, qua cõuertit nos ad pœnitentiam, tria nõ tã fragmẽta quàm frusta vobis appono. Tunc enim si bene memini, concussit cor meũ excitãs illud, vt aduerteret suorũ vulnera peccatorũ, & vulnerũ sentiret dolorẽ. Etiam & terruit deducẽs ad portas inferi: & præparata iniquis supplicia mõstrãs. Et vt iã nihil noxiæ remaneret, delectationis meliorem mihi consolationem inspirans spem indulgentiæ dedit. In his tribus conuersus sum. Iã verò quartus panis, ipsa est indulgentia: huius diligẽter colligite fragmenta, ne pereãt. Sunt enim salubria valde & dulciora super mel & fauũ. Sic enim ex toto indulsit, & tam liberaliter omnem donauit iniuriã: vt iam nec damnet vlciscendo: nec confundat improperando, nec minus diligat imputãdo. Sunt enim aliqui sic donãres iniuriã, vt nõ vlciscãtur sæpius, tamen improperẽt. Sunt & alij, qui sileãt, licet tamẽ mẽte alta manet repositũ, & rancorem tenent in animo: quarũ vtiq; neutra plena indulgẽtia est. Lõgè ab his omnibus benignissima diuinitatis natura liberaliter agit ignoscit plenariè: ita vt propter fiduciã peccatorũ, sed pœnitẽtiũ: vbi abũdauit delictũ, soleat & gratia superabũdare. Continentia ipsa quintus panis, in qua tria nihilomin' inuenio. Scio quot habeat oppugnator

gnatores, & quantæ sit illã necesse esse virtutis, vt possit resistere talibus. Primus siquidem hostis continentiæ nostræ caro est aduersus spiritum concupiscens. Quam domestic' hostis, quã periculosa lucta, quàm intestinũ bellũ? Hostẽ hũc crudelissimum, nec fugere possum ô anima, nec fugare: circunferre illũ necesse est: quoniã alligat' est nobis, hostem nostrũ ipsi cogimur sustẽtare, perimere eum non licet. Veruntamen non est hic solus aduersarius mihi: aliũ adhuc habeo qui circunçinxit & obsedit me vndiq; Hostis iste est prẽsẽs seculũ nequã. Sufficere nimis poterant isti duo, sed heu me, ecce video ventum validum veniẽtem ab aquilone, à quo panditur omne malum. Ecce enim malleus vniuersæ terræ. Ecce serpens callidior cunctis animãtibus. Ecce inimicus ille, quẽ nec videre possum, quanto minus cauere? Est enim colluctatio seruare volentibus continentiã aduersus principes & potestates: aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Et quis est, qui iacula eorum ignea possit extinguere? Nũc quidem apertè & violenter: nũc occultè & fraudulenter: semper autẽ malitiosè & crudeliter impugnant & persequuntur nos. Et ad hæc toleranda ne dicam superanda, quis idoneus? Omninò in domino faciam'

hanc virtutē. Iam verò sexti panis fragmē ta accipite. Est aūt panis ille gratia promerendi bona, scilicet vitæ æternæ. Quā gratiā in tribus maximè cōstare arbitror in odio præteritorū malorū. & cōtemptu bonorum præsentiū: & desiderio futurorū. Septimus quoq; panis est spes obtinēdi, cuius nihilominus teneo fragmenta tria. Tria inquam sunt, quæ sic roborant & confirmāt cor meū: vt nulla me penuriā meritorū, nulla confideratio propriæ humilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis ab altitudine spei deiicere possit: in ea firmiter radicatum. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit. Charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Scio cui credidi, & certus sum: quia in charitate nimia adoptauit me: quia verax in promissione: quia potens in exhibitione: licet enim ei facere quod voluerit.

De sex obseruantiis seruorum Dei.

CAP. XI.

In quibus sententijs.

SEx sunt obseruantiæ seruis Dei propositæ, in quibus purificari debeant. Sunt autem istæ: Silentium, psalmodia, vigiliæ, ieiunium, opus manuum, carnis mūdicia. In obseruantia silentij purificamur à peccatis, quæ verbositate contraximus, cuius vitij

tij sunt octo species. Est enim verbum stultum, vanum, mendax, otiosum, dolosum, maledictum, impudicum, excusatorium. Quæ nimirum pestis de loquacitate nascitur, & per silentij cæsuram aut euertitur funditus, aut certè ne multùm noceat, reprimitur. In psalmodia fit duplex cōfessio, vbi & peccator de culpis compungitur: & Deo laudes super iudicia iustitiæ suæ dicuntur. In hac ergo obseruantia quisque qui rectè confitetur, purificatur ab immundo spiritu blasphemiæ, cui ante conuersionem subiacebat. Dum enim seipsum laudaret, ac Deum accusaret, quid aliud quàm blasphemus erat? Iam verò & confessus conuersus, canticisque diuinis instructus, correcta vita corrigit, & verba seque ipsum accusans, mala sua sibi reputat: Deum autem laudans, bonum quod in se videt, non sibi, sed illi applicat: & hoc totum agitur in psalmodia. Per psalmodiam accipe quicquid Deo agitur cum mentis melodia: siue sint psalmi, siue hymni, seu etiam quæcunque cantica. Tertiam obseruantiam posui superius vigilias: has semper debet comitari orationum instantia. Tales vigiliæ abluunt nos à sordibus, quas contraximus per somnolentiam resoluti: dum obliuione quadam via salutis intepuimus

ac torpuimus. Quarta obseruantia est ieiunium. De quo quis dubitet, an & ipsum purificet. Vera est illa sententia. Contrarijs curantur cõtraria. Si ergo peccauimus per gulam & ingluuiẽ, quid restat, nisi vt per abstinẽtiam reparemur? Nec solũm huius vitij sit per ieiunium purificatio, insuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur. Per segniciem quoque & ociositatem quæ inimica est animę multas cõtraximus sordes contra Dei sentẽtiam, in sudore vultus alieni non nostro pane vescentes. Propter hoc sequitur quinta obseruantia, quæ dicitur opus manuum: vt sordes illæ in laborem manuum diluantur. Restat vltima carnis mundicia In hac fit purificatio ab illa quinque partita corporis illecebra: visus, auditus, gustus, odoratus, tactus, & cætera quidem prædicta, id est silentium, psalmodia, vigiliæ, ieiunium, opus manuum exerceri sine ista possunt. Sed si lumbi præcincti non sunt, id est, si desit carnis mundicia, Lucernæ ardentes quid proderũt? Hinc ergo colligendum est, quàm sit necessaria huius sextæ obseruantiæ purificatio: quæ sola omnibus supradictis æquipollentẽ obtinet vim salutis. Et notandum, quòd in his omnibus obseruãtiis quatuor primas debemus nobis: quintam proximo, sextam

De

Deo. Nam silentium, psalmodiã, vigilias, ieiunium debet quisque exercere propter seipsum: hoc est, propter suam disciplinam. Opus manuum propter proximum, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Carnis mundiciam propter Deum, vt placeat illi, & eius voluntatem faciat.

De signis quibusdam, quæ ostendunt hominem esse de numero electorum.

CAP. XII.

QVis potest dicere, ego de electis sum: ego de prædestinatis ad vitã: ego de numero filiorũ: reclamãte nimirũm scriptura, nescit homo, an sit dignus amore an odio? Certitudinẽ vtique nõ habemus, sed spei fiducia cõsolatur nos: ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quędã, & iudicia manifesta salutis: vt indubitabile eũ esse de numero electorũ, in quo ea signa permanserint. Propter hoc inquã, quos præsciuit Deus, & prędestinauit cõformes fieri imagini filij sui, vt quibus certitudinẽ negat causa solicitudinis, fiduciã præstet gratia cõsolationis. Itaq; qui fiat, videat ne ca

In ser. 1. de septuages. qui incip. Magna mihi consolatio est.

dat: & in ea forma quæ salutis indicium est & argumentum prædistinationis perseueret atque proficiat. Porrò, inter ea quæ fiduciam præstant & materiam spei, vnum illud maximum est, verbum domini: qui ex Deo est, verba Dei audit. Nonnullos enim sic interdum audientes inuenies, ac si nihil ad eos pertineant, quæ dicuntur: non intrare cor suum: nou discutere mores suos: non cogitare, ne fortè quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si fortè sermo Dei viuus & efficax, qui suo & non eius, qui loquitur arbitrio, fertur vbicunque voluerit: si inquam, manifestè aduersus vitia illa processerit, quibus sese illi sentiũt obligatos: dissimulant & auertunt oculos cordis: aut qualibet adinuentione palliant vitia: & seducunt miseri semetipsos. In his ego salutis signa, non video, magis autem vereor, ne fortè propterea non audiant verbum Dei: quia non sunt ipsi ex Deo.

In oct. paschæ ser. 2. Est & aliud testimonium, quod in terra datur ad discernendos vtique, qui in ea exules sunt ab indigenis: hoc est, cæli ciues, à ciuibus Babylonis. Quando enim sine testimonio electos suos deserat Deus: Aut certè quænam eis esse poterat cõsolatio inter spem & metum, solicitudine anxia fluctuantibus: si nullum omnino electionis

suæ habere testimonium mererentur? Fide his proinde sermo, & omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Tres sunt (inquit) qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. In primo homine peccauimus omnes, in ipso etiam cecidimus vniuersi. Cecidimus sanè in carcerem, luto pariter & lapidibus plenum. Exinde iacebãmus captiui, inquinati, conquassati, donec venit desideratus gentium, qui nos redimeret, ablueret, adiuuaret. Hic est, qui sanguinem proprium dedit in redemptionem: aquam simul produxit de latere suo, in ablutionem emisit: deinde de excelso spiritum suum, qui adiuuaret infirmitatem nostram. Quis est autem, qui testimonium habet effusi sanguinis Christi, nisi q̃ continet à peccatis? Seruus enim peccati est, qui peccatum facit: vt si deinceps continere potuerit, & iugum abiicere miseræ seruitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio sanguis Christi. Verùm nõ sufficit peccatori continentia, si nõ adsit etiam pœnitẽtia. Habet ergo ab aqua testimoniũ, qui laborat in gemitu suo, lauans per singulas noctes lectum suum. Sanè nouum superueniisse spiritũ, certissimè noua cõuersatio testatur. Iam vt breuiter repetam, à sangui-

ne & aqua, & spiritu, habere est testimoniũ si contines à peccatis: si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.

De diuersis diebus spiritalibus.

CAP. XIII.

In ser. 3. de circuncisi. qui incip. In circũcisione domini. &c.

PAscitur homo, quãdo sol iustitiæ ortus in animo peccatorũ illuminat tenebras, horrendúmque iudicium Dei interius obtutibus offert: addens ad terroris vinculũ breuem dierum numerum, & finem incertum. Hæc planè vespera est, ad quam demorabitur fletus: & necesse est addi matutini lætitiam, vt auditam faciat misericordiã suam. Sic enim fit vespere & mane dies vnus. Est autem dies ista iustitiæ reddens cuiq; quod suum est: nobis miseriam, misericordiam Deo. In hac die puer nascitur, quãdo ex his quæ diximus, ad amorẽ pœnitẽtiæ, & odiũ peccati animus excitatur. Sed procedat iam necesse est prudentiæ radius: ostendat quãtas, & quàm importunas oportunitates & occasiones peccati offerat mundus & ingerat: quàm debilis sit ad illas humanus animus, maximè q in peccati cõsuetudine sit nutritus. In hac ergo die prudentiæ, eligat de presenti seculo nequam fugere. Sed non dum sufficit hoc. Fortè enim vult eligere solitudinem, nõ satis attendens propriam infirmit

firmitatem & periculosam diaboli luctam. Quid enim periculosius quàm solũ luctari contra antiquũ hostis versucias: à quo videatur, & quem videre non potsit? Itaque iam necessariam habet fortitudinis diem: vt noverit custodiendam ad dominum fortitudinem: & in acie multorũ pariter pugnãtium esse quærendã: vbi tot sunt auxiliarij quot socij. Congregatio enim pro formidine sua terribilis est: vt castrorum acies ordinata. Væ autem soli: quia si ceciderit, non habet subleuantem. Quod si cuiquam ex antiquis patribus gratiã hãc concessam audiuimus, non expedit temere se committere huic periculo: nec oportet tentare Deum. Verùm cùm elegit esse in congregatione multorũ, nunquid magister eligit esse: qui nondum discipulus fuit & docere, quod nunquã didicit? Et quomodo aut in se aut in aliis motus irrationabiles poterit temperare? Illucescat ergo dies temperantiæ, vt quærat quomodo temperari & refrænari possint incontinentes motus voluptatis: bestiales motus curiositatis: ceruicosi motus elationis suæ. Eligat abiectus esse in domo Dei sui & subiectus esse magistro: sub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ freno concupiscentia reprimatur. Sed iam tibi in ipsa obedientiæ via, aliqua fortasse dura

dura & aspera occurrere possunt: vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suauia videantur. Necesse est ergo, vt illucescat dies patientiæ per quam omnia dura & aspera tacita amplectaris conscientia. Porrò iam in hoc loco, cauendum tibi arbitror à superbia. Magnum enim est tibi omnino sic vincere temetipsum. Necesse est ergo, vt illuminet cor tuũ radius humilitatis, & declaret quid à te sit: quid à Deo, ne altum sapias: quoniam Deus superbis resistit: humilibus dat gratiam. Iam verò cùm in his diutius fueris exercitatus, roga dari tibi lumen deuotionis: diem serenissimam, & sabbatũ mentis: in quo tanquam emeritus miles in laboribus vniuersis viuas absque labore: vt quod prius cùm amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, decætero iam cũ summa dulcedine peragas & delectatione. Verũm ad hanc quidem perfectionem, pauci (ni fallor) perueniunt in hac vita. Multi enim in tota vita sua ad hoc tendunt, & nunquam pertendunt. Quibus tamen si piè & perseuerantes conati sunt, statim vt de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatorie est negatum. Illis verò, qui ad hanc deuotionis gratiã peruenerunt, vnum videtur restare periculum: & omnino timendum

mendum eis à dæmonio meridiano. Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit, nedum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, ac deinde necesse habeat non sine magno spiritalis exercitij detrimẽto circa debilitati corporis curam occupari. Ergo ne hæc incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis: quæ mater virtutum est & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis, atque hæc est octaua dies in qua circunciditur puer: quia discretio verè circuncidit, vt non plus nec minus fiat.

De diuersis saporibus.

CAP. XIIII.

Supercæt. sermo. 50.

ESt sapientia per quam vtique res sapiunt quæque prout sunt. Vt verbi gratia. Quæ pluris natura habet, pluris quoque ipsa affectio sentiat: minora minus, minima minimè. Si ergo tu diligas dominum Deum tuum toto corde, tota anima, tota virtute tua, & ipso diuino amore accepto in plenitudinem spiritus totus igne ſeas, sapit tibi profectò Deus: & si non dignè

gnè omnino prout est, quod vtique impossibile est omni creaturæ, certè prout tuú sapere est. Deinde sapiès & ipse tu tibi prout es: cùm te senseris nihil habere prorsus vnde te ames: nisi inquãtũ Dei es: quippe qui totum vnde amas, in illũ effuderis. Sapies inquam tibi prout es: cum ipso experimento amoris tui & affectionis, quam ad teipsum habebis, nihil dignum esse te inuenies: quod vel à teipso amteur, nisi propter ipsum qui sine ipso es nihil. Iam verò proximus, quem te oportet diligere tanquam teipsum, vt tibi & ipse sapiat prout est: haud aliud profecto sapiet quã tu tibi: qui id est quòd tu: est enim homo. Qui itáque te non diligis, nisi quia diligis Deum. consequenter omnes qui similiter diligunt Deum, diligis tanquam teipsum. Porrò inimicũ hominem, quoniã nihil est pro eo, quòd non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis: diliges tamen vt diligat. Non est autem idipsum diligere, vt diligat: & diligere quia diligit. Proinde vt tibi & ipse sapiat prout est: sapiet tibi, non quidem quod est, quia vtique nihil est: sed quod futurus forsitan est: quod est prope nihili: quippe quod adhuc pendet sub dubio. Et enim de quo constat, quòd ad amorem Dei non sit deinceps redditurus, sapiat tibi necesse est: non propè iam nihili, sed nihil i ex toto: vt pote quod in æternum nihili est.

De diuersis generibus spirituum.

CAP. XV.

QVia spirituum diuersa sunt genera, ne cessaria est nobis eorum discretio: præsertim cùm ab apostolo didicerimus, non omni spiritui esse credendum. Videri enim potest minus eruditis: & qui parum exercitatos habent sensus: omnem cogitationem non alterius quàm ipsius humani spiritus esse sermonem. Quod non ita esse, & certa fidei virtus probat: & diuinarum testimonia scripturarum. Audiam (inquit propheta) nunquid ego loquar, sed quid loquitur in me dominus Deus. Et alius propheta. Angelus (inquit) qui loquebatur in me & cætera. Et in psalmo didicimus fieri immissionem, etiam per angelos malos. Esse tamen spiritum carnis non bonum. manifestè Paulus Apostolus indicat: vbi inflatos spiritu carnis suæ quosdam esse testatur. Et esse spiritum huius mundi declarat, vbi gloriatur in domino

In ser. de septẽ spiritibus, qui incip. Magister gestum.

mino pro se pariter & pro discipulis suis, quòd nō eum acceperint, sed spiritum qui à Deo est. Sunt ergo hi duo satellites malignii illius principis tenebrarum, vt dominetur spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui huius mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur, ne credamus ei, quoniam sanguinē sitiunt, non quidem corporum, sed quod grauius est animarum. Sed quoniam spiritualis omnium natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos: & quis spiritus sit, qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia: semper mundi vana, spiritus maliciæ semper amara loquitur. Quoties ergo importunè, vt assolet, carnalis cogitatio mentem pulsat (verbi gratia) cum de cibo, de potu, de sommo cæteris que similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, inhumano quodam inardescimus desiderio, certum sit nobis spiritum carnis esse qui loquitur & tanquam aduersarium repellamus. Cùm autem non de illecebris carnis: sed de ambitione seculi, de iactantia, de arrogantia, cæterisque similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris: spiritus mundi est qui loquitur, longè pernitiosior hostis & maiori solicitudine repellendus.

Interd

Interdum verò satellitibus ipsis terga vertentibus, princeps ipse habens iram magnā tanquam leo rugiēs, insurgit aduersus nos. Cùm videlicet non ad voluptatem carnis, aut seculi vanitatem: sed ad iram, ad impatientiam, ad inuidiam, ad amaritudinē animum prouocamus importunè ingerēdo: siquid minus amicabiliter, minusve discretè factum videtur aut dictum: si qua denique aut in signo, aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio materia suspicionis. Huic ergo cogitationi non aliter quam ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea quam ab ipsa proditione cauēdū. Sed huius spiritus astutias nosse, necesse est: huius cogitationem nō expedit ignorare. Interdum enim trāsfigurat se malignus ille & nequā spiritus in angelum lucis, vt virtutis simulatione plus noceat. Sed & tūc quoque si diligēter aduertimus, nunquam nisi amaritudinis & discordiæ seminaria spargit. Suadet enim nonnullis singularia ieiunia quædam, vnde cæteri scandalizentur: non quia diligat ieiunium, sed quia scandalo delectetur. Multa quoq; in hunc modum solet asserre. Fit tamen aliquādo, vt spiritus noster à quolibet horum trium crebrò superatus, & seruus addictus illi, heu in suam ipsius perniciem vices illius

In ser. de vtil. verbi Dei.

In ser. de septē spiritibus. vbi suprà.

agat: vt iam sine omni alterius spiritus suggestione, ipsa ex se anima, aut voluptuosas, aut vanas, aut amaras parat cogitationes. Iam verò facilè non arbitror posse discerni, quando noster ipse loquitur spiritus: quandóve loquentem alterum audiat quemlibet è tribus illis. Sed quid refert quicunque loquatur, dum vnum & idem sit, quod loquuntur? Quid refert loquentis nosse personam, dum constet periculosum esse quod loquitur? Si inimicus est, resistere viriliter inimico? Si tuus ipse spiritus est, argue eum: & miserabiliter plange, quòd in tantam miseriam & tam miserabilem deuenerit seruitutem. Quotiens verò super castigando corpore, humiliando corde, seruanda veritate, & charitate fratribus exhibenda: seu cæteris virtutibus acquirendis, conseruandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur: diuinus sine dubio spiritus est qui loquitur: aut per seipsum sanè, aut per angelum suum. Et quemadmodum de humano atque maligno spiritu dictum est: sic de angelico atque diuino: nec facilè est quis loquatur discernere, nec ignorare periculosum: præsertim cùm certum sit angelum bonum nunquam loqui à semetipso: sed Deum esse qui loquitur in ipso.

De

De diuersis operationibus vocis diuinæ intus in anima.

CAP. XVI.

COgitatio salubris non aliter quàm diuinæ dignationis sermo suscipi debet. Beati enim qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Vultis nosse quàm beati? Primò quidem sonans in auribus animæ vox diuina, conturbat, terret, diiudicátq; sed continuò si bene aduertis, viuificat: liquefacit, & calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & confirmatio, & medicina, & requies: resurrectio quoque & consummatio nostra. Nec mireris, quòd verbum Dei iam nunc inueniatur, omnia in omnibus esse quantum spectat ad iustificationem: siquidem & futurum est omnia in omnibus ad glorificationem. Audiat illud peccator, & conturbabitur venter eius à voce illa, carnalis anima contremiscet omnia nanque cordis secreta rimatur, atq; diiudicat sermo viuus & efficax cordium, ac cogitationũ perscrutator. Vnde & licet mortuus in peccato, si audieris vocẽ filij Dei, viues. Sermo enim quem loquitur, spi-

In ser. de vtilit. verbi Dei.

ritus & vita est. Si cor tuum induratum est, memento scripturæ dicentis. Emittet verbum suum & liquefaciet ea. Si tepidus es,& euomi iam formidas, non discedas ab eloquio domini, & inflammabit te: quia eloquium eius ignitum valde. Quòd si tenebras ignorantiæ plangis,diligenter audi quid loquatur in te dominus Deus: & erit lucerna pedibus tuis verbum domini, & lumen semitis tuis. Ac fortassè tantò amplius doles,quantò clarius peccata etiã minima illuminatus agnoscis. Sed sanctificabit te in veritate pater, quæ est vtique sermo eius. Iam verò cùm laueris manus tuas, ecce parauit in conspectu tuo mensam: vt non de solo pane viuas, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei: & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum eius. Vbi si consistunt aduersum te castra & prælium tentationis insurgit, arripe gladium spiritus quod est verbum Dei, & in eo facilè triumphabis. Quòd si fortè, vt est certaminis consuetudo, contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum & sanabit te, & eripiet de interitionibus tuis. Sed etsi titubas adhuc, in verbis suis confirmabit te. In his atque huiusmodi perseuera in talibus iugiter exercere: donec iam dicat spiritus vt requiescas à

lab

laboribus tuis. In hoc verbo quiesces dulciter, ac suauiter soporaberis, donec veniat hora. Veniat cùm omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius & procedent. Sed quo? Alij quidem in iudicium: alij verò in vitam. Et quis scit,si est dignus amore an odio? Et tunc ab auditione malà non timeam domine: sed beata magis auditio perducat ad visionem cùm dices. Venite benedicti patris mei,percipite, &c.

De *diuersis Dei nominibus.*

CAP. XVII.

VT diuersis nominibus Deum nunc quidem patrem,nunc magistrum vocemus, aut dominum, non illius simplicissimæ & omnino inuariabilis naturæ diuersitas vlla in causa est: sed affectionum nostrarum multiplex variatio secundum diuersos profectus animæ vel defectus. Videntur enim quædam animæ sub patrefamilias agere, quædam sub domino, quædã sub magistro,quædam quoque sub patre: & nonnullæ sub sponso, vt cum proficientibus proficere, cum immutatis mutari videatur & ipse: licet idem ipse sit: & anni eius non deficiãt. Primus status est,quo sub Deo cœ- *In quibus dictis.*

perunt esse homines: qui tanquã mercẽnarij sub patrefamiliâs viuunt, quorũ secularis & mercennaria intentio. Hi sunt quos in seculo videmus, aut nullo, aut exiguo desiderio æternorum: velut sub mercede seruire Deo & ab eo terrena petere, quæ desiderant. Iam verò secundo statu incipit esse sub domino, qui tanquã seruus carcerẽ timet: & metuit ne subigatur pœnis. In quo sanè statu cõuersio est, exitúsq; à seculo, & introitus vitę Huic gradui tertius admodum proximus & quasi permistus est: eorum scilicet, qui paruuli adhuc in Christo lac concupiscunt: tanquã sub magistro & pedagogo viuentes: qui prouidẽt dominum in conspectu suo semper: nec iam seruiliter timent supplicia: sed tanquam paruuli metuunt plagas virgarum, apprehendentes disciplinam magistri: ne quãdo irascatur & pereãt de via iusta: ne deuotionis gratia subtrahatur: & molesta eis omnia fiant laborent tædio quodam: & quasi vapulent intus in anima in amaritudine, scilicet cogitationum Hæc enim sunt verbera, quibus castigat paruulos suos Deus. In his itaque primordiis & quasi infantili ætate: sic vicissim sibi accedunt timor domini & disciplina magistri: vt nunc in isto, nunc in illo sese inueniat quisquis sollicitus fuerit

fuerit diligenter hoc obseruare. Status filij iam robustæ ætatis est, qui sub patre viuit: nec lacte iam potatur vel vescitur: sed solido cibo oblitus, sanè quæ retrò sunt. in quibus seruilis oculus in amaritudine morabatur. Sed ne ipsa quidem præsentia, considerans, nec paruas paruulorum consolationes captans, magis autem extendens se in anteriora ad palmam supernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis: expectant beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei. Euacuauit enim, quæ erant paruuli: & qui iam profecit in virum perfectum: in his quæ patris sunt, oportet eum esse: suspirare ad hæreditatem, sedulóque circa eam meditatione versari. Nunquid enim mercennarium eum quis æstimet, qui paternæ inhiet hæreditati: eámque toto affectu expetit & expectat? Inuenitur tamen alter gradus sublimior: & effectus dignior isto, cùm penitus castificato corde, nihil aliud desiderat anima: nihil à Deo quærit quàm ipsum Deum. Crebrò siquidem didicit experimẽto, quàm bonus dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum. Neque enim suum aliquid non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam priuato suiipsius amore desiderat anima

quæ eiusmodi est, sed tota pergit in Deū. Vnicuique ei ad perfectum desiderium est, vt introducat eam rex in cubiculum suum: vt ipsi adhæreat, ipso fruatur. Vnde & iugiter reuelata facie, quoad potest, cælestis sponsi gloriam speculando: in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam domini spiritus.

De diuersis saporibus Dei.

CAP. XVIII.

DEus, licet vnus sit, & vnum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione gustātibus nobis, diuersos videtur habere sapores. Sapit enim timenti iustitiā & potentiam: sapit amanti bonitatem & misericordiam. At is penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. Discat quantum vult: ego sapientem non dixerim, dum nec timet, nec diligit dominum. Quomodo enim dixerim in sapiētia consummatum, quem video nec initiatū? Nā initium sapiētiæ timor domini: cōsummatio, amor: media sibi vendicat spes. Cui ergo nec iustitiā sapit Deus per timorē, nec misericordiam per amorem: is planè dicit in corde suo, non est Deus. Deum enim nō putat, quem nec iustum, nec pium reputat.

De

De diuersis modis, quibus filius se habet ad patrem.

CAP. XIX.

COmmendant nobis sacræ literæ Christum dominū: & ex patre, & in patre, & cum patre, & pro patre, etiam & sub patre. Quod dicitur ex patre, ineffabilis est natiuitas: quod in patre, consubstantialis vnitas: quod cum patre, æqualitas maiestatis. Sane etiam tria hæc ab æterno. Cæterum si ex patre nascens, quid in patre, aut cū patre? Non incongruè forsitan in patre cubans, cū patre sedes dicatur. Et audite confessus huius, & huius acubitus rationem. Sicut enim sessio maiestatem, sic confessio æqualitatem exprimit maiestatis: præsertim cùm sit ei sedes à dextris patris: non sanè sub pedibus vel quasi à tergo. Et sedere quidem, iam quiescere est: sed iacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodo dulcius esse videbitur filio, quòd in patre est, an quod cū patre omnibus præest? In quo putas horū summa illa pax Dei, quę exuperat omnem sensum: & singularis tequies domini competētius assignetur? Etsi dignè satis ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan piè concipitur: vt salua qui-

In ser. Slt. de visione Isaiæ.

dem in omnibus illius indiuisibilis simplicitate essentiæ: inter gloriæ æqualitatē, & substantiæ vnitatem: velut similitudo quædam ei, quæ inter concessum & accubitum est, cogitari posse distinctio videatur. Iam verò quod dicitur à patre ambulantē significat, & ad incarnationis eius spectat aduentum. In terris nimirū visus, & cum hominibus conuersatus, medius nostrum quem nesciebamus, stetit. Verus quidem est Emanuel nobiscum Deus: nobiscum stans: sed pro patre. Quòd enim nobiscum stetit, adiutorium quòd pro patre stetit, velum designat. Paternam nempe quærebat in omnibus gloriam, cuius & venerat facere voluntatem. Cæterum si pendentem consideres, si Christū & hunc crucifixum attēdas, vbi maximè euidentissimèque eum sub patre reperies: hoc propriè & specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatē. Dicere ne audebimus, quòd aliquando etiam fuerit sine patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? quasi quædā ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio: nulla maiestatis ostēsio. Habemus itaque Christū Iesum ex patre nascentē, in patre cubantem, cum patre sedentem, à patre ambulantem, pro patre stantem, sub patre pendentem, sine patre quodammodo morientem.

Quòd pater & filius, & spiritussanctus, & sancti & angeli desiderant nostram consummationem.

CAP. XX.

MArtyres cùm iudicij diem postularēt, non tanquam vindictę cupidi, sed perfectionem desiderātes beatitudinis, quam tunc habituri sunt, acceperunt diuinū responsum. Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorū. Acceperunt iam quidem singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadia tenemus & obsides ipsa eorum corpora: sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. O si cognosceremus, quomodo aduentum nostrum expectant, quantum desiderant, quàm sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis. Quid tantum de his loquor, qui didicerunt ex his, quæ passi sunt compassionem, quando & ipsi nos angeli sancti desiderant? Nonne de vermiculis istis, & de puluere isto reflaurandi sunt muri cælestis Hierusalem

In ser. 2. de vigilia domini.

O Iuda.

salem? Putatis quantum desiderant ciues cælestes instaurari ciuitatis suæ ruinas? Quomodo soliciti sunt, vt veniant lapides viui, qui coædificentur eis? Quomodo discurrunt medij inter nos & Deum, fideliſsimè deportantes ad eum gemitus noſtros, & ipſius nobis gratiam deuotiſsimè reportantes? Planè non dedignabuntur, vt ſimus eorum ſocij: quorum facti ſunt iam miniſtri. Exultare fecimus angelos quando conuerſi ſumus ad pœnitentiam: proficiamus & feſtinemus complere de nobis eorum lętitiam. Væ tibi quicunq; es, qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitũ. Putas ne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam ſeparato priuari vis gaudio? Non ſolùm angeli, ſed & ipſe angelorum nos creator expectat. Expectat nos pater & deſiderat non ſolùm propter nimiam charitatẽ, qua dilexit nos, ſed propter ſemetipſum. Nam de filio quis neſciat, quantum deſideret fructum natiuitatis ſuæ, & totius vitæ quam geſsit in carne: denique fructum crucis & mortis ſuæ, pretium ſanguinis pretioſi? Nonne enim traditurus eſt Deo & patri regnum, quod acquiſiuit? Nonne ei reſtauraturus eſt creaturas ſuas, pro quibus illum pater miſit in terris? Expectat nos & ſpiritus ſanctus. Eſt enim charitas & benignitas

gnitas, in qua prædeſtinati ſumus ab æterno: nec dubium, quin prædeſtinationem ſuam velit impleri. Ergo quia omnis nos curiæ cælestis frequentia deſiderat, & expetit, & expectat, curramus nõ quaſi in incertum curramus deſideriis & profectu virtutum. Hæc interim ſit conſolatio noſtra, donec egrediamur, vt dominus ſit nobiſcum.

Quod animæ ſanctorum deſiderant corpora ſua.

CAP. XXI.

In libr. de diligendo Deum.

QVoniam ſcriptura loquitur Deum omnia feciſſe propter ſemetipſum, erit profectò vt factura ſeſe quãdoq; cõformet & concordet authori. Oportet proinde in eundem nos affectum, quandoq; tranſire: vt quomodo Deus omnia eſſe voluit propter ſemetipſũ: ſic nos quoq; nec noſipſos, nec aliud aliquid fuiſſe vel eſſe velimus, niſi æquè propter ipſum ob ſolam videlicet ipſius voluntatem, non noſtram voluptatem. Delectabit ſanè nõ tam noſtra vel ſopita neceſsitas, vel ſortita felicitas, quã quòd ei in nobis, & de nobis volũtas adimpleta videbitur. Quomodo ſtilla aquæ modica multo in fuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum ſaporem vini induit & colorem:

rem: & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimú sit, pristina propriaq; exuta forma: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionē quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atq; in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine de homine quicquam superetit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliáq; potentia. Sed si animæ sanctorum iam solutæ corporibus velint sua corpora recepisse aut certè recipere desiderent, & sperent: liquet proculdubio necdum à seipsis penitus immutatas, quibus constat, nec dum penitus deesse de proprio quo vel modice intentio reflectatur. Donec ergo absorpta sit mors in victoria, & noctis vndiq; terminos lux perennis inuadat, & occupet vsquequaq;: quatenus in corporib⁹ gloria cęlestis effulgeat, non possunt animæ ex toto seipsas exponere & transire in Deum: nimirum: ligatæ corporibus etiam tunc, & si nō vita vel sensu certè affectu naturali: ita vt absq; his nec velint, nec valeant consummari. Ergo absque profectu animæ, nec ponitur corpus, nec resumitur. Nec mirum, si corpus iam gloriæ conferre videtur spiritui: quod & infirmum & mortale constat ipsi non

non mediocriter valuisse. Valet Deum diligenti animæ corpus suum infirmum: valet, & mortuum, valet resuscitatum. Primò quidem ad fructum pœnitentis: secundò ad requiem: postremò ad consummationem. Merito sine illo perfici nō vult, quòd in omni statu in bonū sibi subseruire persentit. Bonus planè fidúsq; comes caro spiritui bono: quæ ipsum aut si onerat, iuuat: aut si non iuuat, exonerat: aut si iuuat, minimè exonerat. Prim⁹ status laboriosus, sed fructuosus, secundus otiosus, sed minimè fastidiosus, tertius & gloriosus.

De diuersis impletionibus corporis & animæ in futuro.

CAP. XXII.

COnstat animarum triplicem esse naturam: vnde & sapientes mundi huius animam humanam rationabilem, irascibilem, concupiscibilē esse tradiderunt. Quā vtiq; triplicem vim animæ, ipsa quoq; natura & quotidiana experimenta nos docēt. Porrò, quemadmodum circa rationale nostrum & scientia & ignorantia constat tanquam habitus & priuatio: sic & circa concupiscibile desiderium & contemptus, & circa id quod dicitur irascibile, & lætitia pariter

In ser. de oibus sanc. qui incip. Cū de aduent. ser. 4

pariter & ira versatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ: ita vt penitus nihil desit in vlla scientia. Implebit concupiscibile nostrum fonte iustitiæ: vt omnino desideremus eam, & ea penitus repleamur. Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ: nulla alia præter iustitiam beatificare animam potest. Cùm ergo repleuerit Deus concupiscibile nostrum iustitia, quicquid respuere debet anima, respuet: quicquid debet concupiscere, concupiscet: & ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Merito denique concupiscibili nostro iustitiam attribuimus: ex quo nimirum aut iusti aut iniusti reputamur. Iam verò quod dicitur in nobis concupiscibile. cùm repleuerit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas: & in summam iocunditatem atque lætitiam replebitur pace diuina. Et vide si non his tribus perfecta quantum sanè ad animam spectat beatitudo consistit: quando scientia iam non inflat propter iustitiam, iam non contristat propter lætitiam, vt cesset prouerbium illud: qui apponit scientiam, apponit & dolorē: quādo iustitiam nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiam: quādo lætitia nec suspecta erit propter scientiam,

nec impura propter iustitiam. Sed in his omnib⁹ nihil adhuc exterior homo noster accepit. Ipsi ergo vt inhabitet gloria, etiam in terra nostra quatuor sunt quærenda: quem nimirum constat ex clementiis quatuor esse compactum. Nec mireris, quòd pluribus indigere videtur, qui miserior est. Habeat ergo terra nostra immortalitatem: nec iam denuo timeat se in puluerem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Sed quid proderit, si fortè contingat in æternum viuere in miseriis & erumnis passibilitatis huius: qua nimirum incessanter corpus hoc corruptibile affligitur: & si non semel vtiq; semper moritur? Habeat certè etiam aqua omnimodam impassibilitatem. Ab humoribus enim inordinatis causas aiunt procedere passionum. Sed iam desiderat corpus nostrum etiam leuitatem: secundum eam nimirum quam habet ex aëre portionem. Tanta itaque futura credenda est corporū leuitas & agilitas beatorum, vt possint si velint absque omni mora seu difficultate, ipsam quoq; cogitationum nostrarū sequi ad omnia velocitatem. Quid vltrà deest ad perfectam corporis beatitudinē? Sola vtiq; pulchritudo. Hanc perfectissimā habituri

non immerito possumus attribuere ei parti, quam habemus ab igne. Saluatorem enim expectamus (vt ait apostolus) qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, exhibens quod pollicitus est: quoniam fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris eorum. Sic ergo replebit animas nostras Deus, cùm perfecta in eis scientia fuerit: perfecta iustitia, perfecta lætitia. Sic replebitur maiestate eius omnis terra nostra, cùm fuerit corpus immortale, impassibile, agile, configuratum deniq; corpori claritatis suæ.

Finis libri decimi.

AMPLISSIMAE LAVDES DE BEATISSIMA virgine Dei genitrice, per D. Bernardum, Abbatem Clarenal.

De dignitate & excellentia beatæ Mariæ virginis.

NOn est quod me magis delectet, non est quod terreat magis, quàm de gloria virginis matris habere sermonem. Vt enim fileam, interim ineffabile priuilegium meritorum & prærogatiuam penitus singularem, tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorãt, suscipiunt, vt dignum est vniuersi, vt licet, de ea loqui, gestiant omnes. Tamen quicquid dicitur de indicibili eoipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. Quæ nam poterit lingua, etiam si angelica sit, dignis extollere laudibus virginem matrem: matrẽ autem non cuiuscunque, sed Dei? Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat cõparari? quæ digna fuit spiritussancti sacrarium fieri & habitaculum filij Dei? Nec in mundo locus dignior virginalis vteri

In ser. de assumpti. eiusdem. serm. 4.

vbi suprà. serm. 1.

templo, in quo Dei filium Maria suscepit: nec in cælis regali solio quo Mariam Matiæ filius sublimauit. Quantum enim gratiæ in terris est adepta præ cæteris, tantum & in cælis gloriæ obtinet singularis. Et quod mireris in Maria, scilicet cum virginitate fœcunditas, à seculo non est auditum, vt aliqua simul & mater esset & virgo. O si & cuius mater attendas: quo te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne tuo, imò veritatis iudicio illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur angelorum? Virgo vtique sancta, virgo sobria, virgo deuota Maria. Ex regalibus orta, ex semine Abrahæ, generosa, ex stirpe Dauid, diuinitus concessa, cælitus repromissa, misticis præfigurata miraculis, oraculis prænunciata propheticis, virginitatis primiceria, sine corruptione fœcúda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, sola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena. Si rerum pretia de raritate pēsamus, nihil his potest carius inueniri. Siquidem in omnibus his, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. In Maria coruscat mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas crudelitatis, martyrium

Super mis sus est. Ho milia.

In 1. ser. de verbis apo cal. beati Ioan. qui sucipit. Signū appa.

rium cordis. O admirandum & omni honore dignissimā virginem: virginē carne, virginem mente, virginem professione. O fœminā singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentū reparatricem, posterorum viuificatricē. Verè sancta corpore & spiritu & integritatē carnis habens & propositum integritatis. Virginitatis decus cum munere fœcúditatis, humilitatis insigne, distillantem claritatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinē gratiæ, prærogatiuam gloriæ singularis. Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidē singularis virginitas quam non temerauit, sed honorauit fœcunditas. Et nihilominus specialis humilitas quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas. Et incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur & humilitas. His nimirum virgo regia gemmis ornata virtutum, geminóq; mentis & corporis decore præfulgida: specie sua & pulchritudine sua in cælestibus cognita: cæli ciuium in se prouocauit aspectus: ita vt & regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cælestem nunciū ad se de supernis educeret.

Super mis sus est. Ho milia. 2.

In serm. de nat. beatæ Mariæ.

Super Mis sus est. Ho milia. 4.

Sup. Mis sus est. Ho milia. 1.

vbi suprà. Hom. 2.

Fer. 4. ser. de nat. Super Missus est. Homilia 3.

Beata Maria sola inter mulieres, benedicta: sola à generali maledicto libera, & dolore parturientium alienа. Virgo fœcunda, casta, puerpera, matercuncta, ab angelo benedicta: & à cunctis generationibus terræ merito beata prædicaris. Inueniſti qđ quærebas: inueniſti quod nemo ante te potuit inuenire: inueniſti vbi *supra*, gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei *Homil. 4.* & hominum pacem, mortis deſtructionẽ, vitę reparationem. Tu illa promiſſa, illa expectata, illa deſiderata, in qua & per quam Deus ante ſecula diſpoſuit ſalutem operari in medio terrę. Plena & gratiarum, plena rore cęleſti, innixa ſuper delicium, deliciis affluens, puella prælecta & *In ſerm. de verb. Apocal. beati Ioan.* præparata altiſsimi filio. Quàm familiaris Deo facta es domina. Quàm proxima, imò quàm intima? Quantam inueniſti gloriam apud Deum? Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam ſingularem: *De annun. Mariæ ſer. 3.* nam ſola omnibus gratiam inueniſti. Singulariter quidem fructus ventris tui ad omnium mentes te mediante peruenit. In te nimirum ſola rex ille, dies & prædies exinanitur, excelſus humiliatur immenſus abbre

abbreuiatur, & abangelis minoratur: verus denique Deus & Dei filius incarnatur. Sed quo fructu? Nempe vt omnes eius paupertate locupletemur: eius humilitate ſubleuemur: eius minoratione magnificemur: eius incarnatione adhærentes Deo, incipiamus vnus ſpiritus eſſe cum eo.

O virgo prudens, ô virgo deuota, quis te docuit Deo placere virginitate? Quæ lex? quæ iuſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti vel præcepit, vel conſuluit vel, impulit: in carne non carnaliter viuere. & in terris angelicam ducere vitam? Nec præceptum, nec conſilium, nec exemplum habuiſti. Vnctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei viuus & efficax, ante tibi factus eſt magiſter quàm filius: prius inſtruxit mentem quàm induit carnem. *Super Miſſus eſt. Homilia 3.*

O virgo virga ſublimis, O verè cæleſtis planta precioſior cunctis. ſanctior vniuerſis. O verè lignum vitæ, quod ſolum fuit dignum portare fructum ſalutis. Per te acceſſum habemus ad filium. O benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis vt per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam corruptionis noſtræ: & humilitas Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati: copioſa charitas *De aduentu, ſer. 3.*

tua, nostrorũ cooperiat multitudinem peccatorum: & fœcunditas glorieſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, aduocata noſtra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo nos filio repræſenta. Fac ô benedicta, per gratiã quam inueniſti, per prærogatiuam quam meruiſti, per miſericordiam quam peperiſti: vt qui mediante te fieri dignatus eſt, particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis ſuæ.

De pietate & miſericordia eiuſdem beatiſſimæ Virginis.

In ſerm de verbis Apocalyp. beati Ioan.

QVid ad Mariã trepidet humana fragilitas? Nihil in ea auſterum, nihil terribile, tota ſuauis eſt, plena pietatis, plena gratiæ, plena manſuetudinis & miſericordiæ. Affectu compatiẽdi & ſubueniendi abundat, effectu inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Denique omnibus omnia facta eſt: omnibus miſericordiæ ſinum aperit: vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam. denique

denique tota trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius. Omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clemẽtiſſimam præbet, omnium denique neceſsitates ampliſſimo quodam miſeretur affectu.

Ad Mariam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcanum Dei, ſicut ad rerum cauſas, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt: & qui in cælo habitant, & qui habitant in inferno, & qui nos præceſſerunt: & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum: & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo vt teſarciantur, & qui in inferno vt eripiantur, qui præceſſerunt, vt prophetæ fideles inueniantur: qui ſequuntur, vt glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes genitrix Dei, domina mundi, cæli regina, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim angeli lætitiam, iuſti gloriam, peccatores veniam inueniunt inæternũ. Merito in te reſpiciũt oculi tòtius creaturæ: quia per te, & in te, & de te, benigna manus omnipotentis quicquid creauerat, recreauit. *De pentecoſt. ſer. 2.* *Super Miſſus eſt. Homilia. 4.*

Meritò quidem ex ore tuo pendet conſolatio miſerorũ: redẽptio captiuorũ, liberatio dãnatorũ, ſalus denique vniuerſorum. *De aſſum. beatæ Mariæ ſer. 4.*

Sileat miſericordiam tuam virgo beata,

si quis est, qui inuocatam eam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cęteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobismetipsis. Laudamus virginitatem, humilitatę miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius: hanc amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hæc est enim quę totius mundi reparationem obtinuit: saluté omnium impetrauit, ciuitatis supernæ inuenit restaurationem: & sedentibus in tenebris & vmbra mortis obtinuit redemptionem: Per te enim cælum impletum est: infernus euacuatus, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem expectantibus miseris vita perdita data. Sit igitur pietatis tuæ virgo benedicta, ipsam quam apud Deum inuenisti gratiã notam, facere mundo: reis veniã, medelam ęgris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium & liberationem, sanctis tuis precibus obtinendo. Dulcissimum quoq; nomen Mariæ inuocãtibus seruulis per te regina clemens gratiæ suæ munera largiatur Iesus Christus filius tuus Deus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula sęculorum.

De

De ineffabili conceptu & admirabili partu ipsius.

In ser. 1. de assump.

QVis explicare queat, quemadmodũ superuenięte spritu obobumbrante virtute altissimi, caro factum sit verbum Dei, & dominus maiestatis: quem non capit vniuersitas creaturæ intra virginea sese clausserit viscera factus homo?

De annunciat. dom. sermo. 2.

Abyssus planè imperscruptabilis incarnationis dominicæ sacramentum. Quis enim vestiget, quis attingat, quis apprehendat? Iniungitur noua legatio angelo Gabrieli, & nouam virga professa virtutem, nouæ salutationis honoratur obsequio. Impletur per gratiam, quæ cõcupiscentiam nescit: vt spiritu superuenięte altissimo pariat filiũ, quę virum dedignatur admittere.

In vigi. nat. virgi. ser. 4.

Intuere obsecro, quale sit istud: quàm nouum, quàm admirabile, quàm amabile, quàm iocũdũ. Quid enim pulchrius quàm generatio casta: quid glorioſius quàm sancta & syncera conceptio, in qua nihil est pudoris, nihil sordis, nihil corruptionis?

In 2. ser. pentecost.

Substantialiter enim vtero virginis illa ipsus, de spiritu sãcto cõceptus est Christus.

In vig. nat. virgi. ser. 4.

O verè noua miracula, cõceptus fuit sine pudore, partus sine dolore, mater sine corruptione. O verè nouitas inaudita: virgo peperit,

peperit, & post partum inuiolata permãsit. Fœcunditatem prolis cum carnis integritate: & gaudium matris habens cum virginitatis honore. Mater est sine corruptione virginitatis: filius sine omni labe peccati. Qui generat, mater & virgo est: qui generatur, Deus & homo est.

vbi suprà. serm. 1. O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non referas, sed consecrans virginalis vteri templum. O natiuitas supra naturam illibata sanctitate: honorabilis mundo, amabilis hominibus, inuestigabilis angelis, omnibus admirabilis. Angelus nunciat, virtus obumbrat, superuenit spiritus, virgo credit, fide concipit virgo, parturit virgo, manet virgo, quis non miretur? Nascitur altissimi filius, Deus de Deo, genitus ante secula. Nascitur denique verbum infans: quis vel satis miretur? In conceptu partúque virginali noua ac mira profectò inspicit, qui diligenter inquirit. Porrò ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plena. Ibi agnoscitur lux nõ lucẽs, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriẽs: Videas, si attendas potẽtiam regi, sapientiam instrui, virtutem substentari. Deum lactentem, sed angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem.

Super missus est. Homilia. 2.

Videas,

Videas, si attendas tristari, lætitiã, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.

Quòd quicquid gratiæ in nobis est mediante Virgine habemus.

In serm. de nat. eiusdem virg. de aquæductu. REdempturus Deus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam. Vt quid hoc? Vt saluaretur mater per filiũ, & querela viri deinceps aduersus fœminam sopiretur. Ne dixeris ô Adam, mulier quam dedisti mihi, cibauit me fructu vetito. Dic potius, mulier quam dedisti mihi cibauit me fructu benedicto. Altius ergo intuemini fratres, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, ab ea nouerimus redundare. Totis ergo medullis cordium præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.

riam, Hæc inquam, volũtas eius est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris tentationem nostram so latur, fidem excitat, spem roborat, diffiden tiam abigit, erigit pusilanimitatem.

De aduen tu. fer. 2. Virgo regia est via, per quam ad nos sal uator aduenit: procedens ex eius vtero tan quam sponsus de thalamo. Tenentes etgo viam, studeamus & nos per eam ad ipsum ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam aduenit. Suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia percunctabit: tanquam iudicis mater & ma ter misericordiæ. Curandum nobis summoperè est, ne verbum quod de ore patris ad nos egressum est, virginei mediante vacuum reuertatur, sed per eandem nihilominus virginem, gratiam pro gratia referamus. Suæ reddantur origini fluenta gratiæ: vt liberius fluant: alioquin nisi ad fontem redeant, exiccantur, & infideles in modico quod maximum est, accipere nõ meremur. Quæramus gratiam, & per Mariam, quæramus: quia qui quærit, inuenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Aduocatum vis habere ad Christum? ad Mariam recurre, exaudiet vtique matrem

matrem filius. Cęterùm, quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ cõmendare memento, si nõ vis sustinere repulsam. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est: hæc tota ratio spei meæ. Dico vobis, si piè à nobis pulsata, si piè fuerit inuocata, compatietur nobis, non deerit necessitati nostræ. Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas: quoniam regina cælorum est, misericors est, & mater misericordiæ.

Ex dictis beati Bernardi abbatis in capitulo sequenti.

DOlor nimius non deliberat, non verecundatur, non consulit rationem, non metuit dignitatis damnum, legi non obtemperat, iudicio non acquiescit, modum ignorat & ordinem: id omnimodo & solummodo satagenti animo quo vel careat, quod se dolet habere: vel habeat quo dolet carere. Vbi suspicio, ibi discussio est necessaria. Rectus ordo requirit, vt prius propriam, deinde alienas curare studeas conscientias: ex hoc ad miserandum proximum recto iam tramite charitas ordinatè procedit: quippe ad sui quisque mensuram amare præcipitur.

In epist. ad Robertum monachũ.

In quadã epistolæ.

In epist. ad Brunonẽ. Colonien. archiepisc.

Vera

In epist. ad magis. Gilbertum.

Vera illa & indubitata sapientia est, quæ turpia lucra cõtemnit: & indignum sibi iudicat eodem cum idolorũ cõtubernio frui.

In epist. ad Drogonẽ monach.

Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit, & in eo quisq; perfectiorem se probat: quo ad maiorem tendit perfectionem. Melius est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Monachus non habet docentis sed plangẽtis officiũ: quippe cui oppidũ carcer esse debet, & solitudo paradisus.

In epist. ad Guidonẽ abb. de tribus sont.

Rerum causa non materia, nec exitus actuum, sed intentionis propositum culpas discernit & merita.

In epist. ad magist. Hugonẽ de sancto Victo.

Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi: & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem.

In epist. ad Suggerium abb. sancti Dionisij.

Tunc recentia iocundius bona clarescũt, cùm fuerint malis comparata prioribus. Similia ex similibus innotescunt, sed ex contrariis contraria, aut placent amplius aut displicẽt. Tunc demũ verę amiticiæ erunt,

In epist. ad abb. sancti Ioan. Carnotensi.

si veritatis fuerint fœderatæ consortio. Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri, nisi cum scandalo. Vbi enim scãdalum, ibi proculdubio est charitatis detrimentũ. Vbi autẽ dimunitio charitatis, miror q; vel quale possit spiritalis exercitij sperari lucrum.

Error

Error est humanæ mentis, non modò bonum putare malum & malum bonum: aut verum falsum, & econuerso: sed etiam certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. Extorta seu coacta licentia non est licẽtia, sed violentia. Quodcunque autem ita placet, vt si rectè fieri non possit: placeat tamẽ fieri, eo etiam modo, quo fas nõ est, nimis est: ac per hoc, quia iam bene non fit, bonũ non est. Stultus dum non loquitur, sapiẽs putatur: nam quòd non loquitur, non sensus inopia, sed humilitatis esse custodia creditur. Indoctus si præsumat docere quod nescit, nihil indoctius agitur: feruẽs spiritus & vehemens desiderium, aperiri sola lingua nõ sufficit. Recta facere & inutilem se reputare apud paucos inuenitur. Non omnes pacifici qui domestici, nec omnes amici qui videntur. Habet vera amicitia nõnunquã obiurgationem: adulationem nunquã leuius reor verecundia apud homines periclitari, quàm condemnari apud Deum silentio veri taciturnitate & abscõsione iustitiæ. Quid iustius, quid iocundius, vt quẽ reprehendere intendis, plus commendes: vt preconiis pro conuiciis vtaris nescius: & volẽs detrahere laudes inuitus? At ego nec indignis vituperationibꝰ moueor: nec indebitas recipio laudes. Res plẽna æquitate & lau-

In epi. ad Gulielmũ abb. Sanc. Theodor.

de digna: vt de mendacio nemo lucretur. Quid magis contra rationem, quàm rationem ratione conari transcendere? Et quid magis contra fidē credere nolle, quicquid ratione non possit attingere? Malum si cōprimas tuum, reputabitur tibi ad iustitiā? si alienum ad gloriam, nec sterilis verecundia grata est: nec humilitas præter veritatem laudabilis. Humana temeritas audet reprehendere, quod minimè comprehendere valet: sic se habēt mortalium corda: quod scimus cùm necesse non est: in necessitate nescimus. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. In alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil rarius apud homines. Interest ad dandam rerum certitudinē qd incerta iactet opinio: quídque opus euidēs reddat indubitatū. Quod autē certius probamus, hoc & prædicamus securius. Soli filij iræ non sentiunt, nec tristantur tristibus: sed lætantur & exultant in rebus pessimis. Legi apud quendā sapiētem. Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autē dico fideli homini magis & inter flagella fidendū. Pij cordis est cedere importunitati, quæ ad id quod oportet adduci nō patitur. Nemo (vt ait beatus Ambrosius) inuitus benefacit, etiam si bonum est quod facit, quia nihil

nihil prodest spiritus timoris, vbi non est spiritus charitatis. Nō est parū periculi sciētiæ surripi, & zelum dormire: illud excusatur ignorantia: hoc negligētia inexcusabile facit. Ego plagis cōscientiæ meæ nullum iudico accōmodatius medicamentum probris & contumeliis. Superbis resistere & humilibus dare gratiā, familiare est domino. Non debet esse par pœna, vbi dispar est causa. Inter bonos bonum est esse salutem: habet inter malos verò & laudem. Illud tantæ felicitatis est, quantæ & securitatis: hoc tātæ virtutis, quantæ & difficultāris. Nec nouum nec mirum est humanum animū, posse falli vel fallere. Cauendū & hoc & illud: quia vtrobique periculum.

Habes, lector suauissimè, mellifluos diui Bernardi flores: in quibus optima quæq; ex operibus eius studiosissimè excerpta reconduntur: proinde si omnia eius sanctissimi viri scripta bona sunt, hæc optima esse æquissimo iure dixeris. De quibus summas omnipotenti Deo gratias ages. Vale.

Florida melliflui Bernardi prata peragrans.
Hinc tibi nectareas collige lector opes.

INDEX SINGVLARIVM materiarum, Quę in his decem libris continentur.

***

Primus numerus librum, alter verò paginam capituli indicat.

ABbatum negligentia libro iiij. pagina 215
Abyssus duplex. vij. 457
Vbominatio clericorum. iiij. 199
Abstinentia v. 283
Acceptio personarum iij. 173
Actio gratiarum. v. 259
Actiua vita vij. 487
Adiutorium diuinum v. 267
Admonitio ad clericos iiij. 201
Aduentus domini corporalis j. 36. & 38
Eiusdem triplex vtilitas viij. 512
Aduentus domini spiritualis j. 50
Quomodo prænosci potest j. 52
Aduersitas vij. 472
Aduocati iiij 220
Affectio viij. 541
Affectiones animæ quatuor ix. 645
Affectus vij. 420

Affin

Affinitas animæ cum Deo ij. 87
Alæ animæ vij. 409
Altaris sacramentum ij. 112
Ambitio vj. 341
Ambitio infinita clericorum iiij. 184
Ambientium diuersa genera iij. 175
Amor diuinus v. 278
Eius violentia v. 280
Eius erga nos argu du. vij 458
Amoris gradus quatuor ix. 694
Eius vigor & languor vij. 413
Amor & cognitio vij. 421
Anima quomodo Deo vnitur j. 56
Quō se cognoscit diligi à Deo j. 78
Animæ rectitudo ij. 82. eius simplicitas. 91 eius gradus quo præcellit cætera viuentia 92. eius immortalitas. 94. eius libertas. 95. quæ libertas perditur peccato. 96. & deturpari potest, non destrui. 99
Animæ prima forma obscurari potest non exterminari ij. 98
Animæ fiducia ad Deum, & eius incrementum ij. 101
Animarum salutem impedire est persequi Christum ij. 114
Animæ vita & sensus vij. 406
Apparet Deus animæ j. 66
Apparatus triplex ad custodiendum clatrum Dei viij 372

Confessio v. 228
Confessio duplex vij. 424
Confessionis modus triplex viij. 547
Conflictus virtutum & vitiorū vij. 451
Complacitum viij. 529. & 534
Cōprehendi quomodo potest Deus in hac vita. j. 32
Compunctio quadruplex. ix. 655
Conscientia quadruplex ix. 645
Conscientiæ testimonium v. 298
Consensus vij. 483
Consensus viij. 538
Cōsideratio. v. 313. hæc duplex vij. 463
Consideratione triplici omne opus præueniendum. viij. 565
Cōsideratiōis supernę tres species viij. 620
Consilium proprium vj. 351
In cōsilio duo sunt necessaria vij 428
Consiliū, iudiciū, & cōplacitū viij. 529
Consiliū duplex bonorū & malorū vij. 460
Consilium impiorum ix. 668
Consolantur ecclesiā duæ res vij. 404
Consuetudo praua vj. 356
Consummatio nostra desideratur à sanctis. x. 747
Contemplatio v. 315
Eius triplex modus viij. 613
Cōtēplationis quatuor species ix. 694
Contemplationē tria impediūt vij. 615

Cont

Contemplatiua vita vij. 488
Contemptus Dei ix. 669
Contemptus mandatorum vij. 431
Contemptus mundi v. 302
Contemptor humanæ laudis vij. 426
Contentio vitiorum vj. 371
Continentia v. 282
Conuersio duplex, interior & exterior vij. 448
Conuersionem nostram præcedunt quatuor status ix. 639
Cooperantur tres in opere nostræ salutis viij. 517
Cor triplex viij. 595
Cordis vita duplex vij. 450
Cordis humani insatiabile desiderium vj 339
Cordis instabilitas vj. 367
Eius duricia vj. 357
Cordis sapientia viij. 549
Cordis tres petitiones viij. 595
Cornua crucis ix. 664
Corpora sua recipere desiderant sancti x. 749
Correptio v. 294
Corripiendi modus ij. 118
Corruptio corporis & animæ vij. 439
Creata trinitas viij. 506
Culpæ modus triplex viij. 564
Cupiditas vj. 337

Curiositas vi. 355
Currus spiritualis quatuor rotæ ix. 672
Custodia humilitatis v. 239
Custodia castri dominici viii. 572
Debitum quadruplex li.ix. 651
Defectus vij. 461
Desecesio domini vii. 393 Nostra vii. 395
Desiderium triplex proueniens de memoria sanctorum viii. 631
Desideriū scī cōsummationē nostrā x. 747
Desperatio vj. 372
Detractio vi. 363
Deuotio v. 309
Deus quid est i. 17 vnus est 20
vbiq; est 23
Ipse in creatutis est: 24. trinus est. 25.
eius comprehensio. 32
Deus est pœna reproborum i. 34
Deus videdus est in futuro sicuti est. i. 61
Deus & beati spiritus tribus modis vestigandi viii 622
Dei longitudo, latitudo, sublimitas & profundum ix. 698
Diabolus. viii. 577
Dies duo vii. 470
Dietæ tres viii. 602
Dies quatuor pœnitentiæ ix. 640
Dies diuersi spirituales. x. 730
Diffinitiones diuersorum quæ in homine con

continentur. x. 716
Dignitates ecclesiasticæ iiii. 186
Dilectio duplex: carnalis & spūalis. vii. 460
Diligitur anima à Deo. i. 78
Diligendi Deum causa. ii. 123. Modus. 124
Diligendi Deum triplex modus viii. 523
Diligendi Deum præmium. ii. 226
Diligere Deū ex toto corde. &c. viii. 524
Dilexit nos Deus tribus modis. viii. 522
Disciplina. v. 248
Discretio. v. 243
Diuersa in homine existentia. x. 717
Doctrina prælatorum. iii. 147
Domus Dei paratur. viii. 570
In domo domini periculū triplex. viii. 573
Dotes corporis & animæ. x. 751
Duricia cordis. vi. 357
Ecclesiam præsentem duo consolātur. vii. 404
Electi quibus signis cognoscantur x. 727
Eminentiora bona tria in homine. viii. 591
Excessus duplex. vii. 492
Exercitii spiritualis summa ī trib⁹. viii. 576
Festiuitatibus sanctorum tria considerāda. viii. 629
Fides. i. 68
Fides triplex. viii. 542
Fides & species. vii. 478
Fides sola in necessitate sufficit ad salutē.

pagina. ij. 110
Fiducia animæ ad Deum ij. 101
Filius. viij. 597. & 599
Filius ad patrem se habet diuersis modis. pagina. x. 745
Fons Christus à quo riuuli quatuor. ix. 680
Fontes quatuor paradisi. ix 643. & 689
Forma animæ obscurari potest. ij. 98
Fortitudo. viij. 574
Fragmenta misericordiarum. x. 721
Fructificantes malè. viij. 686
Fruendi Deo triplex modus viij. 634
Gaudium domini & expectatio animarum sanctarum. vij. 498
Gaudium triplex sanctorum. viij. 625
Gaudium spiritale. viij. 556
Generatio duplex. vij. 477
Gloria cælestis non perficitur absq; præsenti ecclesia. ij. 219
Gloriæ libertas. viij. 528
Glorificatio Dei à filiis suis. viij. 519
Glutinum adhæsionis in cælo duplex. ij. 499
Gratia Dei. v. 265. temperatur nobis. ij. 104
Gratia triplex. viij. 519
Gratiæ libertas. viij. 526
Gratiæ diuinæ impedimenta diuersa. x. 714
Gratia & lex. vij. 468
Gratia & liberum arbitrium. vij. 482
Quod habeamus ex vtroque. vij. 483

Gratia

Gratiarum actio. v. 259
Gradus amoris. ix. 695
Gradus animæ quo præcellit cætera. ij. 92
Gradus ascensionis ix. 641
Gradus duo in via spiritus. vij. 408
Gradus obedientiæ triplex. viij. 563
Gradum distinctio in incarnatione. j. 31
Gula & luxuria. vj. 361
HAbitant in adiutorio altis. viij. 583
Habitus superfluus. iij. 166
Habitus preciosus. iiij. 211
Homo primus virtutibus vestitus. ix. 638
Homo nouus & vetus. vij. 434
Hominis rectitudo. ij. 83
Hominis primi lapsus à dignitate status sui. ij. 85
Homo peccando fecit se seruum. ij. 96
Hominum quatuor modi. ix. 671
Hominum quatuor genera. ix. 671
Homini miseriæ. vj. 374
Hominis quatuor molestiæ. ix. 658
Horror iudicij futuri. vj. 185
Hostium nobis aduersantium duo genera. pagina. vij. 475
Humilitas. v. 236
Humilitas magis necessaria est quàm virginitas. v. 238
Humilitatis custodia. v. 239
Humilitas duplex. vij. 417

Humi

Humilitas & humiliatio. vii. 419
Humilitatis duæ ſpecies. vii. 425
Hypocriſis. vi. 214
Ieiunium. v. 251
Ieſus triplicem virtutem habet. viii. 518
Ignorantiæ duæ filiæ. vii. 436
Ignorantia duplex & arrogantia. viii. 587
Ignorantia triplex. viii. 588
Ignorantia fugienda. ii. 85
Impedimenta ſeptem retrahentia ab obſeruatione. x. 711
Impedimenta diuinæ gratiæ. x. 714
Impedire ſalutem animarum eſt perſequi Chriſtum. ii. 114
Impeditur contemplatio per tria. viii. 615
Impletiones animæ & corporis in futuro. libro. iiii. 189
Impudentia clericorum. x. 751
Impulſores hominis. viii. 581
Incarnatio domini. i. 31. & viii. 508
Incrementum animæ. ii. 103
Inferni pœnæ. vi. 387
Infirmitas & maieſtas Chriſti. vii. 400
Inobedientia. iii. 152
Inſatiabiſe deſiderium cordis humani. vi. 339
Inſtrumentum animæ. iii. 156
Intellectus & affectus. vii. 420
Intentio. iii. & viii. 152. & 541
Intentioni duo ſunt neceſſaria. vii. 480

Inueſtig

Inueſtigare Deum. viii. 622
Inuidia. vi. 333
Ira Dei duplex. vii. 470
Ira & nimia pietas ſubuertunt iudicium. libro iii. 174
Iracundia. vi. 335
Irreprehenſibilis coram Deo. vii. 446
Irreuerentia. ix. 669
Itur ad conſilium impiorum. ix. 668
Iudicii futuri horror. vi. 385
Iudicium & conſilium. viii. 529
Iudicium prælatorum. iii. 182
Iudicium ſubuertitur. iii. 174
Iuſtitia. v. 290
Iuſtitia pax & gaudium. viii. 556
Iuſtitia quadruplex. ix. 679
Iuſtificatio Dei à filiis ſuis. viii. 519
Iuſtificatio & timor. vii. 455
Iuſtorũ ſtatus ante aduentũ domini. ii. 127
Iuſtorum triplex genus. viii. 612
Labor. ix. 640
Labor prælatorum. iii. 171
Lachymarum quatuor genera. xi. 657
Latitudo charitatis. ix. 668
Laus ſupernæ ciuitatis. v. 348
Laudis humanæ vanitas. vi. 145
Laudis contẽptor cauet à duobus. vii. 426
Leuiora peccata. vi. 369
Lex & gratia. vii. 468

Lex

Lex triplex. viij. 598
Libertas triplex. viij. 16
Liberum arbitrium. vij. & viij 482. & 532
Lingua duplex Dei & animæ. vij. 414
Linguæ diuersa vitia. x. 707
Locus triplex. viii. 606
Longitudo æternitatis. ix. 668
Lumen scientiæ. ii. 120
Luxuria. vi. 361. & x. 703

Magister est necessarius. iij. 153
Magnitudo animæ nõ perditur ii. 89
Magni fide magna & sublimia videt j. 68
Malitia diaboli duplex. vii. 446
Malitia, luxuria, auaritia. x. 703
Malum duplex innatũ & seminatũ. vii 437
Malum triplex quod passuri sunt peccatores. viii. 618
Mandatorum neglectus. vii. 431
Mandatorum obseruatio. x. 717
Manus. viii. 603
Maria multipliciter commẽdatur post decimum librum. 755
Meditatio. vii. 423
Medium tenendum. ii. 117
Memoria. viii. 531
Memoria dominicæ passionis. v. 306
De Memoria sanctorum desiderium triplex. viii. 631
Mercennarius. iii. 180. & viii. 597 & 598
Meri

Meritum. v. 268
Meriti vnius non est socialiter viuere & vtiliter præesse. iii. 154
Metuenda sunt tria nouissima. viii. 607
Ministerium triplex ministrorum Christi. pagina viii. 521
Ministrat nobis Deus temporalia. vii. 472
Miseria hominis. vi. 374
Misericordia. v. 393
Misericordia Dei in pœnitentes. v. 239
Misericordiæ Dei septem. x. 719
Harum fragmenta. x. 721
In mysterio incarnationis tria considerãda. viii. 508
Mistura triplex in incarnatione. viii. 509
Molestiæ hominis quatuor. ix. 658
Monachorum intemperantia. iiii. 205
In cibis delicatis. iiii. 206
In potu nimio. 208. in habitu pretioso. 211
Monasteriorum ornamenta. iiii. 216
Monasteriorũ sculpturæ & picturæ. iiii. 218
Monasterialis obseruatio. vii. 429
In monasterio duo obseruanda. vii. 429
Monitio ad clericos vt se corrigant iiii. 201
Mors duplex. ix. 642
Mors corporalis. vi. 383
Mors hominis duplex. vii. 396
Mors & vita Christi. vii. 398
Mors sanctorum pretiosa. viii. 625

Mors diabolus & peccatum. viii. 577
Mundi contemptus. vi. 302
In mundi opere tria considerãda. viii. 607
NAscitur superbia. vi. 330
Naturalis appetitus. vii. 483
Naturæ libertas. viii. 526
Neglectus mandatorum. vii. 431
Nominis Iesu triplex virtus. viii. 512
Nomina Dei diuersa. x. 741
Nõtitiæ aduẽtus seu visitationis dñi. i. 52.
Nouissima tria metuenda. viii. 617
OBedientia. v. 245
Obedientiæ tres metæ. viii. 561
Obedientiæ triplex gradus. viii. 563
Obediendũ est prælato sicut Deo. iii. 149
Obediendum non est contrariã Deo iubenti. iii. 150
Obscurari potest forma animæ. ii. 98
Obseruatio mandatorum. x. 711
Obseruatio monasterialis. vii. 428. & 429
Obseruantiæ sex seruorum Dei. x. 724
Obstacula quæ nos separant à voluntate Dei. x. 512
Obstinatio & præsumptio. vi. 359
Ociositas. vi. 346
Occulta tria. viii. 594
Oculum simplicem faciunt duo. ix. 674
Oculi interioris quadrifaria diuisio. ix. 676.

Oculus magnus & pes. viij. 603
Operationes duæ sermonis Dei. vij. 410
Operatio Dei triplex. viij. 536, & 541
Operatur Deus tria in nobis. viij. 538
Opus nostræ conditionis. ij. 21
Opus redemptionis habet duo considerãda. vij. 402
In opere nostræ salutis cooperantur tres. libro viij. 517
Opus & voluntas. vij. 454
In opere mundi tria considerãda. viij. 607
Opus omne præueniendum est triplici cõsideratione. viij. 565
Oratio. v. 232. & 235
Oratio & meditatio. vij. 423
Orandi modus quadruplex. ix. 648
Ordines quatuor in processione domini. libro ix. 683
PAnis triplex quo reficiendi sumus. libro viij. 600
Paradisus Christus. ix. 689
A paradiso spirituali quatuor fõtes. ix. 643
Paratur domus Dei. viij. 570
Pariendi spiritualiter duo genera. vij. 491
Passionis dominicæ memoria. v. 306
Pastores à mercẽnariis discernũtur. iij. 186
Pater & filius veniũt ad animam. j. 75
Patientia. v. 289
Paupertas. v. 285

Paupertatis triplex genus. viij. 563
Pax. v. 300
Peccatum. viij. 577
Peccata leuiora. vj. 369
Peccati diuersa genera. x. 701
Peccatum facit hominem seruum. ij. 96
Peccatores passuri sunt triplex malum. pagina viij. 618
Pedes quatuor cathedræ pestilentiæ. ix. 21
Pœna reproborum est Deus. i. 34
Pœnitentia vnde est ei' quatuor dies. ix. 640
Peregrinatio nostra a Deo vij. 485
Perfectio bonæ voluntatis. viij. 333
Perfici non potest cælestis gloria sine præsenti ecclesia. ij. 119
Periculū triplex in domo domini. viij. 57
Periculum clericorum. iiij. 20
Periculum prælationis. iij. 17
Periculosè sine magistro viuitur. iij. 15
Persecutio discernit mercennarios a pastoribus. iij. 18
Persequi Christum. ij. 11
Perseuerantia. v. 29
Peruersitas quorundam religiosorum clericorum. iiij. 20
Pietas. viij. 51
Plenitudo triplex in vita futura. viij. 64
Pontificum puritas. iij. 16
Ad pontifices clamor pauperum. iij. 16

Possident regnum cælorum quatuor genera. ix. 660
Potus nimius. iiij 210
Praua consuetudo. vj. 356
Præceptorum duplex genus. vij 469
Præcipientium auctoritas & præceptorum qualitas. vij. 430
Prædicandum quomodo secure. ij. 160
Prædicatori quid cauendum. iij. 160
Præesse vtiliter. iij. 154
Prælatione quis sit dignus. iij. 132
Prælationis periculum. iij 172
Prælato quid sit necessarium. iij. 134
Prælato tria sunt necessaria. viij. 559
Prælati bona conscientia. iij 136
Eius zelus. iij. 138
Eius pietas. iij. 140 solicitudo. 144
Eius doctrina. iij. 147
Prælato animæ infirmæ sunt oneri. iij 143
Prælato obediendum. iij. 149. & 150
Prælatus ad instruendas animas inuitatur. iij. 156
Prælatorum honor & labor. iij 171
Prælati mali. iij. 177
Prælati vsurpantes sibi prælationē. iij. 178
Prælatorum quorundam crudelis ardor dominandi. iij. 167
Præmium eternum. v. 322
Præsentia nostra cum Deo. vij 485

Præsumptio. vj. 359
Ptæueniri debet opus tripliciter. viij. 565
Processio domini. ix. 683
Profectus. vij. 461
Promissio domini duplex. vij. 494
Promotio iuuenum ad digni. iiij. 186
Propria voluntas. vj. 348
Ipsa est valde detestabilis. vj. 349
Prosperitas & aduersitas. vij. 406
Pudor duplex. vij. 466
Pusillanimitas. vj. 353
QVatuor quibus seruit homo. ix. 673
Quærendus Deus. j. 49
REctitudo hominis. ij. 83
Rectitudo animæ. ij. 89
Redemptionis nostræ opus. vij. 402
Reficiendus est quilibet pane triplici. libro viij. 600
Regnum cælorum possident. ix. 660
Religiosorum & clericorum quorundam peruersitas. iiij. 203
Religiosi superbi. iiij. 213
Reprobrorum pœna est Deus. j. 34
Resistendo tentationibus victoria acquiritur. v. 256
Resurrectio duplex. ix. 642
Retrahũt nos septẽ ab obseruatione. x. 711
Reuertẽdi ad Deũ modus triplex. viij. 591
Riuuli quatuor de fonte Christo. ix. 680

Rotæ

Rotæ quatuor currus spiritualis. ix. 672
SAcramentum baptismi. ij. 105
Sacramentum altaris. ij. 112
Sacramentum incarnationis celãdum diabolo. j. 40
Salutis nostræ cooperatio triplex. viij. 517
Sanctificatio Dei à filiis suis. viij. 519
Sanctum hominem tria faciunt. viij. 712
Sanctorum status triplex. viij. 625
Sanctorum triplex genus. viij. 624
Sanctorum triplex gaudium. viij. 627
Sanctorum mortem preciosam tria faciunt. viij. 623
Sanctorum festiuitates. viij. 629
De sanctorum memoria triplex desideriũ prouenit. viij. 631
Sanctorũ aĩæ desiderãt corpora sua. x. 649
Sanguissugæ duæ filiæ. vij. 442
Sapientia & virtus. vij. 486
Sapiẽtia tri. cordis & oris & operis. viij. 549
Sapores diuersi. x. 735
Sapores Dei diuersi. x. 744
Scalæ duo latera. vij. 445
Scientia mala duplex. vij. 441
Scientiæ lumen. ij. 120
Sciendi modus triplex. viij. 593
Sculpturæ & picturę monasteriorũ. iiij. 218
Sensus animæ. vij. 406
Separant nos à voluntate diuina. x. 712

Sequuntur Christum quidam. ix. 674
Sermonis Dei duæ operationes. vij. 419
Seruit homo in hac vita. ix. 660
Seruus mercennarius & filius. xiij. 597 & 598
Seruus peccati. ij. 96
Sessio duplex corporis & animæ in futuro. vij. 496
Sicuti est Deus videndus. ij. 62
Signa quædam electorum. x. 727
Silentium. v. 249
Simplicitas animæ. ij. 91
Simplicem oculũ faciũt vel nequã. ix. 674
Sobrietas. viij. 552
Socialiter viuere. iij. 154
Solitaria vita. v. 305
Solicitudo prælatorum. iij. 144
Solicitudo triplex in dilectione proximi habenda. xiij. 544
Species & fides. vij. 478
Spes. iv. 272
Spinæ quatuor. ix. 673
Spiritus sanctus. j. 41
Spiritus sanctus non eodem modo in sanctis. j. 45
Spiritus sancti multiplicitas. j. 47
Spiritus vita. vij. 488
Spiritum quatuor genera. ix. 674
Spirituum ductus genera. x. 735

Status iustorũ quadruplex præcedens conuersionem. v. ix. 639
Status iustorũ ante aductũ domini. ij. 227
Status sanctorum triplex. viij. 625
Subiectionis triplex modus. viij. 560
Substantiarum trinitas in Christo. j. 31
Superbia. vj. 335
Superbia quadruplex. ix. 666
Superbiæ duæ species. xij. 425
Superbi religiosi. iiij. 213
Superfluus habitus sacerdotum. iij. 166
Supernæ cõsideratiõis tres species. viij. 629
Suspicio & solicitudo vitiosa episcoporum. iij. 169

TEmperatur nobis gratia Dei. ij. 104.
Temporalia nobis ministrat Deus. libro vij. 472
Tempus congruum orationi. v. 235
Tentatio. v. 254
Tentationum quatuor genera. ix. 661
Tentatio carnis. v. 254
Tentationibus resistendo, victoria acquiritur. v. 256
Tenere medium. ij. 117
Tepiditas. vj. 352
Testimonium conscientiæ. v. 298
Testimonium triplex. viij. 566
Timor. v. 240
Timor duplex. vij. 435

Timor triplex. viij. 575
Timor & iustificatio. vij. 455
Timor spes charitas. viij. 552
Transeuntium per hoc seculum tria genera. viij. 557
Transgressio. viij. 564
Tribulatio. v. 285
Trinus est Deus. j. 25
Trinitas in vnitate. j. 9. & 12
Trinitatis excellentia. j. 9
Trinitas substantiarū in Christo. j. 28
Trinitas creata. viij. 506
VAna gloria. v. 262
Vanitas humanæ laudis. vj. 345
Vbique est Deus. j. 23
Venire patrem & filium ad animam. j. 75
Verbum triplex. viij. 608
Verbum hominis volatile. x. 707
Verecundia. v. 252
Veritas, charitas, fortitudo. viij. 574
Vetus homo & nouus. vij. 434
Via spiritus. vij. 408
Vitiorum gemina species. vij. 433
Vitium triplex. viij. 587
Vitiorum contentio. vj. 371
Vitia linguæ. x. 707
Vitium propriæ voluntatis, vj. 348. & 349
Vitiosa suspicio episcoporum. iij. 169
Vicissitudines Dei in anima. j. 69

Victoria acquiritur resistendo. v. 256
Videri nō potest Deus in hac vita. j. 62
Vigilia triplex. viij. 554
Vigor & languor amoris. vij. 413
Vilitas conditionis humanæ. vj. 376
Vincula tria quib⁹ astrīgimur Deo. viij. 601
Violentia amoris diuini. v. 280
Virginitas. v. 238
Virtus & sapientia. vij. 486
Virtus triplex nominis Iesu. viij. 512
Virtutes quatuor primi hominis. ix. 638
Virtutes quatuor cardinales. ix. 647
Visio qua Deus videndus. j. 61
Visionum Dei diuersi modi. j. 64
Visitatio Dei. j. 52 & 73
Vita æterna. viij 633. & 634
Vita Christi. vij. 398
Vita & sensus animæ. vij. 406
Vita dulciter à corde procedit. vij. 450
Vita actiua & contemplatiua. vij. 488
Vitæ libertas. viij. 528
Vita solitaria. v. 305
Vita vitiosa. vj. 382
Vitæ præsentis breuitas. vj. 379
Viuēdi ī cōgregatiōe mod⁹ triplex. viij. 569
Viuere sine magistro periculosum. iij. 154
Viuere socialiter. iiij. 203
Vnde nascitur superbia. vj. 330
Vnguentum triplex. viij. 545

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnitas in trinitate.	j.	25
Vnitatis eiusdem excellentia.	j.	27
Vnitatis alterius differentia.	j.	58
Vnitas gemina bonorum.	vij.	474
Vnitur anima cum Deo	j.	56
Vnus est Deus.	j.	20
Volandum est duabus alis.	vij.	409
Voluntas triplex.	viij.	532
Voluntas & opus.	vij.	454
Voluntas sola meretur.	x.	717
Voluntas propria.	vj.	348
Ipsa valde detestabile vitium est	vj.	349
Voluntatis bonæ perfectio.	viij.	533
Voluntarius consensus.	vij.	483
Vsurpant sibi quidã prælationem	iij.	178
Vsurpant clerici à singulari.	iiij.	195
Vsurpatio appellationum.	iiij.	222
Vtilitas aduentus triplex.	viij.	515
Zelus prælatorum.	iij.	138

Finis indicis.

segetia dicendarum ante ad[illegible]
telm ize | memoria omnibus sanctis 2º
de patrocinio 3º de sanctis ordinis nri. 4º
de cruce. 5º de s[an]to nicolao. 6º de uelo sci[illegible]

oratio
deus q[ui] p[ro]uisti filii tui crucifixi ut[illegible]
uelis[illegible]

oro
Deus q[ui] p[ro]uisti filii tui crucifixi pati uelle nos
uoluisti ut eius miliano nos expelet potes-
tem concede nobis famulis tuis ut resurrectionis
gratia[illegible] eius mereamur p.d.

oro
Da quesumus o omnipotens deus ut q[uo]d creatio[illegible]
tis tue[illegible] ponti[illegible]
te[illegible]
mediate dicenda & [illegible]

Letania De nra señora

xpe audi nos	
xpe exaudi nos	
xpe audi nos	
xpe exaudi nos	
pater de celis Deus	miserere
fili redemptor mundi deus	miserere
spus sancti deus	miserere
s[an]cta trinitas unus deus	miserere
s[an]cta maria	ora
s[an]cta dei genitrix	ora
s[an]cta uirgo uirginum	ora
s[an]cta mater pijssima	ora
mater pietatis	ora
mater mis	ora

matr inuiolata ora
templum ora
sacrariū spūs ti ora
filia sion ora
terra spōsionis ora
matr castitatis ora
filia patris ora
mator filii ora
sponsa spūs sancti ora
mater gloriosa ora
matr misericordiosa ora
matr obedientis ora
matr patientis ora
matr humilitatis ora
sine macula sancta ora
matr uirgo pura ora
fons ueritatis ora
matr peccatorū ora
imperatrix celoꝝ ora
regina angelorū ora
matr peccatorū ora
uirga sazonis ora

ciuitas Dauid dis ora
remedium peccatorū ora
regina angelorū ora
regina ffeta ora
regina patriarcarū ora
regina apostolorū ora
regina cōfessorū ora
regina omniū dis cipulorū ora
regina Martirū ora
regina confessorū ora
regina uirginū ora
regina innocentū ora
ffelamaris ora
regina predicatorū ora
regina omniū sanctorū ora
matr salutis ora
imperatrix mūdi ora
matr pacis ora
matr uenedictionis ora
matr uirtutis ora
matr sānitatis ora
matr per fectionis ora
defensa peccatorū ora
remedium orfanorū ora

Universidad de Deusto
Biblioteca

stela matutina
lux mercedis
thalamus salomonis
flos virginū
regina celi
refugium nostrum
porta orientalis
letitia sanctorū
magistra virtutū
speculū iudicij
mater patientie
magistra perfectionis
speculū castitatis
magistra humilitatis
stela celi
aduocata nostra
colūba speciosa
columba deargentata
pietas
maria mater gratie
abominato
abominis preuentor

alia
alas magnif. aue
ala R. s. Potentia
ala pestbora
semp

Universidad de Deusto
Biblioteca

mul.tus. vro. Surgite
mus. Pax vob.
Jesus maria filius mi
dominus sit mi.dic
Jesus maria
mi.us & tm. ex.eremus et
Jesus ma
mus & sit mi.sericordiæ
Exaudi
cepti.o immaculata
mor.tis mor.tis ne.dezelingu
Ad ma.ne.dita.bio mor.tis et
ore. p.p.ecatis. Deus cui
ni.sc.ere.ri semper et pe

...uer
...spregio
...otorato
...tet.ec.ce.uat
...de.stos.supplica
...op.portet
...Vegla m.a magdalena
...de.sure.misisti.pecatrici
...cata. p.te.di.dexit mus

